







1
7
22












PÆDIÆ SCOTICÆ
TENEBRE NON OBSCVRABVNTVR A TE
ARISTOTELES
SCOTVS
NOX
INDICAT SCIENTIAM
NOCTI

PÆDIÆ SCOTICÆ.

QVIBVS SVBTILISSIMA SCOTI MENS,
Scotistis, & Exteris, iuxta Aristotelis Principia,
facili Methodo, Scoticè aperitur.

LOGICALIA COMPLECTENTES.

Auctore Adm. R. P.

IOSEPHO LEALI
DE VERONA
ORDINIS MINORVM REGVL. OBSERV.
Almæ Diui Antonij Prouinciæ, Sacræ Theologiæ Lectore Iubilato,
necnon SS. Inquisitionis Veronensis Consultore.

CVM DVPLICI INDICE.





VENETIIS. Apud Io. Antonium Vitalem. M.DC. LXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.



Illustrissimo, & Excellentissimo Domino

ALOYSIO GEORGIO

Illustris, ac Fidelis Vrbis Veronæ

PRÆTORI PRÆSTANTISSIMO

NEC NON

SENATORI AMPLISSIMO.



Eroicæ sub tuæ Protectionis vmbra non aliter, ac sub Imagine Iouis Beli, Illustrissime, & Excellentissime Prætor, ad Perennitatem, ad Securitatem recurrit hęc PRIMA PARS meæ recentis, ac veluti nascentis PHILOSOPHIÆ. Amat, quinimmo, & ambit, videri sub tuo Nomine; quia scit, quàm faustum sit apud Populos, quos rexisti, & quàm suaue peruadat apud omnes, qui sub Dominio huius

huius Auguſtiſsimæ REIPVBLICÆ VENETÆ fæliciter pertranſeunt vitam, aureum percurrere Sæculum. Tua Benignitas, quæ inſtar regiæ Dotis ab Heroum pectoribus fulget, tanto affectu allicit Animos obſequentium tuæ Dominationi: vt non vna tantum Vrbs: ſed plures Vrbes, quæ VENETO, CHERVBICOQVE LEONI ſunt ſubditæ, ſummoperè exoptent illam experiri, pro vt eſt in ſe ipſa; ſcilicet, quatenus eſt tota Clemens, tota Munifica. Prudentia tua perfectio eſt, virtuſque, quæ in Iuris, Iuſtitiæque adminiſtratione, non ſolùm ab Inſontibus, verùm, & à Sontibus commendatur: quinimmo ipſamet Aſtręa plurimi illam facit, & ad illam ſolam, ſi opus eſſet, de Cęlo deſcenderet. Videt ſiquidem nihil illi deeſſe, etiam ſi habenas regeret, non vnius ſolummodo Ciuitatis, verum etiam vnius Imperij. Quo ad cæteras Virtutes? Illas habes, poſsideſque ſtabili, ſtrictoque nixu vnà ſimul vnitas. Qua propter de Te iure merito dici poteſt, quod de ſuo Tito Imperatore dicebat Roma: illum nempè exiſtimaſſe ſibi perditum Diem, quando ſaltem vni ſoli non illuceſcebat Benefactor. De tua Magnanimitate in acceptando hoc paruo meæ Tenuitatis Munuſculo, non eſt cur eloquar. Si quidem certiſsimus ſum,

quod

quod ſi Magnanimitas eſt virtutum omnium ornamentum, iuxta quæ docuerat Nazianzenus, hanc in Te eſſe pro præcipuo tuæ Ingenuitatis Iubare; proinde vltrò, ac libentiſsimè ad illam recurro, confidoque, haſce meas exiles logicales lucubrationes conſequuturas eſſe, ſine longa deprecatione, Fautorem eximium; ſine elaborato Epiphoremate, humaniſsimum Patrocinantem. Videat, ſciatque Mundus, quonam modo in Te reuiuiſcant Alexandri Macedones; Euergetes, inquam, Peripateticarum Scientiarum, pro vt expoſtulabat illa venerabilis, & antiquiſsima Ætas, provtque hoc noſtrum præſens exquirit Sæculum. Quouſque Ariſtoteles exiſtimabitur, pariter quiſque erit illius Diſciplinæ Profeſſor, pro Sectatore veræ, perfectæque ſapientiæ abſque errore, & non inaniter reputabitur. De vetuſtiſsima, & Sereniſsima tua Stirpe non pauca referrem; præcipuè de MARINO GEORGIO PRINCIPE, qui ab hinc trecentis, & quinquaginta ſeptem Annis, extitit Principum Venetorum Idea, Exemplarque. Dicerem de Infulis Pontificalibus, de Purpuris Senatorijs, de Bellicis Paludamentis, de alijſve Dignitatum Exuuijs, quæ pariter ab inclytis tuæ Gentis Heroibus deportatæ fuere in conſpicua tua Domo Summo Honore,

ma-

maximaq; Festiuitate huius tuæ Adriatici Maris REGINÆ. Sed tacendum est, quod satis laudari non potest. Plura itaque in Animo voluens, ne sim plusquàm expedit longior, reuerenter, humiliterque me Tibi resigno. Et quatenus promittere valet Ingenij mei imbecillitas, in obsequium perpetuum, totis viribus me Tibi dedico. Deus Te diu incolumem seruet, & ad Maiora pro Patriæ, & Familiæ tuæ decore, Te eleuet, Te exaltet. Quo fine permaneo, viuoque.

Tuæ Illustrissimæ, & Excellentissimæ Amplitudini

Addictissimus, & Deuinctissimus Seruus

Fr. Ioseph de Verona Lector Iubilatus.

A D



AD TYRONEM
SCOTISTAM
AVCTORIS PRAELVDIVM;

Quo Schema, Titulus, & Occasio scribendi deteguntur.



ÆDIAS hasce præbeo; vt pedes præbeam Tibi potissimum Tyroni Scotistæ, quibus pedatus, vnà cum tuæ oculo Mentis, arduam per viam ites subtilitatis, ad Metam Scoticæ attingendam Veritatis; quò peruentus DEVM, à quo omnia, Iobica efferas laude. Oculus fui cęco, Pes claudo. *Cursum logicæ curtum impertio, quia curtum, breueque est nostræ vitæ Curriculum, in prolixis Dialecticæ lectionibus haùd impendendum. Artibus enim liberalibus (cuiusdam verba vsurpo Sapientis) tandiu immorandum est, quandiù nil magis agendum: nam dum transeuntibus prosunt, immorantibus nocent. De harum catalogo logica est, quæ cum* Ars Artium, Scientia Scientiarum, *vocitetur, meas inter Pædias, quæ ad bonas artes manuductionem, & institutionem præsefert, pollet primatu. De meo laborem habes, ac methodum, recentia argumenta, expedita notanda, elaboratas disceptationes; quæ esto alibi fortassis in manuscriptis conspexeris aliquibus, tamen mea sunt, cum Auditores mei hinc inde attulerint. vel vnà cum aliquo Collectore meo, mea scripta elucubrauerim, ac perarauerim. Cætera Scoti sunt, & Aristotelis, quos pro me allego, comitemque me iactito amborum. Mearum enim sunt Pædiarum Scipiones, imo scientiarum omnium fulcimenta; De quibus videtur prædictum.* Nox Nocti indicat Scientiam. *Scotos enim Græcè, latinè tenebras significat, & Aristoteles, Scotinos, idest, Tenebrosus dictus, propter obscuritatem, quam affectauit. Hinc. Nox nocti videtur indicasse scientiam: vt sua subtilitate, difficultatum eliminaret caligines. Auctores alios, aliorumve opiniones, data opera, conticeo, ne Mimus decernat (vt in quibusdam decernit) me Auctorum indicem texere, aut Pædiarum molem citationibus augere. Meam sententiam breuibus aperio: rationibus tueor: vbi opus est, auctoritatibus fulcio: inutilia prætereo: quæ alibi libanda erunt, relinquo: ea duntaxat, quibus, tum Cathedris, tum Circulis: tum publicis, tum priuatis Congressibus, tum Discipuli, tum Magistri per sex lustra muneribus*

 sun-

fungens, in Collegijs, Liceisque nostri ordinis Prouincialibus, ac Generalibus Mantuæ, Veronæ, Vicetiæ, Patauij, Venetijs, Romæ, nonnullarumque aliarum Italiæ Vrbium, nixus, fretusque sum, ex animo congero. Alijs autem pluribus, quæ à Nostratibus maximo labore, ac sudore exponuntur, per tot annorum series, non sum vsus, neminem vti percepi, nec Te vsurum mihi it persuasum; idcirco illis supersedeo. Vnicum nanciscèris proprio signatum vocamine Scotistam, quem cito, quia citor (nomine tamen meo prætermisso) prouocorque ab ipso suis in editis monumentis. Quæ priusquam in lucem prodirent, meo in philosophico Cursu Mantuæ exarato, sub Cataristarum nomenclatura, in meæ lecturæ primordijs, oppugnaui. Hic est A. R. P. Liuius de Montursio, Almæ nostræ Antonianæ Prouinciæ (absit verbo hyperbole) Decus, & Ornamentum, nostræ Scholæ Tutor, Doctrinæ Scoticæ Zelator, pseudoscotistarum indefessus Euersor. Hunc solum in ius accerso disputationis. De Terminis. De Quarta Figura. De explicatione subiecti logicæ. De Denominatione Cogniti. De Numero distinctionum. De cohærentia scientiæ cum Opinione, *nec non in Physicam, quam meditor, accersam. Nec tamen mireris, dum tantum emeritum lectorem, sub meo calamo videris impugnatum. Nam* Causa Causæ respondit (*loquor cum Diuo Hieronymo*) & si culpa est respondisse, quæso vt patienter audias, multo maior est prouocasse. *Interim hasce pro Te Scotista Tyrone expositas Pædias æqui, bonique consulas. Si Tibi arrident, accipias velim hilari animo, tuæ sunt; Si haùd lubent, ipsas deseras, meæ sunt. Siue pro Te acceptante, siue pro me perarante, in lucem exeant. ERIT ALTERA MERCES. Tuam tantummodo, aliorumve linguam me sugillantem compescas precor, vt illa perfectione non careas, de qua scribitur.* Qui verbo non offendit, hic perfectus est vir. *Imo si Zoilum contra me, measque Pædias catamidiari audieris; me inutilia scribere, cum huius Artis innumeri propemodum existant Bibliographi. Vllo sine scommate, in ore tuo eiusdem Diui Hieronymi sit lingua.* Hac lege, post Priores, nullus loqui audebit: & quodcumque alius occupauerit, alius de eo scribendi, non habebit licentiam. *Meas igitur Pædias, si prurias scientiarum amore, quocumque procul impulsu. Perdiscas. Et quia plurimi ex Typographi incuria irrepserunt errores, non nullaque prætermissa; hinc prius, errata corrigas, & prætermissa addas, vt reperies in Fine. Vale*

Ap-

Approbationes Operis Reuerendorum Patrum Lectorum Generalium Patauij.

Approbatio Prima Reuerendi Patris Hieronymi Saccensis in Conuentu Sancti Francisci Magni Paduæ Lectoris Generalis, & Prouinciæ Patris.

Ego infrascriptus Reuerendissimi Patris Commissarij Generalis iussu opus logicum, quod inscribitur. Pœdiæ Scoticæ, auctore A.R.P. Ioseph de Verona Lectore Iubilato accurrate perlegi; nec quidquam impeditiuum, quin typis mandetur inueni: imo per multum eo vtentibus profuturum existimo.

Patauij. die 18. Iunij. 1668.

Fr. Hieronymus à Plebesacci, qui supra.

Approbatio Secunda Reuerendi Patris Petri de Venetijs Prouinciæ Patris, & in studio Iubilationis Paduæ Lectoris Generalis.

Ex Commissione Reuerendissimi Patris Commissarij Generalis, vidi, ac diligenter examinaui Primam partem Cursus Philosophici, iuxta Principia Aristotelis, Doctorisque mentem Subtilis, cuius titulus est Pœdiæ Scoticæ, à R.A.P. Ioseph de Verona, eiusdem Ord., ac Prouinciæ Sac. Theol. Lectore Iubilato compositam; quod opus verè Aureum, non solum Catholicum, Pium, Lectuque dignissimum mihi visum est, verum etiam, & dignum, quod prodeat in lucem, tamquam opus omnino absolutum, facile, ac vtilissimum, in quo cum subtilitate, Doctrina, & tanti Viri eruditione, mira fulget nitiditas, nec aliquid vltra ipsi subtilissimus Magister, Philosophorumque Princeps desiderare scirent.

Dat. In Conu. nostro S. Francisci Magni Paduæ die 17. Iunij 1668.

Frater Petrus qui supra.

Frater Bonauentura Caballus Ord. Min. Strict. obs. Sanctæ Rituum Congregationis Consultor, & in Cismontana Familia obs., ac Reformat. Commissarius Generalis, & Seruus. Dilecto Nobis plurimum in Christo Patri Fratri Iosepho de Verona, Prouinciæ nostræ obs. Sancti Antonij Concionatori Generali, ac Lectori Iubilato. Salutem in Domino.

Vt opus à Te compositum, cuius Titulus est Pœdiæ Scoticæ &c. à Patribus Sacræ Theologiæ Lectoribus Generalibus, iam per nos deputatis, reuisum, & approbatum Typis mandare possis, præsentium vigore, nostrique muneris potestate, Tibi seruatis seruandis ad maiorem Dei gloriam, facultatem impartimur. Vale, nostri apud Deum in Orationibus memor.

Dat. Romæ ex nostro Aracęlitano Conu. die 28. Mensis Iulij 1668.

Fr. Bonauentura Caballus Commissarius Generalis.

De Mandato suæ R. Patern. Frater Archangelus Rom. Secret. Gener., ac Pater Ord.

NOI REFORMATORI dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per Fede del P. Inquiſitore nel Libro intitolato, Pędię Scoticę, compoſto dal P. F. Giuſeppe di Verona Lettor Giubilato, non eſſerui coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza à Gio: Antonio Vidali di poterlo ſtampare; oſſeruando gli ordini &c.

Data li 18. Agoſto 1668.

(Aluiſe Contarini K. Pr. Ref.
(
(Angelo Correr K. Pr. Ref.

Angelo Nicoloſi Segr.

I N-

INDEX PÆDIARVM:

Atque Diſceptationum, vnà cum Capitibus, Articulis, Sectionibus, Mantiſſis, Quæſitis, Dubitationibus, Diſquiſitionibus, Summis, hac prima parte Contentis.

PÆDIA PRIMA.

De Rerum Logicarum Summulis.

PAEDIA SECVNDA.

De Natura Logicæ.

Arti-

PAEDIA TERTIA.

De Ente Rationis, & Distinctionibus.

PAEDIA QVARTA.

De Natura Communi.

PAEDIA QVINTA.

De Vniuersalibus in Particulari.

PAEDIA VI.

De Antepraedicamentis.

PAEDIA VII.

De Prædicamentis.

Quæ-

PAEDIA OCTAVA.

De Postprædicamentis.

PAEDIA NONA.

De Demonstratione.

PAEDIA X.

De Scientia.

PAEDIA



PÆDIA PRIMA.

De Rerum Logicarum Summulis.

1  *OGICALIA quæque cum Intellectualia sint ad Intellectum spectantia vt funditus, radicitusque penetrentur, nonnulla ad ipsum Intellectum attinentia, in nostram veniunt meditationem. Vnde Intellectus vt sic spectatus est Potentia, seu facultas, qua quis potest intelligere. Intelligere verò trifariã potest contingere, nimirum. Intelligere Hoc per hoc; intelligere hoc post hoc, & intelligere hoc esse post hoc. Primum, cùm temporis aliqualem indigentiam præseferat, Hominibus datur. Secundum, cum naturæ prioritatis, & posterioritatis ordinem supponat. Angelis conceditur. Tertium tandem, cum omnem à se imperfectionem eliminet, & perfectionem inuoluat, Deo dumtaxat debetur. De Primo igitur, cum inter Homines degamus, est discurrendum. Cui tres communiter assignantur operationes, scilicet. Simpliciter concipere, Iudicialiter compræhendere, & Syllogisticè discurrere. Prima est qua quis sine aliquo iudicio affirmatiuo, vel negatiuo terminos concipit: vt si quis Sortem conciperet tantùm nihil de eo affirmando, vel negando. Secunda est qua quis super terminos iam conceptos iudicium fert affirmatiuum, vel negatiuum: vt si quis iudicaret, Sortem esse hominem, & non Brutum. Tertia denique est qua quis ex præmisso iudicio currit ad Conclusionem: vt Sortes est Homo: ergo est animal. Ad Primam Termini, ad secundam Propositiones, ad Tertiam Syllogismi spectant. Istis itaque tribus, per varia capita distributis, præsens complebitur Pædia.*

CAPVT PRIMVM.

De Terminis.

Quid sint, & Quotuplices sint quo ad frequentiorem Tyronum exercitationem.

2 TErminus est *principium, ex quo componitur Propositio*. Pro cuius claritate aduertas, duplex esse Principium, scilicet Aquo, & Ex quo. Prius est à quo res fit. Posterius est ex quo res habet esse. Prius est rebus extrinsecum; Posterius intrinsecum. Modo cum termini intrinsecè propositionem componant, Principia ex quibus dicuntur, & sic sunt Subiectum, & Prędicatum, aut quidquid ex parte subiecti, vel ex parte prædicati in aliqua propositione se tenet; cum subiectum, & Prædicatum sint partes essentiales,

ex quibus Propositio componitur. Subiectum est quod ante copulam ponitur; Prædicatum est, quod post copulam additur; Copula verò vtrumque copulat: vt Homo est Animal. Est propositio, cuius partes essentiales sunt termini, scilicet Homo, & Animal, ly Homo est subiectum, quia antecedit Est. ly Animal Est prædicatum, quia subsequitur ad Est. & ly Est. copula vocitatur, idest Vnio vniens extremum vtrumque.

3 Terminus multiplex est. Prima sui diuisione scinditur in significantem, & non significantem. Terminus significans est, qui ex se ingerit significationem Audientibus: vt Sortes, Terminus non significans ille est, qui ex se nullam ingerit significationem Audientibus: vt Blittri. Notanter dixi ex se, nam si cùm speciali Corporis gestu proferatur, tunc terminus non ex se, sed ex proferente est significans.

4 Terminus significans triplex est. Categorematicus, Sincategorematicus, & Catesincategorematicus. Primus est qui se solo potest esse subiectum, vel prædicatum in aliqua Propositione: sic sunt omnia Nomina substantiua. Secundus est, qui se solo nequit esse subiectum, vel prædicatum in aliqua propositione: vt omnia nomina quantitatem præreferentia: omnis, nullus, aliquis &c. Tertius est, qui & se solo, & cum Consortio potest esse subiectum, vel prædicatum; & sic sunt omnia nomina quantitatem excludentia, & qualitatem includentia: vt Doctus, Albus &c.

5 Terminus Categorematicus duplex est. Complexus scilicet, & incomplexus; Complexus ille est cui correspondet conceptus complexus in mente; vt Homo est iustus. Incomplexus est, cui correspondet conceptus incomplexus in mente: vt Marcus Tullius Cicero; Estò enim hic habeantur plures voces; tamen quia exprimunt tantum vnicum hominem, qui conceptum incomplexum menti ingerit, omnes dicuntur terminus incomplexus.

6 Terminus incomplexus diuiditur in communem, & singularem. Communis est, qui diuisim conuenit pluribus, ita vt de singulis possit affirmari: vt Homo, qui de Sorte, Platone, ac de singulis hominibus valet prædicari. Singularis est, qui vnum tantum significat: vt Sortes. Vel etiam significat plura, non diuisim, sed collectiuè: vt Exercitus, Populus, Gens &c. Exercitus enim significat plures Milites; Populus plures homines; non tamen potest de singulis affirmari, quod sint exercitus, vel Populus, sed tantum collectiuè.

7 Terminus Communis duplex est. Transcendens, & limitatus. Transcendens ille est, qui rem transeuntem per omnia prædicamenta significat; & huiusmodi sunt Sex, scilicet Ens, Res, Vnum, Bonum, Aliquid, & Verum; De omni enim re, quæ in rerum natura existit, sex illi termini prædicantur. Limitatus est qui vnius tantum prædicamenti rem significat: vt Equus, qui substantiam; Sapientia, quæ qualitatem, demonstrant.

8 Terminus limitatus triplex est. Vniuocus, Æquiuocus, & Analogus. Vniuocus ille est, cuius nomen pluribus Commune est, sed ratio nominis est eadem in Vniuocatis: vt Homo. Æquiuocus est, cuius nomen pluribus Commune est, at ratio nominis diuersa in Æquiuocatis: vt Canis respectu Canis terrestris, Piscis marini, & Syderis Cęlestis. Analogus ille est, cuius nomen Commune est secundum prius, & posterius respectu Analogatorum, vt Sanum, respectu Animalis, Medicinæ, Dietę, ac cæterorum sanitatem causantium; Prius enim sanum dicitur de Animali, tanquam de subiecto sanitatis; posterius dicitur de Medicina, atque Dieta, tanquam de Causis Sanitatis.

9 Terminus Vniuocus duplex est, Concretus, & abstractus. Concretus est, qui formam significat concernentem subiectum: vt Album significat albedinem in ordine ad subiectum. Abstractus significat formam à subiecto metaphisicè auulsam: vt Albedo.

10 Terminus Concretus duplex est. Denominatiuus scilicet, & Denominans; Denominatiuus est, qui ab alio, tam quo ad vocis appellationem, quam quo ad rem significatam deriuatur: vt iustus à Iustitia. Dixi tam quo ad vocis appellationem, quam quo ad rem significatam; quia si horum alterum desit, non est Denominatiuus. Quapropter. Studiosus à Virtute non denominatur, quamuis ab illa deriuetur quo ad rem significatam, idem enim significat Studiosus, ac Virtuosus; quia tamen non deruinatur Studiosus à Virtute, quo ad Vocis appellationem; Denominatiuus non est. Denominans ille est à quo deriuatur Denominatiuus: vt Iustitia à qua iustus deriuatur. Hinc datur terminorum PERIQCHA.

TERMINVS.

Significans, & non Significans.

Significans.

Categorematicus, Sincategorematicus, & Catesincategoremat.

Categorematicus.

Incomplexus, & Complexus.

Incomplexus.

Communis, & Singularis.

Communis.

Limitatus, & Transcendens.

Limitatus.

Vniuocus, Aequiuocus, Analogus.

Vniuocus.

Concretus, & Abstractus.

Concretus.

Denominatiuus, & Denominans.

11 Hinc non est auscultandus Montursius, qui *tract.* 1. *Sum.cap.* 2. docet. Hos terminos. Nemo, Nihil, esse Mixtos: cum Nemo idem sit, quod nullus homo, & nihil quod nulla res. Nam secundum Dictionaria; Nemo secundum se non significat nullum hominē, sed nullum simpliciter, esto in oratione pro homine supponat. Nullus autem est terminus sincategorematicus: ergo non mixtus. Idem dicendum de *Nihil*. Pariter non est audiendus, dum de-

definiendo terminum Categorematicum inquit esse illum, qui se ipso solo, & sine additione aliquid determinatè significat; & sincategorem. cum additione. Nam si sic ergo. Nemo & Nihil sunt termini Categorematici, cum seipsis (secūdum ipsum &) sine additione significant nullum hominem, nullam rem; igitur ratio horum terminorum non ex significatione, sed ex eo, quod possunt esse subiectum, vel prædicatum se solis, vel cum Consortio est expectāda. Insuper male definit terminum complexum, & incomplexum per hoc, quod ille pluribus dictionibus, seù vocibus constet, iste vero vnica; Nam non ratione Vocum, sed Conceptus mentalis; complexi, vel incomplexi termini natura est dignoscenda. Quapropter istæ dictiones. Clemens Nonus Pontifex Maximus, non sunt terminus complexus, sed incomplexus, quia ipsis correspondet conceptus incomplexus in mente. Nec distinctio de distanti, & indistanti iuuat: nam si. A. quod est elementum grammaticale indistans, significaret hanc propositionem, Alexander est Dux, esset terminus complexus distans, quia corresponderet sibi Conceptus complexus in mente. esto secundum se esset indistans.

CAPVT II.

De Nomine, Verbo, ac Oratione.

NOmen Dialectici sic describunt. *Est vox significatiua ad placitum sine tempore, cuius nulla pars separata aliquid significat, finita, & recta.* Pro cuius Intelligentia Aduert. est quod nomen Logicum esse debet vox significatiua, vt sciamus vocem non significatiuam, seù terminum non significantem, non esse nomen apud logicos. Debet esse ad placitum, vt nomina naturaliter significantia excludantur. Duplex enim est nomen; naturale, & ad placitum. Prius est quod naturaliter significat aliquid: vt risus naturaliter gaudiū; fletus naturaliter mærorem indicant. Posterius est, quod ad primi instituto-ris arbitriū aliquod significat: vt quod risus vocetur risus ad demonstrandum gaudium, fletus vocetur fletus ad significandum mærorem, ex libito primi institutoris processit. Modo Nomen secundum logicos, debet esse significās ad Placitum. Sine tempore ad differentiam Temporis, quod cum tempore significat. Aduertas velim, aliud esse significare tempus, & aliud significare cum tempore; significare tempus est importare aliquam rem, quæ tempus representat: vt Annus, Dies, Hebdomada, lustrum, sæculum, ista enim nomina sunt, & tempus significant: At significare cum tempore est importare rem sub aliqua differentia temporis constitutam: vt doceo lego. Modo hoc non potest competere Nomini, sed bene illud. Cuius nulla pars separata aliquid significat, ad differentiam propositionis, cuius partes separatæ aliquid significant. Aduertas etiam partes nominis bifariam posse considerari; vel vt partes nominis sunt reduplicatiuè, vel vt partes sunt propositionis: si 1. modo accipiantur nihil significāt; si 2. modo aliquid valēt significare. Aut dicas; partes Nominis separatas non habere eandem significationem, quam vnitæ habebāt; habere tamen aliam, & aliā. Exemplum sit in his nominibus: Dentiscalpium, Auriscalpium, Respublica, Dominus, Paterfamilias, &c. Finita ad differentiam vocis infinitæ. Duplex enim est Vox finita, & infinita; illa est cui non anteponitur Negatio: vt Homo. Ista vero cui anteponitur negatio: vt non Homo. Illa & non hæc est nomen secundum logicum. Recta ad differentiam vocis obliquæ. Vnde hic etiam prenotes. Vocem rectā esse quæ in Casu nominatiuo ponitur: vt Petrus; obliquam vero, quæ in cæteris casibus residet: vt Petri, Petro &c. Modo secun-

cundum logicos, rectus tantum terminus sibi vendicat Nominis rationem.

13 Verbum vero taliter describunt Dialectici. *Est Vox significatiua ad placitum cum tempore cuius nulla pars separata aliquid significat, finita, & recta*. Eodem modo explicatur sicut, & Nominis descriptio. Hoc tantum notato: Verbum infinitum esse, cui anteponitur negatio: vt non doceo; finitum vero, cui non anteponitur: vt doceo. Verbum rectum esse, quod ponitur in modo indicatiuo temporis præsentis. Quæ vero in reliquis modis, temporibusque ponũtur, verba obliqua sunt.

14 Oratio est *Vox significatiua ad placitum, cuius partes separatæ aliquid significant*, ly Vox debet intelligi de Voce complexa. Dicitur significatiua ad eliminandos terminos non significantes. Dicitur ad Placitum ad excludendos terminos naturaliter significãtes. Dicitur Cuius partes separatæ aliquid significant ad differentiam Nominis, & Verbi, quorum nulla pars separata aliquid significat. Oratio est duplex Enuntiatiua, & non enuntiatiua. Enentiatiua est, in qua vnum Enuntiatur de alio affirmatiuè, vel negatiuè: vt Petrus est Homo, vel Petrus non est lapis, & ista est Propositio, de qua inferius; non Enuntiatiua est in qua nec affirmatur, nec negatur: vt *Deus det nobis suam pacem*.

CAPVT III.

De Quinque Prædicabilibus atque Decem Prædicamentis.

15 Termini limitati Communes si sibi inuicem comparentur secũdum prędicari, & subijci in quinque Prædicabilia, seũ Vniuersalia scinduntur: quæ sunt. Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens. Ad Genus pertinent omnes illi termini, qui aliquam naturam Communem pluribus essentialiter diuersis significant, & & potest per illos responderi, quando de illis pluribus quæratur quid sint: vt verbi gratia Animal, quod significat naturam Communem homini, Leoni, Boui, qui inter se essentialiter differunt si quæratur; Quid est Homo, Quid Leo? Respondetur, esse animal. Vnde taliter definitur. *Est quod prædicatur de pluribus differentibus specie in Quid*: vt animal respectu omnium animaliũ. Genus est duplex Generalissimum, & subalternum. Primum est. quod supra se aliud Genus non habet: vt substantia. Qualitas, & cętera prædicamenta, de quibus infra. Secundum est quod supra se aliud Genus habet: vt Corpus viuens, supra enim hoc datur substantia. Genus Generalissimum est ita Genus, vt species esse nequeat; Subalternum vero est Genus respectu inferiorum, & species respectu superiorũ: vt Animal respectu hominis Genus est, respectu Corporis in speciem euadit.

16 Ad speciem spectant omnes illi termini, qui numero tantum distincti, quoad esse essentiale eorum cõueniũt, per quod ab omnibus participatum, interroganti respõdetur taliter de vno, qualiter de altero: vt interrogãti Quid est Petrus? Respondetur est Homo. Quid Paulus? est Homo. Vnde species sic panditur. *Est quod prædicatur de pluribus differentibus numero in Quid*: vt homo de omnibus hominibus, Equus de omnibus equis: Species duplex est specialissima, & subalterna; specialissima est quæ sub se aliam speciem non habet: vt Homo; subalterna est, quæ sub se alias species continet: vt Animal; Vnde hæc species sic vocitatur comparatione prædicatorum ad illam superiorum.

17 Ad Differentiam pertinet omne id, quo aliqua differunt essentialiter: vt rationale, & innibile. Rationalitas enim, & innibilitas sunt id, quo essentialiter differunt Homo, & equus, necnon

ad eorum pertinent eſsentias, ita quod ſi quis cognouerit, quod tam equus, quam homo animalia ſint, & vlterius quæratur, quod nam animal ſit Homo rectè reſpondebitur, eſt Rationale. Vnde differentia tali gaudet definitione. *Eſt quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, vel numero in Quale Quid*. Datur hæc definitio per diſiunctionem (ſpecie vel numero) vt ſciremus duplicem eſse differentiam, ſubalternam ſcilicet, & infimam. Subalterna eſt qua differunt ſpecies ſubalternæ vt ſenſibile, & inſenſibile, quibus ſpecie differunt Animal, & Planta, quæ ſunt ſpecies ſubalternæ. Differentia Infima eſt qua ſpecies infimæ inter ſe diſcriminantur: vt Rationale, quo homo differt ab equo, & innibile quo equus differt ab homine. Homo enim & equus ſunt ſpecies infimæ. Et hæc tria prædicabilia Genus, ſpecies, & differentia rebus eſsentialiter conueniunt. Reliqua vero duo quæ ſequuntur, tantum per accidens debentur. igitur

18 Ad Proprium ſpectant ea, quæ eſto ſint extra eſsentiam, & rerum naturam, ſunt tamen ab eiſdem rebus inſeparabilia: vt riſibilitas in homine, rugibilitas in Leone, latrabilitas in Cane, & tali potitur definitione in ratione Vniuerſalis. *Eſt quod competit omni ſoli, & ſemper, & conuerſim, prædicatur de re, & non indicat quid eſt eſſe rei*. In ratione autem Prædicabilis ſic, *Eſt quod prædicatur de pluribus in Quale accidentaliter, conuertibiliter, & inſeparabiliter*. Non determinatur in tali definitione, ly Pluribus, an ſcilicet debeant eſse plura ſpecie, vel numero; quia definitur Proprium Commune ad infimum, & ſubalternum; hoc eſt, quod ſpeciei ſubalternæ competit: vt moueri à ſe quod proprium eſt Animalis; illud eſt, quod ſpeciei infimæ conuenit, ſeù ſpecialiſſimæ: vt riſibilitas, quæ Proprium eſt Hominis.

19 Ad Accidens reducuntur illa, quę ſunt extra eſsentiam alicuius rei, & poſsunt naturaliter, vel ſupernaturaliter ab illa re ſeparari. Dixi notanter ſupernaturaliter: quia eſtò naturaliter non ſeparentur; ſufficit tamen, quod ſaltem ſimpliciter ſint ſeparabilia. Vnde ſi tale conſideretur per modum Vniuerſalis ſic deſcribitur. *Accidens eſt quod adeſt, & abeſt ſubiecto præter ſubiecti corruptionem*: vt albedo reſpectu Parietis, ſcientia reſpectu intellectus. Si vero ratione Prædicabilis perpendatur ſic. *Eſt quod prædicatur de pluribus in Quale accidentale non conuertibile, ſed ſeparabile*. Accidens duplex eſt logicum, & phyſicum; Logicum eſt, quod eſt extra eſsentiam ſubiecti, ſiuè ſubſtantia ſit, ſiue reuera accidens: & ſic omne id, quod eſt extra eſsentiam ſubiecti eſt accidens logicum. Accidens Phyſicum, eſt quod in ſe eſt vere accidens de prædicamentorum numero accidentalium; & ſic ſunt omnia accidentia nouem Prædicamentorum, Nec de hoc currit illud Ariſtotelicum adagium. *Quod in ſe vere eſt nulli accidit*, ideſt nulli accidit phyſicè, ſed bene logicè. Vt autem Generum, ſpecierumque diſpoſitionem attingatis, arborem infraſcriptam à logicis adinuentam retinete.

Ens

Ens	Res	Vnum
Bonum	Aliquid	Verum
Corporea.	Substantia.	Incorporea.
Animatum.	Corpus.	Inanimatum.
Sensibile.	Animatum.	Insensibile.
Rationale.	Animal.	Irrationale.
Andronicus.	Homo.	Titiuilitius.

Sic disponuntur res in vna quaque Cathegoria Prædicamenti. Series autem Prædicamentorum sunt decem, de quibus infra.

20 Prædicamentum igitur est coordinatio multarum quidditatum secundum sub, & supra positarum: vt coordinatio supradicta; qua species infimæ subordinantur Generi intermedio, seù speciebus subalternis, & hæ Generi Generalissimo, vocatur Prædicamentum Substantiæ. Prædicamenta autem secundum commune placitum decem enumerantur, scilicet Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Vbi, Quando, Situs, & Habere. Quæ omnia hoc Distico exprimuntur.

Arbor, Sex, Seruos, Feruore, Refrigerat, Vstos;
Ruri, Cras, Stabo, nec tunicatus ero.

Si verò exoptas quid sint? A propria Pędia petas, & in proprioloco reperies.

CAPVT IV.

De Terminorum Suppositionibus.

21 SVppositio est, *acceptio termini pro se, vel pro suo significato*: vt in hac propositione. Homo est Animal. Homo supponit pro re significata: sicut in hac propositione. Homo est vox bisyllaba. Supponit pro se ipso. scilicet pro voce Hominis. Hinc duplex est suppositio, materialis, & formalis; Materialis est, quando terminus supponit pro se ipso; formalis autem quando supponit pro suo significato: vt in supradicto exemplo patet. Suppositio formalis est duplex. Propria, scilicet & similitudinaria. Propria est, quando terminus supponit pro suo significato proprio: vt Leo pro animali rugibili. Similitudinaria est, quando terminus supponit pro suo simili: vt quando Leo accipitur pro Christo. *Vicit Leo de tribu Iuda, &c.* Suppositio propria est Duplex, Simplex, & Personalis; Simplex est acceptio termini Communis, pro suo tantum immediato significato: vt Homo est Species; ly Homo supponit simpliciter, quia accipitur pro Homine in communi. Personalis est acceptio termini pro vno tantum mediato significato: vt Homo currit. Ly Homo non supponit pro homine in communi, sed pro aliquo particulari currente. Suppositio Personalis est duplex, scilicet Personalis pro singulis Generum, & Personalis pro Generibus singulorum. Prima est quando terminus communis supponit pro omnibus omnino Indiuiduis sub illo termino communi contentis: vt omnis homo est Risibilis. Secunda est quando terminus Communis sup-

ſupponit pro omnibus ſpeciebus ſub aliquo Genere contentis, vel pro maiori parte Indiuiduorum: vt omne animal fuit in Arca Noe, Vel omnes in Adam peccauerunt. Omnes naſcimur filij Iræ; nam in prima comprehendũtur ſpecies; in ſecunda includũtur omnia Indiuidua ſpeciei humanæ, exceptis Chriſto, & Deipara. Hinc duplex adhuc eſt ſuppoſitio. Exceptiua, & Collectiua. Prior eſt quando terminus Communis ſupponit pro omnibus Indiuiduis aliquibus exceptis: vt conſtat in ſupradicto exemplo. Poſterior eſt quando terminus communis ſupponit pro omnibus ſimul ſumptis: vt omnes Apoſtoli ſunt duodecim: terminus ille (Apoſtoli) ſupponit collectiuè; quia verè affirmatur de omnibus ſimul, quod ſint duodecim; non verò diuiſim; nam Petrus, & Paulus ſunt Apoſtoli, & tamen non ſunt duodecim.

CAPVT V.

Quid, & Quotuplex ſit Propoſitio.

22 PRopoſitio eſt *Oratio enuntiatiua vnius de alio.* Vel *Eſt oratio verum, vel falſum ſignificans indicando*; Sed hanc non approbo, cum ſit potius diuiſio, quam definitio, quæ à diuiſione debet præſcindere. Hinc duplex eſt Propoſitio. Affirmatiua, & Negatiua. Affirmatiua eſt illa, in qua prædicatum affirmatur de ſubiecto: vt Homo eſt animal. Negatiua eſt illa, in qua prædicatum negatur de ſubiecto: vt Homo non eſt lapis. Vtraque duplex eſt, vera, & falſa; Vera eſt quando prædicatum conuenit ſubiecto affirmando, vel negando: vt Homo eſt animal, Homo non eſt lapis. Falſa eſt quando prædicatum repugnat ſubiecto affirmando, vel negando: vt Homo eſt lapis, vel Homo non eſt animal.

23 Propoſitio adhuc duplex eſt Cathegorica, & Hypothetica. Prior eſt quæ conſtat ex ſubiecto, prædicato, & Copula, tanquam ex partibus principalibus ſui, vt liquet in ſupradictis exemplis. Poſterior eſt quæ conſtat ex duabus cathegoricis, tanquam ex partibus principalibus ſui: vt ſi tu curris, tu moueris. Cathegorica triplex eſt, ſcilicet de tertio adiacente, de Verbo adiectiuo, & de Verbo ſubſtantiuo. De tertio adiacente tunc eſt, quando poſt copulam ſequitur Prædicatum: vt Homo eſt animal. De Verbo adiectiuo, quando fit per Verbum adiectiuum: vt Homo ſtudet; quæ reſſoluitur per ſuum participium. Homo eſt Studens. De Verbo ſubſtantiuo, quando fit per Verbum ſubſtantiuum: vt Deus eſt, & reſſoluitur Logicè per ſuum participium à Logicis adinuentum, Deus eſt ens &c.

24 Propoſitio Hypothetica eſt Quadruplex, ſcilicet Conditionalis. Copulatiua, Diſiunctiua, & Illatiua. Conditionalis eſt quæ fit per conditionem Si: vt ſi veneris, coronaberis Copulatiua eſt quæ fit per Copulam Et: vt Petrus ſedet, & Paulus ſcribit. Diſiunctiua eſt, quæ fit per diſiunctionem Vel: vt Sortes legit, vel diſputat. Illatiua eſt, quæ fit per illationem Ergo: vt Petrus currit: ergo mouetur.

25 Propoſitio Cathegorica adhuc triplex eſt, ſcilicet de Materia neceſſaria, de Materia contingenti, & de Materia remota. De Materia neceſſaria eſt in qua Prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti, vel proprium eius: vt Homo eſt animal, eſt riſibilis. De Materia Contingenti eſt in qua prædicatum eſt accidens ſubiecto: vt Homo eſt albus. De Materia remota eſt in qua prædicatum repugnat ſubiecto: vt Homo eſt lapis.

26 Propoſitio Cathegorica vlterius quadruplex eſt. Vniuerſalis, Particularis, Indefinita, & Singularis. Quæ vt præcipiantur, prænotandum eſt, quatuor eſſe terminos ſincategorematicos

cos Propositionum Quantitati deseruientes, scilicet Omnis, Nullus, Quidam non, Aliquis; quorum primi duo vocantur signa Vniuersalia; & alia duo Particularia. Hoc notato. Propositio Vniuersalis tunc est, quando eius subiectum est terminus Communis signo Vniuersali determinatus; vt Omnis homo est mendax. Particularis est, quando subiectum est terminus Communis signo particulari determinatus: vt aliquis homo non est mendax. Indefinita est quando subiectum est terminus Communis nullo signo determinatus: vt homo est mendax. Singularis est, quando subiectum est terminus singularis, vel terminus communis signo demonstratiuo præsignatus: vt Petrus est viuens. Vel hic homo currit.

27 Quia verò harum omnium Propositionum, quædam spectant ad substantiam, Quædam ad Qualitatem, & Quædam ad Quantitatem. Hinc aduertatis, propositionem quo ad substantiam significari à Categorica, vel Hypothetica: Vnde ad Interrogationem factam per Quæ, quæ substantiam petit, respondetur, Categorica, vel hypothetica. Propositionem quoad Qualitatem significari ab affirmatione, vel negatione, quæ qualitates Propositionis sunt; atque adeo ad Interrogationem factam per Qualis, quæ Qualitatem indicat, respondetur, Affirmatiua, vel Negatiua. Propositionem vero quo ad Quantitatem significari ab extensione subiecti, quæ fit per Vniuersalitatem, Particularitatem, Indefinitatem, & Singularitatem; atque adeo ad Interrogationem factam per Quanta, per vnam ex prædictis est occurrendum. Hinc Carmen.

Quæ? Ca, Vel Hip.
Qualis? Ne Vel Af.
V. Quanta? Par, In, Sin.

CAPVT VI.

De Modis Sciendi.

28 MOdus sciendi *est oratio alicuius ignoti manifestatiua*, scilicet est oratio, quæ potest deducere significationem aliquam alicuius rei, quæ alias non esset nobis tam nota. Triplex autem est huiusmodi oratio, scilicet Definitio, Diuisio, & Argumentatio. Si res ignota sit quid cōplexum: vt Homo est animal, tunc per argumentationem nobis manifestatur, quomodo de tali re censendum sit: Si vero res ignota sit quid incomplexum: vt Homo, & ignoretur quid sit, tunc explicatur per definitionem. Si denique sit quid incomplexum, nosque lateat quotuplex sit, tunc nobis manifestatur per diuisionem. De his igitur modis nunc discurremus.

29 Definitio, Primus Modus sciendi est *oratio indicans naturam definiti*: idest, est oratio manifestatiua, declaratiua essentiæ definiti. Definitio quadruplex est, scilicet Quidditatiua, Descriptiua, Quid nominis, & Causalis. Quidditatiua est oratio, quæ indicat quid est esse rei per essentialia: vt Animal Rationale, est definitio quidditatiua hominis; quæ vt sit bona tribus gaudet Conditionibus. Prima quod competat soli definito. Secunda quod competat omni contento sub definito. Tertia quod constet ex Genere, & Differentia. Quæ conditiones reperiuntur in recensita Hominis definitione. Definitio descriptiua est oratio indicans quid est esse rei per accidentalia propria, vel Communia: vt dicendo Homo est animal disciplinabile, risibile, Scientiarum Capax, &c. Quid nominis est interpretatio Nominis: vt dicendo Homo dicitur ab humo. Causalis est oratio, Indicans quid est esse rei per suas causas: vt dicendo. Homo est animal à

Deo creatum ex Animâ, & Corpore constans propter felicitatem æternam. In qua omnes causę hominis exprimuntur.

30 Aduertatis velim, omnem definitionem semper esse intelligendam aptitudinaliter, non actualiter; & quamquam detur per actum, est tamen semper supplenda per aptitudinem. Genus est quod Prædicatur &c. sic intelligitur. Genus est, quod est aptum natum prædicari; & hoc notandum valet, tam pro rebus Logicis, quam Physicis.

31 Secundus sciendi Modus est Diuisio, quæ est *Oratio totum in suas partes distribuens*: vt si diuidatur substantia, alia corporea, alia incorporea. Totum quod diuiditur vocatur diuisum; & partes, in quas diuiditur, vocantur membra diuidentia. Quatuor conditiones requiruntur ad bonam diuisionem. Prima, vt vnum ex membris diuidentibus non includatur in alio; defectu cuius malè diuiditur substantia in mixtam, & rationalē: quia substantia rationalis est mixta. Atq; adeo dici solet, diuisionem deberi dari per opposita. Secunda vt singula membra diuidentia sint inferiora diuiso; vnde malè diuiditur animal in sensibile, & mobile: quia sensibile æquè latè patet, ac animal. Tertia quod omnia membra diuidentia exhauriant totam quidditatem diuisi, ita quod nihil sit in diuiso, quin sit in membris diuidentibus; defectu cuius non valet; elementorum aliud terra, aliud ignis, aliud aer; aqua non enumerata, quæ quartum est elementum. Quarta est, quod diuisio fiat per membra proximè diuidentia; defectu cuius, non esset perfecta diuisio substantiæ in rationalem, & irrationalem, quia non immediatè diuiditur substantia in illa membra. Hinc habes, vulgatam diuisionem Animalis in rationale, & irrationale rectam esse, quia his omnibus patitur conditionibus, vt speculanti constat. *Diuisio duplex est*. Per se, & per accidens. Per se triplex est, Generis in suas species: vt animalium aliud Homo, aliud Brutum. Secunda est, totius in suas partes, vel essentiales: vt Homo in Animam, & Corpus; vel integrales vt homo in Caput, Brachia, pedes &c. Tertia est æquiuoci in sua æquiuocata: vt Canis in Cęlestem &c. Per accidens est triplex: subiecti in accidentia: vt animalium aliud album, aliud nigrum. Secunda accidētis in subiecta, vt alborum aliud bos, aliud equus. Tertia accidentis in accidentia, vt alborum aliud dulce, aliud amarum.

CAPVT VII.

De Argumentatione, eiusque Speciebus. Necnon Structura Syllogistica.

32 ARgumentatio est *Oratio, in qua vnum ex alio infertur*. Ex qua definitione, colligitur, tria ad argumentationem requiri, scilicet. Id ex quo aliquid infertur; illud quod ex ipso infertur; & Iudicium quo iudicatur vnum inferri ex alio. Illud ex quo aliud infertur, vocitatur Antecedens. Illud quod infertur, dicitur Consequens. Iudicium vero, quod vnum inferatur ex alio, dicitur Consequentia, quæ denotari solet per particulam illatiuam, Ergo: vt dicendo. Homo est animal: ergo est substantia. Prima propositio dicitur antecedens. Secunda consequens; ista autem connexio antecedentis cum consequente per particulam, Ergo, dessignata, dicitur Consequentia. Vnde in hoc distinguitur consequens à Consequentia, quod consequens illud dicitur, quod iudicatur sequi. Consequentia vero dicitur ipsum sequi. Hinc aliquando Consequens potest esse verum, consequentia falsa: vt Petrus ambulat: ergo est risibilis: verum est, Petrum esse risibilem, non tamen est verum, ex eo quod ambulat. Et è contra, aliquando Antecedens,

dens,

dens, & consequens sunt falsa, & Consequentia vera: vt Homo habet alas: ergo potest volare; Propositiones omnes sunt falsæ. Consequentia autem est vera; nam ex eo quod homo habet alas, potest volare.

33 Argumentationis Quatuor sunt species. Syllogismus, Enthimema, Inductio, & Exemplum. Syllogismus est *oratio in qua quibusdam positis necesse est aliud accidere per ea, quæ posita sunt*. Dicitur, oratio in qua quibusdam positis, quia duæ debent esse Præmissæ, quę simul sumptę habēt rationē Antecedētis. Dicitur. Necesse est aliud accidere &c. vt sciamus, quod positis illis præmissis sequitur Conclusio, quæ accidere dicitur in syllogismo, eo quia sine Conclusione saltem explicita, possunt esse præmissæ: vt dicendo, omne animal rationale est substantia; sed omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est substantia. Pro tamen vberiori intelligentia.

34 Notandū est Syllogismi materiam esse duplicem, remotam, & proximam. Primam sunt tres termini; quorum vnus, qui Conclusionem non ingreditur, reperiturque semel in maiori, & semel in Minori, medius terminus vocitatur; Alius vocatur maior extremitas, & est ille terminus, qui coniungitur cum medio termino in maiori propositione ex parte Prędicati. Alius nominatur minor extremitas, & est qui coniungitur cum Medio termino in Minori propositione ex parte subiecti. Maior, & Minor extremitates simul in Conclusione reperiuntur. Secunda sūt tres propositiones, quarum Vna vocatur Maior, alias Minor, & Tertia Conclusio, quia ex illis deducitur, & extremitatibus clauditur Maioris, & Minoris. Maioritas autem, vel Minoritas Propositionis non ab eminentiori, nec inferiori loco, nec à priori, vel posteriori prolatione petenda est, cum in mentali syllogismo successio non detur Propositionum, cum omnes simul apprehendantur; sed à Medio, & à Maiori, vel Minori extremitate, propositio Maior, vel Minor dicitur, siuè primo loco proferatur, siuè non. Vnde Maior propositio illa est in qua Medium est subiectum, & alia extremitas Prædicatum. & Minor Propositio illa est in qua Medium est Prædicatum, & alia extremitas subiectum. Modo extremitas prædicans de Medio, quia prędicari dicit Maioritatem, maior extremitas dicitur, & propositio ab ipsa terminata, Maior appellatur. Extremitas autem subiacens Medio, Minor dicitur, quia subiectum minoritatem præsefert, & propositio ab ipsa terminata, Minor noncupatur. Totum hoc ex Aristotele colligitur, dum 1. Priorum *capit*. 4. inquit. *Dico autem maiorem extremitatem quidem in qua Medium est; minorem vero, quæ submedio est*, idest illa est maior extremitas constitutiua maioris propositionis sub qua Medium est, tāquam subiectum: illa vero est Minor extremitas minoris propositionis constitutiua, de qua prædicatur Medium. Hinc deducas primo, implicare, in Maiori propositione Medium prædicari, cum de necessitate sit, vt ab intrinseco sit Maior, Medium esse subiectum. Deducas secundo, in secunda, & tertia figura nō dari Maiorem propositionem intrinsecè loquendo, cum in istis Mediū sit vel in vtraque subiectum vel in vtraque Prædicatum; esto extrinsecè, & quo ad Nos Maior dicatur quæ Maiorem locum, & Minor quæ Minorem, occupat. Deducas 3. Quod in prima Figura si Maior secundo loco profe, tur, adhuc erit Maior, & Minor primo loco erit Minor. quia inquit *Scot. inf. cit.* Propter solam transpositionem, non peruenit diuersitas alicuius propositionis &c.

35 Notandum secundo. Formam syllogismi esse duplicem, vna quæ respicit terminorum dispositionem, &

hæc vocatur Figura, alia quæ respicit dispositionem Propositionum, & ista Modus syllogismi vocatur. Quare tunc erit perfectus syllogismus, quando dispositus erit in Modo, & Figura. Vtraque tamen dispositio accidentaria est syllogismo, cum eius forma essentialis sit simpliciter Connexio, seù Coordinatio Terminorum, & Propositionum, iuxta definitionem. In qua quibusdam positis, idest connexis, & coordinatis. Dispositio vero terminorum, ac Propositionum sic, vel sic, est forma accidentalis syllogismi. Atque adeo si essentialiter loquamur, Vnica est figura syllogismi, quia Vnica est specifica cõnexio terminorum, *& propositionum essentialis fundata in illo axiomate. Quæ conueniunt, vel identificantur vni tertio, conueniunt, vel identificantur inter se.* Si autem accidentaliter loquamur, tũc triplex tantum est syllogismi Figura, cum tripliciter tantum contingat variari, terminorum, ac propositionum Dispositio. Nam vel Medius terminus disponitur sic vt sit subiectum in Maiori, & Prædicatum in Minori, & sic erit prima Figura: vt omne honestum est laudabile; sed omnis Virtus est honesta, ergo omnis Virtus est laudabilis. Vel Medius terminus disponitur sic, vt sit Prædicatum in vtraque Propositione, & tunc erit Secunda Figura: vt nullum Vitium est laudabile; sed omnis Virtus est laudabilis: ergo nulla Virtus est Vitium. Vel medius terminus disponitur sic, vt in vtraque præmissa subijciatur, tunc erit tertia Figura: vt omne malum est Fugiendum; sed aliquod malum est dulce: ergo aliquod dulce est fugiendum. hæ figuræ hoc disticho comprehenduntur.

Prima subest, & præbis prædicat altera; sed bis
Tertia vult Medium ritè subesse suum.

36 Huiusmodi (inquam) dispositio accidẽtaria est syllogismo, & extranea; tum quia cum syllogismi essentia sita sit in connexione terminorum, & propositionum tantum, à dispositione formaliter præscindit; tum etiam quia idẽ syllogismus migrare potest de vna dispositione figurarum ad aliam alterius figurę; seruatis reductionum Regulis à Dialecticis adinuentis; quorum dogmata, quia rarissimè vtilia sunt, imo potius ad inuertendum Caput, quam ad erudiendum, inseruiunt, omissa facio, videnda tamen in millenis Auctoribus.

CAPVT VIII.

Exploditur Quarta Figura à Montursio ad Aristotelis Mentem enixè defensa.

37 Hinc Montursius *Tract. 3. Summul. cap.* 18. Quartam edocendo figuram, figuram detrahit suæ Fidelitati, quam Aristoteli, Scoto, sibi ipsi, Veritatique profitetur: cum ab his omnibus Quartam tuendo figurã, seu terminorum dispositionem, recedit. Recedit (inquam) ab Aristotele, nam hic *primo* Priorum docet, necesse esse, omnem syllogismum per tres figuras recensitas, tantum esse disponẽdum. Nec prodest adducere ex Aristotele suam ante prædicamentalem Regulam. Quando alterum de altero &c. quia ex hac tantum colligimus, posse sic confici syllogismum, vt Medium sit Prædicatum in prima propositione, & subiectum in secunda propositione; nõ tamen vt in figura à prima distincta, sed vt in eadem prima figura confectũ, vt omnis Homo est animal; omne animal est substantia: ergo omnis homo est substantia. Nonne hic syllogismus est in prima Figura? Medius enim terminus idest Animal est subiectum in Maiori, & prædicatum in Minori, nam Maior Propositio est hæc omne animal est substantia, & Minor hæc omnis

homo

homo est animal, esto hæc primo illa vero secundo loco proferantur, iuxta doctrinam in antecedenti Capite libatam. igitur &c. Recedit a Scoto nam hic *lib.1.priorum q.* 34. quærit. Vtrum omnis syllogismus fiat in aliqua trium figurarum. Et post argumenta in Contrariũ, inquit, *oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo.* Signum euidens, contradicere Scoto, qui asserit aliam figuram à tribus esse de mente Aristotelis. Insuper ipse Scotus loco cit. ad probandam suam Quartam Cõclusionem, hæc verba profert. *Solum tribus Modis potest fieri debita ordinatio respectu extremorum secundum subiectionem, & prædicationem: igitur tres erunt figuræ &c. & nõ plures consequentia tenet quia hoc intelligimus per figuram. Antecedẽs apparet, quia vel medium subijcitur in vtraque, vel prædicatur in vtraque, vel subijcitur in Minori, et prædicatur in Maiori. Nec oportet istud tertium mẽbrum subdistinguere, sicut arguebatur &c. quia propter solam transpositionem non peruenit diuersitas alicuius præmissæ, nec Conclusionis, & per consequens nec figuræ, & ideo concedendum est istum syllogismum fieri in prima figura. omne. C. est B. & omne. B. est A. ergo omne C. est A. Quia permissis transpositis est manifeste prima Figura.* Hæc Scotus. Quis amabò est tam ingenio hebes, quod non percipiat Scotũ ab hac figura abhorrere, ergo à Scoto recedit, qui à communi placito Figurarum recedit. Et quamquam Scotus dicat. Prædicatur in Maiori, non est intelligendus intrinsecè, sed extrinsecè, & quo ad Nos, nã intrinsecè implicat in Maiori propositione, Medium terminum prædicari, cum debeat subijci; vt superius diximus; imo ex illis verbis deducitur Scotum, tam primam, tam quartam terminorum dispositionem pro eadem accepisse, dum nominat quartam, & primam conticet: vt speculanti liquet.

Dicet Fortassis Mõtursius, Librum illum non esse Scoti: cum in Epistola ad lectorem, librum hunc non enumerauerit. Proh indigna tãto Viro respõsio; labores Scoti negare, vt suam potuit opinionem sine labore sustentare. Est enim Scoti: vt fideliores Scoti Scotistæ autumnant, & amplectuntur, citantq; ipsum pro se ipsis, pluribus in locis.

38 Recedit à se ipso, nam anterius *cap.3.* iam docuerat non dari quartam figuram, dixerat enim. Ex diuersa habitudine Medij ad extremitates insurgit diuersitas figurarum. Cum igitur tantum tribus modis varietur huiusmodi habitudo, hinc sequitur dari dũtaxat tres figuras, in quibus possit confici diuersitas syllogismorum. Testem voco ipsum Montursium, vt dicat an à seipso recedat, dum hic tantum tres habitudines Medij ad extremitates, & alibi quatuor agnoscat. Si enim intentionem habebat dandi huiusmodi figuram, loco tantum, dicere tenebatur, communiter, quod sic saluari posset.

39 Recedit ad ipsa Veritate tãdem. Nam secundum rei Veritatem illa est prima Figura, in qua Medium est subiectum in Maiori, & Prædicatum in Minori; sed illa quæ dicitur Quarta Figura, habet Medium subiectum in Maiori, & Prædicatum in Minori, ergo illa Figura, quæ dicitur Quarta, erit Prima. Maior est Certa. Minor ostenditur in hoc argumẽto Aristotelico. omne C. est B. sed omne B. est A. ergo omne C. est A. Medium est B. quod tamen subijcitur in Maiori, & prædicatur in Minori. Maior est hæc Aristotelicè loquendo, non vulgarirer, nec puериliter, Omne B. est A. & Minor hęc. Omne C. est B. iuxta doctrinam superius exaratam; ergo illa, quæ dicitur, Quarta Figura habet Medium subiectum in Maiori, & Prædicatum in Minori. Hũc quidem subtilitatis gradum Montursius non attigit; nam si attigisset, non dixisset in probatione suæ Conclusionis

nis. In Quarta vero Medium dicit habitudinem prædicati in Maiori, & subiecti in Minori. Quod pleno ore negamus.

CAPVT IX.

De Modis Syllogismi, & Figurarum.

40 MOdus igitur Syllogismi est *recta dispositio Propositionũ secundum Qualitatem, & Quantitatem.* Et est multiplex in qualibet Figura. Nouem in Prima. Quatuor in secunda. Sex in tertia, & omnes sic enumerantur.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baraliptum,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Fricecomorum,
Cesare, Camestres, Festino, Barocco, Darapti,
Felaptum, Disamis, Datisi, Brocardo, Ferison.

41 Vt autem horum natura percipiatur; Notandum est; in quolibet istorum Modorum reperiri tres aliquas Vocales ex his quatuor, A.E.I.O. per quas significantur Propositionum Quantitas, & Qualitas, vt A. significat propositionem Vniuersalem affirmatiuam. E. Vniuersalem negatiuam. I. Particularem affirmatiuam. O. particularem Negatiuam. Hinc Carmen

Asserit A, Negat E, sed Vniuersaliter ambæ.
Asserit I, Negat O, sed Particulariter ambæ.

41 Hinc patet, quomodo formari potest syllogismus in quacumque Figura: nam vt fiat in Barbara primo modo primæ Figuræ, quia in Barbara sunt tria. A. syllogismus in Barbara cõfectus constare debet ex tribus propositionibus vniuersalibus affirmatiuis: & quia in syllogismo primæ Figuræ debet medius terminus in Maiori esse subiectum, & in Minori prædicatum, ideo sic disponitur. Omne animal rationale est risibile; omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis. Similiter si fiat syllogismus in Celarent. Maior propositio, quæ significatur per E. debet esse Vniuersalis negatiua. Minor, quæ significatur per A. debet esse Vniuersalis affirmatiua, & Conclusio, quæ per E. designatur, debet esse Vniuersalis Negatiua. Vos ex vobis porrigite Exemplum, tam de hoc, quam de reliquis.

42 Vt vero syllogismus fiat in Cesare, qui est Primus Modus secundæ figuræ, debet obseruari, quod Cesare constat ex duplici. E. & vno A. designantibus tres propositiones Vniuersales, duas negatiuas, & vnam affirmatiuam, & quia syllogismus in secunda figura vult medium terminum bis prædicari, ideo sic erigitur. Nullum animal est lapis, sed omnis Chrysolitus est lapis; ergo nullus Chrysolitus est animal. Ita discurrendum est de reliquis.

43 Vt autem syllogismus fiat in Darapti, qui est Primus Modus tertiæ figuræ, summere oportet duas propositiones Vniuersales affirmatiuas, & vnam particularem affirmatiuã iuxta litteras A. A. & I. & quia tertia figura disponit medium terminum bis ex parte subiecti, sic erigitur. Omnis homo est animal, omnis homo est risibilis: ergo aliquod risibile est animal. Ita suo modo erigatis reliquos, tã directè, quã indirectè concludentes: Videtur enim mihi puerascere, dum multum immoror in his syllogismis conficiendis.

CAPVT X.

De Regulis Communibus omnium Figurarum: Nec non de Regulis Figurarum in Particulari.

44 PRima Regula. Ex duabus Propositionibus negatiuis nihil infertur: vt Nulla arbor est Animal, nullus

nullus homo eſt arbor: ergo nullus homo eſt animal. Concluſio eſt falſa, & tamen præmiſſæ ſunt Veræ: quia error oritur ex his propoſitionibus Negatiuis. Secunda Regula. Ex duabus premiſſis particularibus in nulla figura poteſt confici bonus Syllogiſmus, ſiuè ſint particulares affirmatiuæ, ſiuè negatiuæ. Vnde non valet. Aliquis homo eſt iuſtus; aliquis iniuſtus eſt Homo. Ergo aliquis Iniuſtus eſt Iuſtus. Non valet propter particularitatem premiſſarum. Tertia Regula. In omni figura Concluſio ſequitur debeliorem partem. Vnde ſi aliqua ex præmiſſis eſt Negatiua, Concluſio erit Negatiua; ſi aliqua erit particularis, Concluſio erit particularis. Particularis enim cenſetur eſſe debilior Vniuerſali, & Negatiua debilior affirmatiua. Quarta Regula. Medius terminus, neque ſecundum partem, neque ſecundum ſe totum debet ingredi Concluſionem. Vnde non valet. Omnis arbor differt ab homine; Nullum rationale differt ab homine: ergo nullum rationale differt ab Arbore. Conſequentia non eſt bona, quia medius terminus, ſaltem ſecundum ſui partem, Concluſionem ingreditur, ſcilicet ſecundum illam (differt) quod in Concluſione repetitur. Quantum verò ad Regulas figurarum in Particulari. Prima figura habet duas Regulas. Prima eſt, quod Maior debet eſſe Vniuerſalis. Secunda, quod Minor ſemper ſit affirmatiua. Quare vtraque eſt vera, quando directè concluditur, vt conſtat in primis quatuor Modis. Vnde ſcias, duplicem eſſe Prædicationem, directam, & indirectam; hæc eſt quando ſubijcitur id, quod prædicari debebat; illa verò eſt quando ſubijcitur id, quod ſubijci debet, & prædicatur id quod debet prædicari. Hinc datur Concluſio directa, & indirecta. In priori prædicatur Maior extremitas de Minori in ipſa Concluſione, hincque directa dicitur, & hæc reperitur in quatuor Modis, primæ figuræ. Concluſio indirecta tunc eſt, quando Minor prędicatur de Maiori in ipſa Concluſione; & hæc reperitur in reliquis Primæ Figuræ. Vt in Baralipton. omne animal eſt ſubſtantia; omnis homo eſt animal, ergo quædã ſubſtantia eſt Homo. De reliquis Conſule Expoſitores. Secunda Figura etiam habet duas Regulas. Prima quod Minor ſit Vniuerſalis. Secunda, quod altera præmiſſarum ſit Negatiua. Tertia tandem Figura, habet alias duas Regulas. Prima, quod Minor ſit affirmatiua. Secunda, quod Concluſio ſit Particularis.

CAPVT XI.

De Enthymemate, Inductione, & Exemplo.

45 ENthymema eſt *Argumentatio in qua ex vna tantum propoſitione alia deducitur*. Vnde ſolet appellari Syllogiſmus imperfectus; nam deeſt illi vna propoſitio, ſiuè Maior, ſiuè Minor. Prima autem ex his propoſitionibus dicitur Antecedens, ſecunda Conſequens appellatur: vt Petrus Currit: ergo mouetur. Et iſta argruendi ſpecies in Scotico Palladio eſt celebris. Inductio eſt, *à ſingularibus ſufficienter enumeratis ad Vniuerſale Progreſſio mediante hac particula, & ſic de cæteris, vel alia ſimili*: vt dicendo. Petrus eſt riſibilis, Antonius eſt riſibilis, & ſic de cæteris: ergo omnis homo eſt riſibilis. Exemplum eſt *argumentatio, in qua ab vno ſingulari, vel pluribus per imperfectam inductionem proceditur ad probandum aliquod ſingulare ratione ſimilitudinis, & proportionis, quæ inter illa duo reperitur*: vt Aiax propter iram inſanitus eſt: ergo ſi tu iraſceris, inſanies. Vel Chriſtus paſſus eſt, vt Regnum intraret Cœlorum; ergo & nos pati decet, ſi ad Cœlum tendere cupimus. Sed quia Syl-

Syllogiſmus inter argumentationis ſpecies eſt Princeps; illo iam exarato, ſuperſunt eius ſpecies exarandæ. Vnde ſit ſequens Caput .

CAPVT XII.

De Speciebus Syllogiſmi in Communi .

46 SYllogiſmus in Communi tres ſub ſe continet Species , quæ ſunt Demonſtratiuus, ſeù Scientificus; Topicus , ſeù Probabilis; Sophiſticus , ſeù Falſarius. Syllogiſmus Demonſtratiuus generat Scientiam , Probabilis opinionem,Sophiſticus falſitatem. Demõſtratiuus eſt,qui conſtat ex propoſitionibus Veris, & neceſſarijs : vt omne animal eſt Corpus ; ſed Homo eſt animal:ergo eſt Corpus . Topicus eſt,qui conſtat ex propoſitionibus opinabilibus, quæ ſcilicet apud aliquos ſunt veræ, & apud aliquos ſunt falſę: vt omnis Mater diligit filium ſuum; Catherina eſt Mater;ergo diligit Filium ſuum. Sophiſticus eſt qui conſtat ex propoſitionibus apparentibus veris , ſed non exiſtentibus: vt Quiſquis currit, habet pedes; Atheſis currit . Ergo habet pedes. De Demonſtratiuo diſcurremus in calce Pędiarum . De Topico, & Sophiſtico, aliqua dicemus .

CAPVT XIII.

De Locis Topicis ; & Primo de Intrinſecis .

47 OB Maiorem intelligentiam, & facilitatem Syllogiſmi topici, ſeù opinatiui, operepretium eſt, aliquam dare notitiam Locorum Topicorum , ex quibus Media deſſumi poſſunt ad faciendos huiuſmodi Syllogiſmos . Locus Topicus eſt : *Sedes argumenti , ſiuè Medij termini , qui ad probandam Concluſionem deſſumitur .* Diuiditur autem locus topicus in intrinſecum , & extrinſecum ; hic eſt, qui extra naturam rei eſt , ducit tamen in cognitionem rei : vt Auctoritas Patrum, vel ſacræ Scripturę : ille eſt , qui intrinſecus eſt rei , ac in ipſa re reperitur;& iſte duplex eſt; alter à ſubſtantia, alter à Concomitantibus ſubſtantiam. Primus eſt , quando argumentum ſumitur ab his,quę ſunt de ſubſtantia terminorum in Concluſione ; Secundus eſt , quando argumentum ſumitur ab his , quæ ſequuntur terminos poſitos in Concluſione . Locus à ſubſtantia , alter à definitione,qui eſt habitudo definitionis ad definitum , & hic locus continet quatuor argumenta , & quatuor Maximas . Primum argumentum eſt,quando ſubijcitur definitio affirmatiuè: vt animal rationale currit : ergo homo currit . Maxima . *Quidquid prædicatur de definitione prædicatur de definito .* Secundum , quando Definitio prædicatur affirmatiuè : vt Sortes eſt animal rationale: ergo eſt Homo . Maxima. *De quocumq; prædicatur definitio, prædicatur definitum .* Tertium eſt,quando ſubijcitur definitio negatiuè: vt animal rationale non eſt lapis : ergo Homo non eſt lapis. Maxima . *A quocumque remouetur Definitio , & Definitum .* Quartum . Quando Definitio prædicatur negatiuè : vt lapis non eſt animal rationale ; ergo non eſt homo . Maxima . *De quocumque non prædicatur Definitio , nec Definitum .* Alter locus à ſubſtantia eſt à Deſcriptione, qui eſt habitudo deſcriptionis ad deſcriptum ; continet & hic quatuor argumenta , & quatuor Maximas , ſicut locus à Definitione : mutato vocabulo in deſcriptionem . Locus à Concomitantibus ſubſtantiam, eſt vel à toto, vel à Cauſa, vel à Generatione, vel à Corruptione, vel ab Vſibus, vel à Communiter accidentibus . Locus à toto ; alter eſt à toto Vniuerſali . Alter à toto integrali . Alter à Quantitate . Alter à Propoſitione Vniuerſali , quæ afficitur ter-

termino Sincategorematico Vniuersali. Locus à toto vniuersali est habitudo totius Vniuersalis ad suas partes obiectiuas, & inferiores; continet duo argumenta, & duas Maximas. Primum est, quando totum Vniuersale ponitur Negatiuè, vt Homo non est lapis: ergo Petrus non est lapis. Maxima. *Quidquid remouetur à Superiori, & ab inferiori*. Secundum argumentum. Quando totum vniuersale ponitur affirmatiuè: vt Homo est animal: ergo Petrus est animal. Maxima. *Quidquid prædicatur de Superiori, & de inferiori*. Locus à toto integrali est habitudo totius Integralis ad suas partes; Continet vnum argumentum, & vnam Maximam. Argumentum est: est Domus. Ergo & fundamenta, tecta, parietes &c. Maxima. *Posito toto integrali ponitur, & qualibet eius pars*. Locus à Quantitate, seù à propositione Vniuersali, est habitudo totius Quantitatis ad suas partes; & continet duo argumenta; & vnam Maximam. Primum est. Nullus homo est lapis: ergo quidam homo non est lapis. Maximam. *Si propositio Vniuersalis est vera, & eius particularis*. Secundum est. Omnis Homo est animal, ergo quidam homo est animal. Maxima eadem. Locus à Causa est habitudo Causæ ad suum effectum. A Causa Materiali sumuntur duo argumenta & duæ Maximæ. Primum argumentum: est quando ponitur affirmatiuè: vt est Ferrum: ergo possunt esse arma ferrea. Maxima. *Posita Causa Materiali, possibile est, eius effectus poni*. Secundum. Quando ponitur negatiuè, vt non est ferrum: ergo neque arma ferrea. Maxima. *Ablata Causa Materiali, tollitur eius affectus*. A Causa Formali, etiam duo argumenta, & duę Maximę. Primum est quando ponitur affirmatiuè: vt est albedo: ergo album. Maxima. *Posita Causa formali, ponitur effectus*. Secundum, quando ponitur negatiuè. Non est albedo: ergo non est album. Maximam. *Sublata Causa formali, tollitur effectus*. A Causa efficienti. Duo argumenta, & duę Maximę. Primum argumentum. Domificator est bonus: ergo Domus est bona. Maxima. *Quando Causa efficiens est bona, & effectus est bonus*. Secundum argumentum Domificator est malus, ergo domus est mala. Maxima. *Quando Causa efficiens est mala, effectus est malus*. A Causa finali: sunt duo argumenta, & duæ Maximæ. Primum argumentum. Beatitudo est bona: ergo Virtus est bona. Maxima. *Quando finis est bonus, media sunt bona*. Secundum argumentum est. Pœna gehennæ est mala: ergo peccatum est malum. Maxima. *Quando finis malus est, mala sunt, quæ sunt propter finem*. Locus à Generatione est habitudo Generationis ad rem genitam, & continet duo argumenta, & duas Maximas. Primum. Generatio iusti est bona: ergo iustus est bonus. Maxima. *Cuius generatio bona est, ipsum quoque bonum est*. Secundum. Generatio latronis est mala: ergo latro est malus. Maxima. Cuius Generatio mala est, ipsum quoque malum est. Locus à Corruptione est habitudo corruptionis ad rem corruptam, & continet duo argumenta, & duas Maximas. Primum. Mors Latronis est bona: ergo latro est malus. Maxima. *Quando corruptio bona est, id quod corrumpitur malum est*. Secundum Corruptio domus est mala: ergo domus est bona. Maxima. *Quando corruptio mala est, id quod corrumpitur bonum est*. Locus ab Vsibus est habitudo rei ad vsum: vt occidere est malum: ergo vecisor est malus. Maxima. *Cuius vsus malus est, ipsum quoque malum est, & si sit bonus, bonum*. Communiter accidentia sunt illa, quorum vnum sequitur alterum: vt Pęnitet: ergo deliquit. Maxima. *Si communiter accidentium posterius inest, & primum*. Negatiuè. Non peccauit: ergo non pænitet. Maxima.

Si communiter accidentium primum non ineſt nec poſterius. Satis de locis Topicis intrinſecis. Antequam tamen ad extrinſeca accedamus.

48 Notandum eſt, locum à Definitione vocari Topicum, quando totali certitudine caremus de Definitione, an ſit adęquata, gaudeatq; cæteris Conditionibus ad veram definitionem pręrequiſitis. Sic enim quando nobis non conſtat certitudinaliter, talem eſſe definitionem definiti, tunc ipſa deſumpta pro Medio, cum habeat probabilitatē, ſyllogiſmum probabilem, ſeu Topicū parit. Si vero totalem Certitudinem de tali definitione habeamus; tunc non Topicum, ſed demonſtratiuum gignit ſyllogiſmum, cum huius Medius terminus ſit definitio.

CAPVT XIV.

De Locis Topicis Extrinſecis.

49 Locus ab extrinſeco, ſeu extrinſecus, vel eſt ab oppoſitis, vel à Maiori, vel à Minori, vel à Simili, vel à Proportione, vel à tranſumptione, vel ab Auctoritate. Locus ab oppoſitis eſt habitudo vnius oppoſiti ad aliud. In Relatiuis fit negatiuè: vt non eſt Pater ergo nec filius, & affirm. eſt Pater ergo, & Filius. Maxima. *Poſito vno Relatiuo, ponitur, & Reliquumd: eſtructo vno relatiuo, deſtruitur, & reliquum.* A Contrarijs ſummitur argumentum neg: vt hoc animal non eſt ægrum; ergo eſt ſanum. Vel eſt ſanum: ergo non eſt egrum. Maxima. *Poſito Vno Contrariorum, alterum remouetur, & remoto ponitur, dūmodo ſint cōtraria immediata.* Ab oppoſitis Priuatiuis tenet arg. affirmādo, & negando: vt Homo eſt videns: ergo non eſt cęcus, vel è contra. Maxima. *Poſito vno priuatiuè oppoſitorum circa aliquod ſubiectum aptum, remouetur reliquum.* & è contra. Ab oppoſitis Cōtradictorijs fit negat. vt Petrum eſſe eſt verum, ergo non eſſe erit falſum. Maxima. *Si vnum ex Contradictorijs eſt verū, alterum erit falſum.* Locus à Maiori eſt habitudo Maioris ad Minus, à quo fit argumentum neg. vt Rex nequit oppugnare Caſtrum: ergo, nec Miles: Maxima, *Si id, quod magis videtur ineſſe, nō ineſt, nec id quod minus videtur ineſſe inerit.* Locus à Minori eſt habitudo Minoris ad Maius; à quo fit arg. affir. vt Miles poteſt expugnare Caſtrum ergo, & Rex.] Maxima, *ſi id quod minus videtur ineſſe ineſt, & id quod Magis videtur ineſſe inerit.* Locus a ſimili eſt habitudo vnius ſimilis ad aliud, à quo ſumitur arg. affirm. vt ſicut riſibile ineſt homini, ita inhibile equuo; ſed riſibile eſt proprium hominis: ergo & inhibile equui. Maxima. De *ſimilibus idem eſt iudicium.* ita neg. dicendum eſt. Locus à Proportione eſt habitudo vnius proportionabilium ad aliud: vt ſicut ſe habet Rector Nauis ad naues, ita Rector Scolarum ad ſcolas: ſed Rector nauis eſt eligendus non ſorte, ſed arte: ergo & Rector Scolarum. Maxima. *De proportionabilibus idem eſt iudicium.* Locus à tranſumptione eſt habitudo vnius tranſumpti ad alterum; vt ſapiens non fallit: ergo Philoſophus non fallit. Maxima. *Quod alicui conuenit cum nomine magis noto, & ei conuenit cum nomine minus noto.* Locus ab Auctoritate tenet affir. vt Aſtrologus dicit Cęlum eſſe volubile; ergo Cęlum eſt volubile. Maxima. *Vnicuique experto in ſua ſcientia credendum eſt.*

CAPVT XV.

De Captionibus, ſiuè Fallacijs.

50 Vt Medicus venena, ſic Logicus ſophiſmata noſcere debet; non vt decipiat; ſed vt aliorum deceptiones, fraudeſque detegat, ſoluatq; Syllogiſmus igitur Sophiſticus, qui ab Ariſtotele: litigioſus appellatur,

tur, habet quædam loca, quæ Fallaciæ. seu Captiones dicuntur, ex quibus syllogismi contentiosi deducuntur. Et hæ duplicis sunt Generis: Aliæ sunt Fallaciæ Dictionis. Aliæ extra Dictionem. Priores dicuntur tales, quia sub Dictione latet Fallacia. Posteriores vero sic nuncupantur, quia extra Dictionē imbibunt falsitatem. Priores pluribus modis fiunt. Primo quando Medius terminus est æquiuocus, vel Vna dictio æquiuoca: vt Omnis Taurus habet Cornua; sed quidam Mons Asiæ est Taurus ergo habet Cornua. Secunda fit ex oratione æquiuoca varias includente significationes; & in vna præmissa supponit pro vno sensu, & in altera pro altero; vt Quidquid est alicuius possidetur ab illo. sed ista Pedia est Scoti: ergo p[o]ssidetur ab illo. Esse enim alicuius duplicem sensum habet; primo significat possessionē; deinde præsefert esse alicuius, tanquam Auctoris. Tertia fit quando id quod conuenit alicui coniuncto cum alio tribuitur illi seorsim accepto: vt Quidquid viuit semper erit: sed Petrus viuit: ergo semper erit. Illa Dictio (semper) si coniungatur cum (Viuit) facit propositionem veram: si vero separetur à Viuit, & cōiungatur Erit, falsam facit. Quarta fit ex variatione Accentus in voce: vt Qui lepores venatur, canibus eget: sed orator venatur lepores: ergo Orator canibus eget. Fallacia oritur ex dictione (lepores) quæ in Maiori accentum habet in antepenultima, & in Minori in penultima, atque adeo variatur significatio. Quinta fit ex colligantia diuersorum terminorum in varijs generibus positorum, vel ponibilium: vt Quidquid heri emisti, nunc comedis: sed crudum piscem heri emisti: ergo crudum piscem nunc comedis. erroneum committit syllogismum multarum rerum diuersorum Generum Congeries.

51 Fallaciæ extra dictionē varijs modis machinantur. Primo. Quando id, quod conuenit accidenti, tribuitur subiecto: vt album est aliquod accidentale; sed Petrus est albus; ergo est aliquod accidentale. Secundo quando fit transitus à secundum quid ad simpliciter, & è conuerso: vt Sortes est homo; at homo est species: ergo Sortes est Species, nam Maior est vera simpliciter, & Minor secundum Quid, & per accidens. Tertio fit, quando assignatur non Causa pro Causa: Vt. homo ideo est risibilis, quia est bipes; at Franciscus non est bipes: ergo non est risiibilis. Est captio. quia esse bipedem, non est causa cur homo sit risibilis. Hactenus de logiculæ pædia.





PÆDIA SECVNDA.

De Natura Logicæ.

1 *VÆ in dictanda Logicæ natura sim obseruaturus, hæc sunt. Primo; nec omnia, nec singula, quæ difficultatem pariunt, attingam, ne multus sim in dicendo. Secundo: obsoletas Veterum opiniones non tractabo; ne contra Mortuos sæuire videar. Tertio aliorum sententias confutando non recitabo; ne repleam paginas aliorum opinionibus, vbi mea erit expectanda. Quarto. Duces sequar Scotum, & Aristotelem, Pancrestos, dignissimosque Scientiarum Coryphæos. Postremo breuiter, ac succintè tractando prosequar ad iuuamen Memoriæ, nec non leuamentum laboris. Sit igitur.*

DISCEPTATIO PRIMA.

Vtrum Logica sit Scientia?

2 IN cuius enodatione occurrunt duo termini declarandi. Primò, præmitto distinctionem Logicæ in Naturalem, & Artificialem. Prior, cum sit quædam inclinatio naturalis in scire ad discernendum verum à falso, & ad procedendum à noto ad ignotum; non potest habere rationem habitus, nec per consequens nomine Logicæ, quæ est habitus, potest appellari. De Artificiali ergo Logica hic disceptatur, quæ suis præceptis constat ad discernendum verum à falso, & ad procedendum à noto ad ignotum. Hæc in Docentem, & Vtentem distinguitur. Docens est habitus quidam intellectualis docens distinguere, deffinire, & arguere ex certis præceptis constans, acquisitus per demonstrationē. Logica Vtens est idem habitus, quo in cæteris scientijs vtimur ad arguendum probabiliter.

3 Ad huius tamen rei intelligentiam est Notandum, aliud esse modum operandi, & aliud cognitionem modi operandi. Modus operandi est idem cum operatione: vt celeritas cum cursu: cognitio verò modi operandi est distincta à modo, & ab operatione; & hoc tripliciter; tum ratione formali, quia alia est ratio cognitionis modi operandi, & ipsius modi: tum ratione subiecti, quia cognitio talis est in potentia cognoscente, modus verò in operatione, quæ interdum, nec est in eadem potentia, nec in eodem supposito: vt modus operandi ignis est cum ipsa operatione ignis, ac per cōsequens cum ipso igne. Adde, quod cognitio

modi

modi operandi habet pro obiecto ipsum modum; modus verò operandi habet pro obiecto, ipsam rem. Similiter Logizandum est in re nostra: quod scilicet modus intelligendi, & cognitio modi sunt distincta, secundum eorum rationes, licet sint indistincta in subiecto; nam idem homo habet cognitionem modi, & modum ipsum intelligendi. Logica autem est cognitio modi intelligendi, modus verò cognoscendi est ipse vsus Logicæ; Vnde sicut res scita non est scientia, nec vsus rei est ipsa res: vt vsus mallei non est malleus, ita nec modus sciendi, & scientia propriè, formaliter.

4 Secundus terminus explicandus est Scientia, quæ est habitus Conclusionis per demonstrationem acquisitus; & habet rationem duplicem, vt habitus, & vt talis habitus. Vt est habitus, eo promptè faciliter, & delectabiliter operamur, concurritque habitus vt causa efficiens minus principalis ad actum *Ex Scot.* 1. *Sentent. distinct.* 17. In quantum verò est talis habitus est principium speculandi rationem habitus, & passiones subiecti. Nomen scientiæ variè vsurpatur. Interdum sumitur pro habitu quo determinatè scimus Verum. *Ex Aristot.* 6. *Eth. cap.* 4. & 7. & repetit Scotus *q.* 4. *prol.* & 3. *distinct.* 24. *q. vni. ad quest.* Quo modo Fides Humana, & Diuina, & ipsa Theologia dicuntur scientiæ. Secundò capitur pro notitia alicuius complexi habente euidentiam ex obiecto: & sic potest esse de Contingenti, quo modo scimus parietem esse album. Tertiò (& hoc ad nostram rem facit) pro notitia euidente alicuius necessarij demonstrabilis. Et hæc exigit quatuor Conditiones. Quarum prima est quod sit notitia certa, ad differentiam opinionis, & suspicionis. Secunda, quod sit euidens, ad differentiam Fidei, quæ euidens non est. Tertia, quod sit de obiecto necessario. Quarta, quod sit causata per discursum Syllogisticum. Harum quatuor Conditionum prima, & secunda sunt essentiales scientiæ, nẽc aliquam inuoluunt imperfectionem in ea. Tertia est obiecti potius, quam scientiæ: vt adnotauit *Scotus q.* 4. *Prologi*. Potest enim scientia esse contingens, & de facto est: & per obliuionem deleri potest. Obiectum autem esse necessarium intelligitur de obiecto complexo, non de incomplexo, quia illud inuoluit necessariam habitudinem ad prædicatum. Quarta Conditio aliquam imperfectionem notat in scientia, vtpotè vt sit effectus æquiuocus. Nam præmissę ex notitia terminorum noscuntur, non per demonstrationem: ipsa verò scientia per discursum Syllogisticum comparatur: includit etiam imperfectionem ex parte intellectus, quia dicit potentialitatem in eo: vt cognoscere possit vnum post aliud. Conditiones prædictæ habentur ex Aristotele 1. *post. t.* 5.

5 Assertio Prima. Logica Docens est Scientia. Per Logicam verò docentem nedum intelligo demonstratiuam, sed topicam, sophisticam, & omnes præcipuas partes Logicas. Ita Scotus: *quæst.* 1. *in Vniu. his verbis. Dicendum quod Logica est scientia.* Probatur. Logica est habitus per demonstrationem acquisitus: ergo est sciẽtia. Cõsequentia est euidens ex Arist. 1. *post. t.* 5. Antecedẽs prob. Cõclusiones in Logica traditę sunt necessariæ, & demonstratæ: vt eæquæ sunt in physicis: nam sicut de Corpore naturali demonstratur mobilitas per hoc medium, quod est habere naturam; ita Logicus ostendit Syllogismum demonstratiuum per eius deffinitionem quæ est generare scientiam; de topico per eius deffinitionem ostendit generare opinionem: de Sophistico per eiusdem deffinitionem, gignere deceptionem. Docet etiam de propositione per suam deffinitionem passiones illas, quæ sunt oppositio, Conuersio, æquipollentia, multæque aliç Con-

clu-

clusiones demonstratæ reperiuntur in alijs libris : ergo &c. Probatur secundo. In Logica sunt omnia requisita ad Demonstrationem: vt subiectum, passio de eo demonstrabilis, & medium, quod est Deffinitio : ergo Logica est sciētia. Consequētia est euidēs,& prob. antecedens. Nam subiectū illius est Syllogismus, vel aliquid aliud, quodcumque sit. De Syllogismo verò mediante eius deffinitione tradita ab Aristotele, *primo priorū*: ostenditur hæc passio, habere tres terminos. Ergo in Logica sunt omnia requisita ad scientiam. Nec obstat, quod Aristoteles,3.*Elenchorum t.* 11. tradiderit, Logicam non habere determinatum subiectum: nam Intelligendus est, non de subiecto, quod dicitur causa scientiæ, & finis eius: sed de materia,cui tale subiectum applicatur: Logica enim habet determinatum subiectum, qui est Syllogismus: de quo est scientia specifica, ab alijs distincta: sed eumdem Syllogismum applicat cuicumque materiæ: ex quo ab Aristotele dicitur, Logicam non esse determinati Generis.

6 Tertiò probantur sic. Logicus est sciens, ergo Logica est scientia. Sequela tenet à concretis ad abstracta in prædicatis per se: vt excludatur hæc. Logicus est albus: ergo Logica est albedo: & in ijs, quæ non sunt vltimatè abstracta, vt excludatur hæc. Homo est animal: ergo humanitas est animalitas. Probans antecedens. Logicus est habitualiter cognoscens per intellectum, vel ergo sine formidine, vel cum formidine de opposito. Si primum non certitudine fidei, neque per sapientiam, nec per intellectū, nec per prudentiam, nec per artē:ergo per sciētiam. Neq;.n. sunt alij habitus intellectuales. Non secundum alioquin Logica erit opinio: & non modus sciendi, sed modus opinandi. Nec obstat, quod dicatur Ars: nam huiusmodi nomen non specialiter sumitur vt distinguitur contra scientiam: sed generaliter, vt quodam commune ad omnes habitus intellectuales. Atque adeò Logicus est sciens, & per Consequens Logica est scientia.

7 Dices contra hanc probationem. Si teneret hæc probatio, Logicus est sciens: ergo Logica est scientia, teneret etiam hæc. Logicus est opinans, ergo Logica est opinio. Probatur: nam in tantum probat Scotus, Logicum esse scientem, in quantum in Logica multa demonstratiuè concluduntur. Sed etiam in Logica multa opinatiuè concluduntur: ergo si ratione prioris valet,Logicus est sciens: ergo Logica est scientia, etiam ratione posterioris valebit, Logicus est opinans: ergo Logica est opinio. Atque adeò non scientia.

Respondeo,ratione Regulæ Scoticę. Valere omnes illas consequentias, sed antecedens hoc; Logicus est opinans, indiget distinctione:Vel capis Logicum partialiter pro topico topicè Syllogizante,& sic concedo antecedēs; aut capis Logicum totaliter pro callēte artē Logicam,& sic nego antecedēs: quia in arte Logica nihil opinatiuè cōcluditur; sed ipsa demonstratiuè docet artem arguendi posterioristicè, topicè: atque sophisticè. Vel aliter distinguas. Logicus est opinans sine formidine de opposito concedo: cum formidine nego, & sic opinio cum scientia reciprocatur. Vndè inualuit consuetudo apud Philosophos dicendi. *Sum talis opinionis; hoc est,talis scientiæ;* cum sine formidine dicant, quòd dicunt.

8 Contra Logica non continet conditiones scientię; non est enim de rebus necessarijs; sed de summè contingentibus, cum sit de entibus rationis: ergo nequit esse scientia. Respondeo etiam entia rationis esse necessaria necessitate ad scientiam requisita,scilicet necessitate complexionis.

9 Si sic. Quare ergo phylosophus logicam omisit à numero scientiarum: dum

dum 6. Metaph. docuit, omnem scientiam, aut esse naturalem, aut Mathematicam, aut Diuinam? Respondeo intentum Aristotelis fuisse enumerare duntaxat scientias reales, non rationales, de cuius numero est logica.

10 Assertio Secunda. Logica Vtens non est scientia; nec habitum præsefert à Docente distinctum. ita Scotus q. 1. *Vniuersalium.* his Verbis. *logica vtens est in quantum vtimur ea applicando eam ad illa, in quibus est vsus, & sic non est sciẽtia.* Secunda etiam pars de indistinctione Vtentis à Docente est eiusdem Scoti loc. cit. vbi inquit. *Vtimur ea* (idest Docente) *applicando eã.* idest Docentem. Ex quibus verbis nobis insinuatur. Vtentem esse docentem in vsu positam, ergo non erunt logicæ distinctæ. sicut non distinguitur res in esse quieto à se ipsa dum est sub Motu. Probatur tamen sic prima pars Vsus rei non est ipsa res; sicut vsus mallei non est malleus, sed logica vtens, ex Scoto, est vt vtimur ea applicando illam ad ea in quibus est vsus: ergo vt sic non est scientia.

11 Secunda pars sic prob. Idem habitus est principium eliciendi proprios actus, & imperans, vel dirigens actus aliorum habituum: vt patet de Prudentia, & Charitate; quarum prior est principium eliciendi suos actus, & dirigens actus iustitiæ, fortitudinis, ac temperantiæ, vt rectè, ac prudenter fiant. Posterior est principium eliciendi suos actus, & dirigit actus fidei, & spei; at habitus logicæ docentis est principium eliciendi proprios actus logicæ; habitus vero vtentis dirigit actus aliorum habituum; vt physicæ, & metaphysicæ: ergo est idem habitus: Secũdo probatur. Habitus logicæ Vtẽtis est is, quo vtuntur omnes scientiæ particulares in proprijs materijs; vt definiant, diuidãt, demonstrent: at hic non est alius, quam habitus logicę docentis; quæ talia docet: ergo est idem habitus. Exemplo firmatur. Ijdem sunt Characteres quos constituit, & format Magister, & quibus vtitur discipulus ad sui exemplar; logica vero docens constituit regulas deffiniendi, cæteræ vero scientiæ ijdem vtuntur per logicam vtentem, seu vsam (si sic fas sit loqui) ergo eadẽ Docens est vtens, ergo idem habitus erit logica Vtens cum Docente.

12 Dices, totum esse verum de logica Vtente accepta pro habitu scientifico logico, quo vtimur in alijs scientijs definiendo, diuidendo, arguendo; sic enim est logica vsa, sicque nõ dicit habitum realiter distinctum à logica Docente; Non vero de Logica Vtente accepta pro habitu acquisito ex frequenti exercitio definiendi, diuidendi, arguendi; quibus actibus frequentatis, sicut aufertur difficultas; sic generatur nouus habitus, vel promptitudo ad arguendum, deffiniendum, distinctus à logica Docente, quæ tantum stat in cognoscere definitiones, diuisiones, argumentationes.

13 Contra. Huiusmodi logica Vtens difficultatem arguendi, definiendi eliminans, promptitudinemque generãs, non datur tamquam distincta à Logica Docente: ergo Prob. anteced. Habens habitum perfectum logicæ docentis sine difficultate definit, diuidit, & arguit. ergo ad quid iste nouus habitus logicæ Vtentis? Prob. anteced. Non potest assignari vnde proueniat difficultas definiendi &c. in habente habitum perfectum logicæ Docentis. Non ex deffectu cognitionis regularum, cum hæc sit perfectissima in habente habitum perfectissimum: vt supponitur. Non ex deffectu materiæ in qua deberet conficere syllogismos; volo etiam supponere, quod cognitionem materiæ haberet. quæ tamen in rigore ad scopum nostrum non requiritur. Vnde ergo talis difficultas? Præterea. Si aliquis perfectissimè sciret regulas, & cum difficultate applicaret: ergo perfectissime

me sciret, & non perfectissimè sciret. primũ supponitur secundum probatur perfectissimè scire regulas est adæquate scire, quomodo debeant applicari, sed ex eo, quod pateretur difficultatẽ in applicando, non adæquate sciret, quomodo debeant applicari: ergo non Perfectissime sciret; ergo cum nulla sit difficultas noua auferenda, nec nouus habitus ponendus. Tum quia deberet dari. Grammatica docens, & Grammatica Vtens. Rhetorica docens, Rhetorica Vtens; Physica docens, Physica Vtens vt habitus realiter distincti; quę omnia videntur sine necessitate multiplicata, ergo &c.

14 Obicies. Logica docens potest separari ab Vtente, ergo tales habitus realiter distinguntur antecedens patet in Tyronibus, qui esto sciant regulas conficiendi syllogismos, adhuc tamen difficultatem patiuntur in illis exercendis: & hoc non nisi, quia non habent logicam Vtentem, ergo potest dari docens sine Vtente. Hoc etiam experitur in Grammatica, & in Rethorica. nam Pueri sciunt regulas grammaticales, melius quam prouectiores quo ad recordationem; & tamen isti melius latine loquuntur, quam illi, & hoc quia Prouectiores habent Grammaticam, & Rhetoricam Vtentes; pueri vero non, ergo tales habitus sunt ad inuicem separati, atque adeo realiter distincti.

Respondeo negando antecedens, ad probationem dico, talem difficultatem in Tyronibus oriri, non ex carentia habitus logicæ vtentis, sed ex imperfecta cognitione regularum, & ex carentia materiæ, in qua debent Tyrones conficere syllogismos; quod si hæc omnia adessent, Tyrones nullam conficiendo argumentationes, paterentur difficultatem. Confirmatur hęc responsio in ipsis Tyronibus, quorum vnus prõptius, perfectius expeditius, quam alius arguit, & tamen æqualem cognitionẽ modi arguendi participant. Vnde ergo hæc inęqualitas arguendi oritur, stãte æquali cognitione modi arguendi? Non nisi ex abundantia materiæ, in qua conficit alter argumenta. Qua propter data hypothesi, quod duo haberent æqualem cognitionem regularum perfectam, quorum nullus vnquã confecisset syllogismos, sed vnus haberet cognitionem plurium materiarum; certum est, istum promptius, perfectius, & expeditius arguere, quam illum. Vnde esset hæc maior promptitudo, cum cætera sint paria? Non nisi ex abundantia materiæ. Per hoc etiam respondeo ad illud de pueris, qui si sentiunt difficultatem in recte loqui latinè, hoc prouenit non ex carentia habitus, sed ex defectu materiæ, circa quam debent ornate loqui, & quam adepti sunt per longum studiorum cursum Prouecti.

15 Assertio Tertia. Tota logica dicitur tam docens, quam Vtens: ita Scotus *quæst. 1. Elenchorum. §. Vlterius sciẽdum*, vbi habet hæc Verba. *licet logica quantum ad Doctrinam sit ex Communibus; diuersus est tamen vsus doctrinæ, qui traditur in Dialetica, & Denuntiatiua*. Vbi etiam per sequentia Verba, putat, totam logicam posse applicari cæteris scientijs, ac proinde totã esse Vtentem, licet diuersus sit vsus topicæ, & analiticæ. Prob. logica diuiditur in Docentem, & Vtẽtem; sed tota est Docens: ergo tota est Vtens: alioqui diuisio esset inepta. Pręterea. Præcepta quæ tradũtur in logica in actu signato, exercentur in alijs scientijs: ergo tota est Vtens Consequentia tenet. Nihil enim aliud est logica Vtens, nisi ipsa applicata alijs scientijs: antecedens etiam probatur quia definire, diuidere, arguere; &c. omnia traduntur in tota logica, & vsurpantur à cęteris disciplinis.

16 Differuntur autem vt habetur, ex Scoto. *loc. cit.* primo quod topica ex communibus in singulis scientijs ad pro-

proprias Conclusiones arguit, vt per hoc medium. Quod Contraria habent fieri circa idem, probat in Theologia, peccatum, & gratiam esse in voluntate; in Medicina, quod sanitas, & infirmitas sint in Corpore animato; in Phylosophia, quod album, & nigrum sint in eodem subiecto. Non quidem arguunt per proprietatem horum Cōtrariorum; sed tantum ex hoc, quod Contraria nata sunt fieri circa idem. At pars Logicæ, quæ est demonstratiua: & si in Doctrina tradatur de Communibus, puta, de Syllogismo demonstratiuo, & attributis ad ipsum. Quæ sunt communia scientijs: quęlibet enim in demonstrando vtitur Syllogismo demonstratiuo: tamen in singulis arguit per proprium medium ad propriam Conclusionem: vt ad demonstrandam mobilitatem de Corpore naturali, vtitur physicus definitione naturæ; & propriam Conclusionem statuit per proprium medium, quod regulatur secundum regulas: *in lib. post. traditas*: similiter aliæ scientiæ suas Conclusiones statuunt per proprium medium, licèt omnes earum demonstrationes regulentur regulis in Logica traditis. Secundo differunt: quia topica in alijs scientijs vsitata, se habet vt eliciens talia argumenta, quæ dicuntur propriè Logicæ; licèt aliquo pacto pertineant ad eas scientias, quarum materiam, vel terminos Topica vsurpat: vt ex eo, quod arguit in Theologia, peccatum esse in Voluntate. Ergo est gratia, quoniam opposita habent fieri circa idem; dicitur tale argumentum, esse purè Logicum, vt elicitum à Topica vtente, pertinens tamen ratione materiæ vsurpatæ ad Theologiam. Demonstratiua verò in cæteris scientijs se habet, vt dirigens, non eliciens huiusmodi argumentum. Quare argumentum factum in Philosophia demonstratiuum est elicitum ab habitu Philosophiæ, regulatum verò, & directum à Logica analitica vsitatà in Phylosophia.

16 Quod si arguas. Duo habitus in Demonstratione non possunt concurrere. Quod probatur. Quia à Causis essentialiter distinctis non videtur, posse produci idem effectus; habitus verò Philosophiæ, & Logicæ sunt essentialiter distincti: ergo vnius demonstrationis non possunt esse duæ causæ. Firmatur ratio, idem enim esset hoc dicere, ac oculum, & nasum posse concurrere ad eumdem actum videndi. Quod si dicatur solam Logicam concurrere ad huiusmodi demonstrationem in Philosophiam habitam: ergo tunc tantum, Logica esset scientia.

Respondeo, primo falsum esse, causas essentialiter distinctas habentes tamen vnitatem ordinis, ad eundem effectum numero, concurrere non posse; patet ex intellectione causata ab intellectu, & obiecto: si sit intuitiua; vel à specie, si sit abstractiua; quæ tamen causæ essentialiter distinguuntur. Vide Scotum 1. *d.* 3. *q.* 7. *& sequentib. in* 2. *d.* 3. *quæst.* 8. Deindè dico ad demonstrationem in Philosophia habitam concurrere duos habitus; sed non eodem modo: nam Philosophia elicit. Logica verò dirigit actum illum. Quod in Moralibus patet esse verissimum: vt actus ieiunij à Temperantia elicitur; à prudentia dirigitur, & regulatur, quæ tamen virtutes sunt habitus essentialiter distincti. Nec est eadem ratio de duabus potentijs sensitiuis externis, & de duobus habitibus; nam nulla est inter tales potentias subordinatio, ita vt ad eumdem actum concurrere possint. Nec circa idem obiectum versantur: Quamobrem vt suis naturis distinguuntur intrinsecè, ita eorum obiecta, & actus sunt diuersa, & disparata. At inter habitus potest esse talis subordinatio: & ita Philosophiæ habitus subordinatur Logicæ, eliciendo demonstrationem. Nec sequitur esse simplicitèr perfectiorem omnibus alijs scientijs, ex eo quod

dirigat actus illorum. Primum, quia non omne regulans, vel dirigens est perfectius directo, vel regulato: vt patet de Pedagogo dirigente Principem. Tum quia arguitur à secundum quid ad simpliciter: nam ea ratione, qua Logica dirigit actus aliarum scientiarum dicitur nobilior secundum quid, sicque appellatur Ars artium, scientia scientiarum: non tamen simpliciter est perfectior; cum eius obiectum cæterarum scientiarum obiectis non sit dignius.

DISCEPTATIO II.

De Necessitate Logicæ.

17 EX his patere potest. Num Homini sit Logica necessaria. Non loquor de necessitate simpliciter, vel qua homo sit, vel quatenus ordinatur ad beatitudinem: Neque enim Logica se habet vt differentia hominis constitutiua, nec vt quidpiam ad vitam hominis necessarium; nec vt medium ad beatitudinem consequendam, quæ est finis supernaturalis hominis: sed loquor de necessitate, ex suppositione; supposito enim, quod velit homo, sibi alias scientias comparare, & hoc perfectè dico, & fit.

18 Assertio Vnica. Logica non tantum est vtilis, sed ex suppositione est simpliciter necessaria ad alias scientias capescendas. Probatur. Quia res non scitur, nisi quia aliter se habere non potest, *ex 1. post. cap. 2.* sed id nescitur, nisi noscatur Syllogismi illatio, cuius cognitio habetur per Logicam: ergo sine Logica res non sciretur. Tum quia Numquam acquiritur vera scientia, nisi quis sciat se scire; nam scientia debet esse perfectum lumen intellectuale, quod seipsum manifestat; alioquin non erit euidens; sed non potest scire quis suam demonstrationem esse veram, nisi cognoscat illam vt talem, ex quibus principijs, atque tali formâ constat; id autem docet Logica. Ergo sine Logica non potest homo perfectè scire. Tum quia modus acquirendi scientias est per definitionem, diuisionem, & argumentationem, at id docet Logica ergo. Quo fit vt rectè *2. metaph cap. 3.* monuerit Aristoteles non simul scientiam, & modum sciendi esse quærendum. Quibus verbis ex communi sententia, vult significare, priùs Logicam, quam appellat modum sciendi, adiscendam esse, quam ceteras scientias, & præsertim metaphisicam, idque dupliciter confirmat. Primo; quia vt manum apponamus operi, parata debent haberi instrumenta ad hoc conferentia; & is qui cæteris scientijs est daturus operam, discendi formulas ad scientiam comparandam necessarias debet callere; eæque in Logica continentur. Deinde qui cæteris scientijs dant operam, absque Logica, duplicem laborem insumunt: vnum quærendi earum peculiaria principia; alterum, examinandi omnes differendi formulas quibus vtantur in demonstrando: atqui hi vt pluribus intenti, nec facilè, nec citò, nec sine errore, propositum assequuntur; quod accidit accedentibus sine dialectica ad cæterarum scientiarum comparationem: ergo Logica vtilis est (vt diximus) simplicitèr ex suppositione, ad aliàs scientias capescendas.

19 Nec obstat, quod si Logica artificiosa, non sit sibi necessaria vt potè, quæ comparetur Logicę naturalis ope; etiam reliquæ scientiæ possint lumine solo naturali acquiri. Nã dicendum est ipsam Logicam, sibi ipsi vt imperfectam esse adiumento, vt perficiatur, & modum sciendi, quem alijs tradit, ipsam non respuere; Dum enim intellectus reflectitur in se, & sic in artibus suis modum inquirit, quo aptè ad scientiam acquirendam disponatur; hanc ipsam formã suorum actuum per

pro-

proprias causas inuestigat; & eamdem dispositionem in eis demonstrandis seruat: sicque modus ille sciendi, quem alijs scientijs subministrat, est ipsi Logicæ. Quod, & Quo: aliæ verò scientiæ, nullum aliundè scientiæ modum acquirunt: & tunc sine modo sciendi, vel instrumento, possent comparari, quod est absurdum: vt probatum est.

Quæres hic. Num Logica sit pars Philosophiæ?

20 Respondeo affirmatiuè propter hanc rationem. Scientiæ Morales dirigentes actum voluntatis, sunt partes Philosophiæ: ergo & dialectica dirigens actus intellectus erit pars Philosophiæ. Antecedens est communiter receptum. Consequentia tenet. Quia non maior ratio videtur de directione actuum Voluntatis, quam intellectus: id ipsum Aristoteles asserit: 1. *topicor. cap.* 12. qui recensitis tribus generibus Controuersis, Naturali, Morali, Logico, addit, de his omnibus Philosopho ad Veritatem agendum esse Dialectico ad opinionem: ergo Logicus demonstratiuè de quæst. Logicæ agens, est Philosophus, & dialectica pars Philosophiæ.

21 Nec obstat, quod dicatur organum Philosophiæ ipsa Logica; organum verò, vel instrumentum non videtur pars artificis: ergo nec Logica pars Philosophiæ. Occurrendum est, Logicam esse instrumentum coniunctum, ac proindè partem Philosophiæ; sicuti manus fabro est pars, & instrumentum, vel Organum. Nec similiter obstat, quod nulla pars Philosophiæ referatur ad aliam, vel est ex alijs permixta, sed est ab alijs distincta; at Dialectica refertur ad omnes partes aliarum scientiarum, & est ex omnibus permixta, vt pote, quæ alijs modum differendi tribuat, ergo &c. Dicendum est ad Maiorem: quod nulla pars Philosophiæ refertur ad aliam: vel est ex alijs permixta per participationem eiusdem subiecti, sub eadem ratione formali; potest tamen esse ex alijs permixta, vel ad aliam referri, communicando illi suas operas, eo quod sit cognitio vnius scientiæ vtilis, atque necessariæ ad acquisitionē aliarum: vt Ethica, & Oeconomica ad Politicam; Geometria ad Perspectiuam; Arithmetica ad Musicā; Logica non primo modo, sed secundò permixta est. Nec obstat si arguas. Logicam esse totaliter rationalem de entibus rationis tractantem: ergo non potest esse pars Philosophiæ, quæ est tota realis. Nam in primis distinguo antecedens. Logica est rationalis extrinsecè quatenus agit de rebus rationalibus, & vt sub terminis rationis fuit ab Aristotele contexta, concedo; intrinsecè nego: sic Qualitas realissima est. Deinde distinguo Consequens Philosophia strictè sumpta est tota realis, concedo; quia sic tantum scientias reales amplectitur; largè sumpta: nego hoc enim modo Philosophiæ vocabulum extenditur ad scientias reales, & rationales.

22 Vnde aduertas hic. Quæstionem hanc mihi videri de nomine: variè enim apud Philosophos, Philosophiæ nomen vsurpatur. Nam aliquando illud tribuit Aristoteles scientijs; quæ res magni momenti tractant, & faciles reijcit ab hoc nomine: ita matematicales, quas *in 6. met. Philosophiæ nomine complectitur; reijcit. 4. metaph. cap. 2. cum ait. Per idem se habere, Philosophiam, & Matematicam quatenus vtraque multas complectitur scientias.* Aliquando Philosophiæ nomine nuncupat solas speculariuas, & morales reijcit, *ita 1. metaph. c.*2. Aliquando tribuit hoc nomen scientijs considerantibus res subsistentes: *ita 4. metaph. cap.2. t.4. &* 8. cum ait, *tot esse Philosophiæ partes, quot sunt genera substantiarum.*

23 Aliquando tantum primæ Philosophiæ tribuit hoc nomen: vt 4. *metaph. cap. eod. t.*5. Sed si Philosophiæ nomen

exactè pensetur, vt nihil aliud sit, nisi amor, & studium Sapientiæ, idest cognitio rerum per causas: id in logica optime quadrat. Duobus vero modis sciri possunt omnes rerum causæ; vel certè in aliquo genere solum: vel simpliciter. Qui 1. modo scit dicitur Sapiēs in tali genere; qui secundo modo, simpliciter. Hinc elicitur altera Conclusionis probatio. Logica est studium Sapientiæ, ac cognitionis causarum. Tum quia ipsa tractat omnem cognoscendi modum, & disserendi, & ex notis effectibus ignotas causas manifestat. Tum quia tradit modos discerendi per omnes causas: cum ttadat rationes definitionum, diuisionum, argumentationum per partes materiales, quæ in prædicamentis continentur: per definitiones, quæ sunt causæ formales; per omnium fines, cum de demonstratione ostendat finem hunc, qui est generare scientiam: de topico opinionem; de sophistico deceptionē: & hæc in sua principia resoluit. Nec verum est, Dialecticam perfunctoriè, modum sciendi explicare; nam tradit rationes rectè definiendi, diuidendi, & arguendi à priori. Docet enim Cur recta definitio, & argumētatio tales conditiones, & proprietates exigant: ergo &c.

DISCEPTATIO III.

De Vnitate Logicæ.

25 AD huius quæstionis, seù disceptationis cognitionem, aliqua premitto. Primo. Vnitas est duplex, intrinseca, & formalis. Alia extrinseca, & Materialis. Prior est, quæ consequitur ens in quantum ens reduplicatiuè loquendo: vt enim Vnitas est passio entis: primò; sic cuiuslibet entis secundò. Posterior est materialis, quam participant accidentia ratione materiæ, quæ in scientijs, vel habitibus potest esse duplex in Qua, & circa Quam; ideo vnitas materialis scientiæ potest poni duplex, subiectiua, & obiectiua; subiectiua quæ est respectu subiecti, cui inhæret; obiectiua, quæ est obiecti quod considerat.

Obiectum vero, a quo scientia habet vnitatem extrinsecam obiectiuam potest esse multiplex, vel vnum specie, vel genere: & ex his scientia est vna vnitate generica, vel specifica. Hic vero specificum, & genericum intelligo, non ex modo entitatis obiectiuæ, sed ex modo considerandi. Nam de obiecto specifico potest esse scientia generica, si illud cōsideretur sub ratione generis; Non ergo obiectum genericū, vel specificum, sed ratio formalis generica, vel specifica facit vnitatem scientiæ talem. Rursus scientia potest sumi pro habitu vnius Conclusionis demonstrabilis in scientia illa; alio modo pro aggregatione omnium habituum Conclusionum demonstrabilium in ea. Ex his statuo sequentes assertiones.

26 Assertio Prima. Logica est vna vnitate intrinseca, & formali ex propria forma: vt vnus homo à propria forma. Prob. A quo res habet esse, habet & vnum esse; sed á forma propria est esse cuiuscumque; ergo & Vnitas. Nec obstat, cum scientiæ, cum sint accidentia, non habent aliud esse, quā inhærere subiecto: nam id falsum est; inhærentia enim actualis est distincta ab accidente; aptitudinalis vero, quæ consequitur rem necessario, accidenti inest, sine subiecti existentia, eaq; consequenter est à forma: Vnde ex Communi sententia Catholicorum. Quantitas separata in sacramento Altaris est vna numero, & specie, pane destructo. Quare diuersitas numeralis subiectorum arguit diuersitatem formæ intrinsecam, sed non facit, imo præsupponit.

27 Assertio Secunda. Logica non est vna vnitate extrinseca materiali subiecti-

biectiua. Prob. Quia: Multiplicantur accidentia ad multiplicationem subiectorum: sed diuersi sunt intellectus recipientes logicam: ergo sic multæ sunt logicæ.

28 Assertio Tertia. Logica est vna vnitate materiali obiectiua generica. Prob. Scientia vna est vnius obiecti. 1. *p. c.* 23. sed logica habet vnum obiectum vnitate Generis: ergo est vna vnitate generica. Nec valet vrgere, sunt plura obiecta, ergo, & plures logicæ. Nam non, ex pluralitate partialium obiectorum, sed totalium summenda est pluralitas scientiarum; vnum vero totale est logicæ obiectum. Deinde omnes ordinantur ad syllogismum sub vna ratione formali consideratum: & licet admittamus plures habitus partiales: Vna tantum est logica simpliciter. Quod patet per Aristotelem 5. *met.t.* 17. Vbi docet, posse esse vnam rem in vno genere, & plures in alio: vt exercitus, plura in prædicamento substantiæ, idest plures homines: & tamen in prædicamento Quantitatis est simpliciter vnus numerus. & Domus plura in prædicamento substantiæ: vt plures lapides, ligna &c. vna in prædicamento Qualitatis: vt talis figura. Sic logica simpliciter ratione huius subiecti est simpliciter vna scientia: quamuis sint plures habitus partiales.

29 Assertio Quarta. Logica totalis non est vna simplex qualitas inclinans communiter ad assensum omniũ Conclusionum, sed singulorum sunt singuli habitus. Ita vt logica sit collectio multorum habituum partialium. Ita Scotus 6. *Met.q.*1.*quæst.*3.*prologi q.* 2.*lateral. n.*5. *&* 1.*d.*3.*q.*7.*ad* 2.*in oppositum.&* 3.*d.*36.*a.*2.§.*Quantum ad istũ.* vbi se citat in metaphisica: ex quo patet, prius opus metaphisicum scripsisse quam Theolog. Prob. Conclusio, vel Assertio in genere de singulis scientijs. Si scientia totalis esset vna simplex qualitas indiuisibilis quo ad extensionem in ordine ad plures actus specie diuersos, & in ordine ad diuersa obiecta: quo modo à Catholicis ponitur Fides: sequeretur, quod per primum actum scientificum, producta particula habitus, posset intellectus extendi ad omnes actus specie diuersos, & ad omnia obiecta talis habitus; sed hoc est falsum: ergo &c. consequentia est euidẽs. Falsitas prob. nam v.g. in scientia metaphisicali, per habitũ illius potest quis habere facilitatem ad assensum vnius Conclusionis: vt quod Deus sit infinitus, & difficultatem ad assensum alterius: vt quod tributa distinguantur formaliter in Deo. Similiter in Logica potest quis esse promptus ad deffinitiones, tardus ad demõstrationes, ergo non est vna simplex qualitas, qua intellectus assentiat omnibus, & singulis Conclusionibus. Firmatur propositum. Habens habitum Conclusionis scientificum potest habere habitum erroris circa aliam Conclusionem eiusdem scientiæ totalis, ergo non est idem habitus, quo ad singularum Conclusionũ assẽsũ ferimur. Patet sequela, quia idem tunc esset assensus veri, & erronei. Prob. antecedens, quia cum hac, Materia est in generabilis, aliquis potest habere facilitatem ad assensum huius. Continuũ est ex indiuisibilibus, quarum prior est vera, posterior falsa.

30 Nec obstat, quod idem sit Habitus Fidei, & tamen per eum aliquis faciliter assentit vni propositioni Theologicæ, & alteri difficulter. Quia id accidit, vel ex difficili appræhẽsione terminorum vnius propositionis: cum tamen terminos alterius propositionis faciliter appræhẽdamus: vel quia nõ fide infusa, sed humana aliquis credit vni, & discredit alteri propositioni: vt accidit in hæreticis: at per habitualem scientiam, positis omnibus requisitis, difficilius vni propositioni, quam alteri assentimus. Non est ergo idem habitus.

31 Ar-

31 Arguitur Secundò. Actus producens habitum id dat, quod habet, at ipse non est nisi assensus vnius propositionis specie: ergo habitus erit vnus Conclusionis vnius specie. Respondeo in logica totali dari plures actus, pluresque assensus Conclusionum specie distinctarum: vt in Conclusione mostratum est. Vndè concedo totum argumentum respectu vnius, non verò respectu plurium, vel omnium Conclusionum Logicalium.

32 Insurges adhuc; proportionem debere esse inter potentiam, & habitum, vel perfectibile, & perfectiuum; est autem Intellectus vna qualitas specie, indiuisibilis quo ad extensionem ad plures actus, ergo erit vnus habitus eiusdem rationis. Respondeo, quod præterquam quod Minor sit falsa. Maior tamen debet intelligi; non quo ad omnimodam proportionem: quæ enim sic se habent, dicuntur esse proportionata; sed eadem proportio in vno includit similitudinem, dissimilitudinem in altero. Quare si habitus, & potentia haberent esse sic proportionata, vt in omnibus conuenirent; habitus deberet esse vitalis æquè, ac potentia. Est ergo proportio in hoc: quod sicut intellectus potest perfici in ordine ad plures actus, & obiecta: & ad eadem se potest ijs actibus extendere se actiuè: ita habitus possunt perficere intellectum in ordine ad eadem: non tamen oportet, quod si potentia sit vna, & habitus sit vnus; hoc enim modo concedendum esset: vna tantum scientiam, eamdemque vnam qualitatem specie debere esse; quod est falsum.

33 Nec similiter concludit, quod per fidem infusam, & per habitus morales acquisitos se extendat intellectus ad plures actus, & obiecta specie distincta. Nam de Fide infusa est dispar ratio, ac de scientijs naturaliter acquisitis: illa enim non ex artibus generatur, sed tota à Deo producitur; quare actibus non debet esse commensurata; at habitus scientificus ex actibus produci. tur, & per consequens ijs, tanquam causis debet commensurari. De habitibus verò moralibus acquisitis, vt Temperantia, Iustitia, dicendum eodem modo, ac de habitibus speculatiuis: quod scilicet non sint vna simplex Qualitas. Et si adderes, eum qui propositionis scientificæ habet habitum, habere propensionem ad cæteras eiusdem scientiæ, & facilitatem. Respondeo, id in vniuersum non esse verum, imò id accidere ob consimilem modum procedendi. Addo etiam, quod interdum id fit, quando vna Conclusio virtualiter aliam continet, ac proindè vna intellecta, faciliter alteri assentimur.

34 Assertio Quinta. Diuersi habitus partiales eiusdem scientiæ non habent talem vnionem inter se: vt ex illis fiat vnum ens per se in genere Qualitatis, sicut ex duobus gradibus caloris fit vnus calor. Probatur. Tum; quia neutrum se habet vt actus, & potentia, quæ requiruntur ad obtinendum ens per se. Tum etiam: quia singuli habitus partiales in suo esse, sunt entia per se completa. Tum tertio, quia duæ species in vnam non coeunt: ergo &c.

35 Assertio Sexta. Scientia Totalis Logicæ, & si non sit simplex qualitas; nec habeant aliquam vnionem realem partiales eius habitus; habent tamen maiorem vnionem inter se, quam cum partialibus habitibus alterius scientiæ: idque ex ratione obiecti totalis, adquod ordinantur obiecta partialia eiusdem scientiæ. Hæc Assertio continet quatuor partes; quarũ duæ priores sunt hactenus probatæ. Tertia verò sic probatur Logica dicitur esse vna scientia totalis distincta ab omnibus alijs: sed si nullam maiorem vnitatem haberent sui habitus partiales in se, quam cum habitibus partialibus alterius scientiæ, non esset magis indistin-

cta

cta à se, quàm ab alijs, nec per consequens magis vna; quod est absurdum. Quod autem hæc vnitas ordinis sit ab obiecto totali. Prob. Talem ordinem habent inter se habitus partiales ad totalem, qualem ordinem habent obiecta partialia ad totale; sed obiecta partialia habent subordinationem & faciunt vnum vnitate ordinis cum totali obiecto, ergo habitus partiales inter se, & cum totali habitu, faciunt vnitatem ordinis. Minor probatur quia. Prædicabile, Prædicamentum, Propositio, Syllogismus demonstratiuus, topicus, & Elenchus habent subordinationem ad subiectum totale Logicæ, quod est Syllogismus, vel tamquam partes materiales remotæ, vel propinquæ: vel tamquam partes subiectiuæ: hæc autem Vnitas ordinis non est aliorum obiectorum partialium aliarum scientiarum ad obiectum totale Logicæ: nec per consequens habitus partiales aliarum scientiarum habent eam vnitatem cum partialibus habitibus Logicæ, qualem isti habent inter se. Confirmatur. A quo scientia habet differre ab alio, ab eodem habet aliquam vnitatem in se: quia per vnitatem illam est sibi eadem, & ab alio diuersa: at scientia totalis differt ab alia per obiectum totale: ergo per idem habet vnitatem in se. Quamobrem obiectum totale vnius scientiæ natum est refundere maiorem quamdam vnitatem ordinis in habitibus partialibus illius scientiæ, quam ijdem habitus non habent cum habitibus partialibus illius scientiæ. Quod & exemplo illustrari potest: vt vnius exercitus classes habent maiorem vnitatem inter se, quam cum Classibus alterius exercitus; ex eo quod Vexilliferi, Centuriones, & Decuriones illarum Classium habent subordinationem, & ordinem ad Ducem totius exercitus, quem non habent ad Ducem alteriu: sic habitus partiales maiorem habent inter se Vnitatem, quam cum habitibus partialibus alterius scientię, ratione obiecti totalis ad quod subordinantur: quod natum est refundere maiorem Vnitatem in eis.

DISCEPTATIO IV.

Vtrum Logica sit Practica, vel Speculatiua?

36 HÆc disceptatio, si pro dignitate tractetur, longissima erit: si perfunctoriè, obscura. Medium ergo seruabo, ne breuitate obscuritatem, vel longitudine tædium pariam.

ARTICVLVS I.

Quid, & quotuplex sit Praxis?

QVod ergo primo hic occurrit considerandum, est de Praxi, quæ variè sumitur: vno enim modo accipitur pro operatione cuiuslibet potentię siuè naturalis, siuè liberæ: alio modo pro operatione, quæ consequitur cognoscentem, vt talis est: & sic omnis cognitio, atq; adeo omnis actus cuiuscumque potentiæ cognitiuæ, vel appetitiuæ, & passiones appetitus, dicerentur Praxes. Tertiò modo sumitur Praxis pro operatione existente in nostra potestate, quæ potest esse virtuosa, vel vitiosa, quo modo, tum intellectiones, tum volitiones, tum actus aliarum potentiarum sensitiuarum, cum in istis possit esse malitia, & bonitas, moraliter appellarentur Praxes. Postremò pro operatione elicita conformiter dictamini recto rationis, & electioni voluntatis, ad quam hæc omnia concurrunt. Intellectus ostensiuus finis actui Voluntatis. Secundò Volitio finis. Tertio Consilium de ijs, quæ sunt ad finem, & sententia dictatiua de ijs, quæ ad finem magis conducunt. Quartò Electio. Quintò sequitur illud, quod est: dicta-

dictatum, & sententiatum, nisi aliundè sit impedimentum: vt ægroto, Primò proponitur Sanitas, tanquam appetibilis: & hoc per notitiam practicam. Deinde Voluntas vult finem, nimirum, sanitatem propositam, Tertio sequitur Consilium intellectus practici, quid melius expediat ad sanitatem, an deambulatio, vel dieta, vel pharmacum. Et sententia dictatiua eiusdem dictantis, tale medium definitum esse aptius ad consecutionem Sanitatis. Quarto sequitur Electio illius medij determinati. Postremo sequitur potio. Volitio autem sanitatis, & electio mediorum sunt actus eliciti voluntatis: potio autem actus imperatus.

37 De Praxi autem hoc vltimo modo sumpta, & proprijssimè Scotus *qu. 4. prologi. §. Dico igitur*, hanc assignat definitionem. *Praxis est operatio alterius potentiæ ab intellectu naturaliter posterior intellectione, nata conformiter elici rationi rectæ ad hoc vt sit recta.* Vbi tres assignat conditiones Praxis. Prima, quod sit actus alterius potentiæ ab intellectu. quod ex eo probat. quia. Intellectus extensione fit practicus, sed non dicitur extendi, idest extra se tendere intellectus, cum est sub actibus proprijs, ergo adhoc vt sit practicus, debet regulare alterius potentiæ actū. Maiorem: & si philosophus 3. *de anima t.* 50. expressè non asserat, virtute tamen continetur ibi: nam distinguens practicum à speculatiuo ex fine; ait. Practicum alicuius gratia ratiocinatur, principium est agendi. Quod videtur necessario intelligendum de actione extra intellectum; nam intra ipsum; etiam intellectus speculatiuus est principium agendi. Quibus positis sic possumus colligere. Nullus actus alicuius potentiæ dicitur extendi ad alium eiusdem potentiæ, sed ad actum alterius potentiæ; sed omnis Praxis est actus, ad quem directiuè extenditur aliquis actus intellectus: ergo omnis Praxis est actus alterius potentiæ. Maior patet per quid nominis huius vocis Extensio. Deinde quia. Notitia practica est directiua operationum illius potentię, quæ in sua actione potest deficere, estque cęca, & nata dirigi; sed talis est voluntas, & alię potentiæ sensitiuæ, vel internæ, vel externæ, cum intellectus sit videns, & se ipsum dirigens: ergo illarum potentiarum actiones sunt Praxes. Ex quo infertur; quod non quæcumque extensio intellectus ad aliud, dicitur facere intellectum practicum; neque enim ex hoc quod extenditur ad obiectum, vel quod ex terminis noscit propositiones, & ex ijs Conclusiones, & ex noto ignotum, dicitur intellectus practicus. Omnis enim notitia hoc modo, esset practica, quod est falsum. Sed solum tunc dicitur Intellectus practicus, cum dirigit actiones aliarum potentiarum, ac præcipue. Voluntatis; quę operationes sūt extra intellectum, ac per consequēs tunc, dicitur extendi, & esse practicus.

38 Secunda Conditio Praxis est, quod sit posterior intellectiore. Prob. Directum debet esse posterius dirigente, & regulatum regula; sed Praxes sunt regulabiles à notitia practica, ergo sunt posteriores. Hinc infertur, eas operationes, quæ dirigi non possunt, non sortiri nomen praxis. Qualia sunt opera vegetatiuæ, & nutritiuæ potentiæ: neque enim ista secundum rationem diriguntur: sed homo vegetat, nutritur, & si non intelligat, & alio modo, quam ipse interdum mente concipiat. Adde, quod actiones præcedētes opus intellectus, vt præcedentes, nō possunt dici Praxes: quia non sunt posteriores intellectione, cuiusmodi sunt actus potentiæ sensitiuæ, qui alioquin rationem præcurrunt, & vt regulatæ deinde à ratione recta possunt dici Praxes. Ex hac etiam Conditione sequitur, solum actum elicitū Voluntatis, & etiam

etiam Conditione sequitur, solum actum elicitum Voluntatis, & etiam imperatum aliarum potentiarum appellandos Praxes. Nam hi soli sunt posteriores intellectione; tum quia per hos solos meremur laudem, & vituperium: & inter hos est etiam ordo. Prius enim competit nomen Praxis actui elicito, quam imperato: posterior enim est imperatus, quam elicitus, & rectitudo, vel malitia imperati actus pendet ex bonitate, vel malitia elicit. Tertia conditio Praxis non conuenit ei vt Praxis est, sed vt recta est.

ARTICVLVS II.

Quid sit cognitio Practica?

39 EX his facile est scire: quid sit cognitio Practica. *Est enim notitia prior naturaliter Praxi, cui Praxis nata est esse conformis.* In qua definitione stat prioritas, & conformitas respectu Praxis. Prioritas autem conuenit notitiæ practicæ, ex ordine naturali potentiarum. Probatur. Qualis est ordo inter actus primos potentiarum animæ, talis est ordo inter actus secundos; sed intellectus quo ad actum primum naturaliter prior est Voluntate: ergo notitia practica pertinens ad intellectum naturaliter est prior Praxi pertinente ad Voluntatem: Idipsum fatetur Aristoteles: *6. ethic. cap. 3. cum inquit, electionem rectam præsupponere rationem rectam*; Per electionem autem intelligit quamcumque volitionem, siuè finis, siuè mediorum. Ex quo sic colligo. Omnis electio præsupponit rationem rectam, sed omnis electio est Praxis, ergo Praxis præsupponit rationem rectam, & per consequens notitia practica, tamquã præsuppositũ quoddam à Praxi, est prior. Sic Scotus in definitione Praxis, posuit debere esse conformem rationi rectę; non quod hęc sit ratio Praxis in communi, sed tãtùm Praxis rectæ, quam ibi definire volebat.

40 Conformitas verò, vel Directiuitas competit notitiæ practicæ, ex eo quod est regula, & metrum Praxis. Prob. de ratione regulæ est dirigere, & conformare sibi operationes; at notitia practica est regula Praxis; nam secundum rectum dictamen rationis elicitur volitio: ergo notitia practica est directiua Praxis. *Id Aristoteles 6. eth.* fatetur, cum ait. Notitia practica conferre se habet appetitui recto. Quod debet intelligi actiuè, vt benè explicat, *Scotus* idest quod notitia practica nata sit sibi conformare appetitum rectum, ita vt dirigat voluntatem in actu ab ea habendo, vt sit rectus. Illud tamen est notandum, non esse de ratione notitię practicæ, vt actu conformet sibi praxim, eamque regulet, sed aptitudinaliter tantum hoc debet sibi competere: vt hæ cognitiones. Est rectè viuendum. Est obediendum Superiori. Est benefaciendum Proximo. Quamuis non regulent actu Voluntatem, vel actum imperatum aliarum potentiarum, ex eo quod Voluntas, stante recto dictamine rationis; potest non elicere volitionem, tamen practicæ sunt notitiæ, quia aptæ sunt regulare Praxim. Nec sufficit notitiæ, vt dicatur practica, quod eam possit sequi volitio, ac delectatio: quoniam tunc nulla scientia esset speculatiua. Patet. Nam ex cognitione speculatiua, potest sequi volitio, & delectatio ex 10. *eth. cap. 7. & 8.* Voluntas siquidem potest, velle talem scientiam, & ex volitione sequitur hæc passio, quæ est delectatio. Sed hoc non sufficit ad notitiam pacticam. Dupliciquidem modo potest sequi volitio, vel Praxis ad aliquam notitiam: Vno modo naturali quadã cõsecutione; alio modo vt sequatur volitio à notitia vt directiua Praxis, ex hoc postremum sequitur ad notitiam practicã. Nec Scotus vnquam aliter sensit, si rectè intelligatur, cuius verba sunt in 5. *quæst. Prologi*. Notitia practica tantum est quan-

do est determinatiuà rectitudinis respectu ipsius Praxis, & hoc vel formaliter, vel virtualiter. Et infra respondens *ad 4. quæst. in qua quærit*. Num Theologia sit practica; Concludit quod sic, quia inquit; Primum subiectum theologiæ est virtualiter conforme volitioni rectæ: quia à ratione eius sumuntur principia prima rectitudinis in volitione, ipsum etiam determinat intellectum creatum ad notitiam rectitudinis determinatæ ipsius, prius naturaliter, quam voluntas velit. Hæc Scotus.

ARTICVLVS III.

A quo habitus sit speculatiuus, vel practicus, & à quo intellectus dicatur talis?

41 QVo ad primum respondeo, notitiam dici practicam, vel speculatiuam intrinsecè per suam differentiam essentialem, quam consequitur duplex illa relatio aptitudinalis prioritatis, & conformitatis ad Praxim; extrinsecè verò dicitur practica ab obiecto practicabili, ita potentia sensitiua dicitur distincta ab altera intrinsecè per suam rationem formalem; extrinsecè per actus, & per obiecta. Probatur quo ad rationem extrinsecam. Notitia practica vel habet esse tale à fine, vel ab obiecto; non ab illo: ergo ab isto: patet sequela, quia non sunt nisi duæ causæ extrinsecæ: antecedens probatur finis non est causa, nisi vt amatus, sed notitiæ practicæ conuenit esse tale sine amore finis: ergo potest habere esse tale sine fine. Probatur Minor. Hæ notitiæ sunt practicæ. Viuendum est rectè. Quærenda est beatitudo: etiam si quis nolit actu elicito rectè viuere vel saluari.

42 Nec iuuat dicere, quod talis aptitudo, per quam notitia dicitur practica insit illi à fine, non vt amato, sed vt amabili. Nam effectus non habet à causa aliquid in quantum nata est causare, sed in quantum actu causat: sed finis vt amabilis, est tantum in aptitudine causandi: ergo non causat, nisi vt actu amatus mouet efficiens ad agendum; sed fine non amato, adhuc notitia est practica: ergo non habet hoc à fine. Arguitur ad idem. Si notitia practica habet esse à fine, vel vt habito in re, vel vt amato, vel vt cognito; non primo modo, quia sic haberet rationem effectus, ac per consequens posterioris, posterius autem non potest dare esse formale Superiori, & Priori: ergo finis non potest esse ratio habitui practico essendi tale: non secundo modo, vt supra probatum est; si tertio modo sic habet rationem obiecti: ergo notitia practica est talis extrinsecè ab obiecto. Vnde illud notandum, quod cum in aliquo concurrit ratio finis, & obiecti, tunc notita est practica ab illo vt induit rationem obiecti, non verò finis. Sicut Deus in Theologia est finis, & obiectum; illa verò notitia de eo habita est practica ab eo vt est obiectum, non verò vt est finis. Similiter in Medicina Corpus humanum est finis, cui acquiritur sanitas, & est etiam obiectum talis scientiæ, nec verò est practica ab obiecto quatenus est finis, sed quatenus est obiectum. Confirmatur. Habitus, & actus practici, & speculatiui distinguuntur penes obiectum: ergo ratio speculatiui, & ratio practici ex obiecto habent distinctionem.

Quo ad secundum. Aquo dicatur Practicus, vel Speculatiuus intellectus. Respondeo quod dicitur talis ab habitu, vel actu practico. Probatur quia. Nihil est aliud in intellectu à quo possit dici practicus, nisi habitus, vel actus practici: ergo ab his denominatur talis. Confirmatur effectus formalis est à causa formali; esse practicum, est effectus formalis in intellectum: ergo ab habitu vel actu, tanquam à causa formali; non enim potest dici habitus, vel intel-

intellectus practicus à praxi formaliter, cum talis non ſit in eo, ſed in Voluntate, vel alijs potentijs, vt iam, prædictum eſt.

ARTICVLVS IV.

Num Ratio Practici, vel Speculatiui, ſint differentiæ eſſentiales habitus?

43 RESpondeo, diuiſionem habitus in Practicum, & Speculatiuum, non eſſe diuiſionem generis in differentias eſſentiales. Probatur Practicum dicit duplicem relationem aptitudinalem ad Praxim, vt ad terminum, Prioritatis, & Conformitatis; Speculatiuum verò carentiam vtriuſque: ſed nec reſpectus, nec priuatio poteſt eſſe de ratione rei abſolutæ, qualis eſt cognitio: ergo practicum, & ſpeculatiuum non ſunt differentiæ eſſentiales notitiæ. Dico ſecundo. Diuiſionem notitiæ in practicam, & ſpeculatiuam eſſe diuiſionem generis, quaſi per proprias paſſiones ſpecierum: cum differentiæ rerum ſint nobis ignotæ. Sicut ſi diuidatur numerus per par, & impar; & linea per curuam, & rectam, & animal per riſibile, & rudibile. Ex quo infertur, non poſſe eidem notitiæ ineſſe practicum, & ſpeculatiuum, ſicut nec duæ propriæ paſſiones ſpecierum diuerſarum non poſſunt eidem formaliter ineſſe. Probatur. Ratio præciſa, & adæquata propriæ paſſionis eſt differentia ſpecifica; at nulli poſſunt ineſſe duæ differentiæ ſpecificæ: ergo nec duæ propriæ paſſiones. De his fuſius Scotus *quæſt.* 5. *Prologi*, Si verò ſpeculatiuum, & practicum comparentur ad intellectum, nec ſunt differentiæ eius eſſentiales, nec propriæ paſſiones. Primum patet per eamdem rationem, qua probauimus non poſſe eſſe differentias eſſentiales notitiæ. Secundum patet, quia propria Paſſio eſt inſeparabilis à ſubiecto; at intellectus in ſe, nec eſt pacticus, nec ſpeculatiuus, imo ſine vtroque eſt aliquando: vt patet de intellectu carente habitibus, & actibus practicis, & ſpeculatiuis. Quare cum diuiditur intellectus in practicum, & ſpeculatiuum, eſt diuiſio ſubiecti in accidentia.

ARTICVLVS V.

Reſpondetur ad Quæſtionem Principalem.

44 EX his facilè eſt reſpondere ad propoſitũ diſceptationis principalis. Dicendo, quod Logica ſit tantum ſpeculatiua, & nullo modo practica: ita Scotus *quæſt.*4. *Prologi*. Prob. Cognitio practica eſt directiua Praxis: vt patet ex dictis. At Logica non eſt talis, nec mediatè, nec immediatè; non enim ſe habet vt regula directiua actionum bonarum Voluntatis, nec eſt directiua potentiarum ſenſitiuarum, nec earum actionum: ergo nullo modo eſt practica. Deinde intellectus per Logicam non extenditur extra ſe, ſed manet præciſè in ſuis operationibus: ſed per pacticam intellectus extenditur, ex ante dictis: ergo Logica non eſt pactica. Tertiò obiectum Logicæ non eſt practicabile, ideſt continens virtualiter, vel formaliter directionem Praxis, & principia practica, ſed eſt ſpeculabile; at notitia practica habet eſſe ab obiecto practico: ergo Logica non eſt practica. Poſtremo. Vel eſſet practica actiua, vel factiua, nam 6. *metaph. cap.*2. in hæc diuiditur practica; ſed non eſt factiua, quoniam eius operatio non tranſit in materiam extrinſecam; non eſt actiua, quia non eſt circa actionem, quæ procedit ab electione Voluntatis, quod requiritur ad practicum, ex 6. *eth. cap.*10. Nec habet pro fine operationem aliquam extra intellectum, quod etiam requiritur ad practicum

3. *de anima t.* 8. ergo Logica non est practica.

45 Huic Assertioni addo aliam. Logicam esse speculatiuam non realem, sed rationalem. Pro quo breuiter notanda est scientiarum distinctio. Scientiarum enim quædam sunt reales, quædam rationales, quæ etiam Sermocinales appellantur; primæ a rebus realib., secundæ ab entibus rationis consideratis nomen sortiuntur. Illæ diuiduntur in speculatiuas, & practicas: speculatiuarum vero finis est sola Veritas; practicarum est opus. Speculatiuæ autem 6. Metaph. distinguuntur in physicã, mathematicam, & metaphisicam: Physica ens materiale vt tale est, mathematica Quantitatem, metaphisica ens, vt ens, considerant. Practicæ distinguuntur in Actiuas, & Factiuas. Actiuæ dicuntur, quæ dirigunt operationes immanentes: vt amare, odire &c. Factiuæ sunt quæ dirigunt operationes transe- autem actiuæ complectuntur. Ethicam, untes; vt ædificare, pingere &c. Practicæ quæ de regenda familia: Politicam, quæ de moribus agit; Oeconomicam, quæ de regenda republica, tractant. Factiuæ continent artes quos vocant mæchanicas, quas, & sordidas 8. *polit. cap.* 2. vocat Philosophus, hæque seruiles sunt: vt lana, nemus &c. Rationales vero scientiæ quæ & sermocinales, non distinguuntur in practicam, & speculatiuam; sed solum sunt speculatiuę, quę continent Grammaticam, Rhetoricã, & Logicam. Quod si quæras cũ scientia realis distinguatur in Practicam, & Speculatiuam, cur non similiter rationalis? Respondeo quod non inconuenit vnum diuidentium scientiæ realis reperiri in scientia rationali, alterum vero non. Nam sicut ens reale diuiditur in substantiam, & accidens, & tamen ens rationis est tantum accidens, & non substantia, ita in proposito. Adde quod Practicum, & Speculatiuũ sunt talia extrinsecè ab obiecto. scientiæ autem realis potest esse duplex obiectum operabile scilicet, & speculabile; scientiæ vero rationis obiectum tantum habet rationem speculabilis.

46 His positis declaratur Assertio secunda, quod logica sit sciẽtia rationalis, quamuis sit ens reale. Logica est de ente rationis vt de obiecto: ergo est scientia rationalis. antecedens patet: per hoc enim distinguitur à scientia reali. Secundò prob. Logica est habitus de prædicamento Qualitatis, ergo est ens reale, tenet, cõseq. quia in prædicamento tali non reponuntur entia rationis. Vnde denominatione intrinseca est vere ens reale. Denominatione extrinseca est scientia rationalis. Est autem Denominatio intrinseca, quæ appellat formam denominato inexistentem; vt homo intrinsecè dicitur rationalis, vel albus: quia hæ formæ Rationalitas, & albedo ei inexistunt. Denominatio extrinseca est, quæ appellat formam alteri à denominato inexistentem: vt paries dicitur visus non visione inexistente in pariete, sed inhærente homini videnti. ita Logica dicitur rationalis ab ente rationis: non quia ens rationis de logica prædicetur formaliter; sed quia ens rationis dicitur de syllogismo in logica considerato.

47 Aduersus tamen præcipuam Assertionem instabis. Logica docet constituere syllogismum: ergo est practica, patet sequela: quia speculatiuæ finis est Veritas; practicæ vero est opus. Respondeo distinguendo antecedens. Vel enim intelligitur, quod doceat constituere syllogismum per opus intellectus practici, & sic falsum est antecedens, & Consequentia tenet. vel per opus intellectus speculatiui, & sic verum est antecedens, & falsa sequela. Dices. Notitia directiua Conclusionis syllogismi practici, est practica *ex* 3. *eth.* sed logica est talis; quoniam docet, quomodo definiendum, arguendũ, diui-

diuidendum, quæ ſunt Concluſionis ſyllogiſmi practici: ergo ipſa eſt practica. Reſpondeo negando Minorem; non enim omnis ſcientia docens, quod ſic eſt operandum, quod ſic eſt agendum eſt practica; ſed ea quę operationem dirigit alterius potentiæ, quam intellectus. Nec ſic eſt logica nã diuidere &c.opera ſunt intellectus, non alterius potentiæ.

48 Si dicas. Cognito modo ſyllogizandi, voluntas vult, & ſic imperat potentiæ inferiori organicæ, nimirum linguæ, vt ſyllogizet, ergo logica eſt practica.

Reſp.negando ſequelam. Non enim omnis notitia, ad quam ſequi poteſt naturali quadam conſecutione Volitio, & imperium Voluntatis in alijs potentijs eſt practica. Nam ſic. nulla eſset ſpeculatiua. nam metaphiſicalẽ Concioſionem poteſt Voluntas velle naturali quadam complacentia,& imperare linguæ,vt eam manifeſtet,vel de ea diſserat, nec tamen eſt practica; ſed tunc dicitur notitia practica, cum illa ex ſui natura eſt directiua Praxis, & continens virtualiter, vel formaliter rectitudinem Praxis, quo modo non eſt logica.

49 Cum dicitur logica eſt de operabilibus a nobis; ergo non eſt practica.

Reſpondeo ad antecedens, non eſse modum ſciendi rem operabilem operatione Voluntatis. ſed ſolius intellectus. Deinde practica non dicitur talis,quia ſit de opere exercendo à nobis ſimpliciter; nam & ſpeculatiuæ habent ſpeculari propter finem: qui quidem eſt opus hominum: ſed dicitur practica de operabili, ideſt de obiecto, circa quod poſsumus habere operationem aliquam,quæ ſit Praxis, & hoc ex virtuali cõtinentia rectitudinis Praxis. quam tale obiectum continet, id vero non accidit in ſyllogiſmo logicæ ſubiecto,de quo mox dicam.

DISCEPTATIO V.

Vtrum ſubiectum Logicæ ſit ſyllogiſmus?

50 SVbiecti nomen multifariã ſumitur. Vel pro eo, quod alicui formæ ſubſtantiali, vel accidentali ſubſtat: vt Corpus animæ. Vel pro ente in actu formali, quo modo 5.*Phyſicorum dicitur*, omnem motum eſse mutationem de ſubiecto in ſubiectum. Vel pro eo,qui alieno ſeruitio eſt dedicatus; de quo Ariſtoteles 1. Politicorum. Vel pro inferiori, vt in Antepręcicamentis. Quando alterum de altero prædicatur: vt de ſubiecto, ideſt de inferiori. Vel pro eo. quod habet relationem ad prædicatum, & ſubiectum eſt illud de quo aliud dicitur. Poſtremò pro eo quod in ſcientia primo conſideratur: quomodo Ariſtoteles 1.*poſt. cap.*25.inquit, *Scientia eſt vnius generis ſubiecti, partes, & paſſiones eius conſiderans*; & de hoc quærimus, idque ipſum obiectum, & materia ſolet appellari, ſeu ſubiectum. Dicitur materia, ſeù ſubiectum, circa Quod, quod coincidit cum efficiente; nam ſcientiæ ſubiectum,eſt illius cauſa, & id circa quod verſatur ſcientificus; dicitur etiã obiectum, quia primo obijcitur intellectui in tali ſcientia: Quare ſubiectum materiæ, & obiecti: ſibi vendicat nomen. Rurſus obiectum hoc modo non eſt ſcibile propinquum, ideſt concluſio ſcita,ſed ſcibile remotum,de quo paſſiones in tali ſcientia demonſtrantur.

51 Deinde not. quod duplex poteſt aſſignari ſubiectum ſcientiæ primũ, vel primitate adęquationis, quod & totale vocatur; vel primum primitate perfectionis. Illud notat ęqualitatem præciſam ſcientiæ ad ſubiectũ, & eſt commune ſic,quod non excedat, nec excedatur: vt ens in Metaphiſica:

anima

anima in genere in *lib. de anima*: hoc autem dicitur illud, quod eſt nobilius, & excellentius ens quocumque alio ad illam ſcientiam pertinente: vt ſubſtantia immaterialis prima in Metaphiſica. Anima rationalis in *lib. de Anima*.

52 Notandum Tertio, quod ſubiecti primi primitate adæquationis præcipuæ conditiones ſunt tres; dico præcipuas, ne videar excludere alias, quas Scotus, 1. *Report. quæſt.* 1. enumerat: quæ tamen ſi bene perpendantur ad has tres, *quæſt.* 3. *Vnalium*, poſitas, reducuntur. Prima ergo eſt, quod ſit notum de ſubiecto Quid eſt, & Quia eſt; Per Quid eſt: poteſt intelligi, vel conceptus quidditatiuus, qualem habet Deus, & ens, licet careant definitione, Vel poſſumus intelligere definitionem quidditatiuam, & tunc ad obiectionem, quæ poteſt fieri de ſubiecto Metaphiſicæ, quod eſt ens, & Theologiæ, quod eſt Deus: dicendum quod hic Scotus loquitur de ſubiecto attributionis, non prædicationis, & ſic excluditur ens: & de ſubiecto ſcientiæ naturalis, & ſic excluditur Deus.

53 Per Quia eſt. Intelligimus, quod tale ens, quod ponitur pro ſubiecto ſit poſſibile, cui non repugnat ſuo modo exiſtere. Sed illud notandum: quod ſcibile vt tale non includit actualem exiſtentiam; tum quia ſcientia abſtrahit ab exiſtentia; tum quia ſcientia eſt neceſſariorum: exiſtentia verò in Creaturis eſt contingens: includit tamē aptitudinem, vel non repugnantiam ad exiſtendum. De ſubiecto ergo demonſtrationis, debet præſupponi Quid eſt, & Quia eſt; ita Ariſtoteles 1. *poſt. t.* 2. Dixi de ſubiecto demonſtrationis debere hęc pręſupponi: Nam de ſubiecto ſimpliciter ſumpto poſſunt eſſe quæſtiones: poteſt enim e. g. quæri de Corpore naturali: An repugnet eſſe in rerum natura, & quid nam illud ſit: & tunc Quid eſt, & quia eſt eſſent Quæſtiones; & de ſubiecto demonſtrationis, in quantum de eo debent oſtendi paſſiones, debet pręſupponi Quid eſt, tanquam medium ad oſtendendam paſſionem; & præſupponitur Quia eſt ideſt poſſibilitas, vel non repugnantia, alioquin de illo non poſſet aliquid oſtendi: nam de impoſſibili non oſtenditur ens poſitiuum. Nota, quod in proceſſu inquiſitiuo, non præſupponitur Quid eſt, & ſi eſt, de ſuo ſubiecto; ſed bene in proceſſu demonſtratiuo, quia nulla ſcientia probat ſuum ſubiectum eſſe.

54 Secunda Conditio. Quod per ſubiecti definitionem demonſtrentur paſſiones de eo. ita Philoſophus 1. *poſter.* cum ait: *t.* 25. ratio vltimi termini, id. eſt ſubiecti eſt medium demonſtrationis. Nec obſtat, quod Deus, & Ens careant deffinitione, ac proindè non videtur poſſe poni ſubiectum metaphiſicæ, & theologiæ; Occurrendum eſt, quod eo modo, quo ſubiectum habet quodquid eſt, ita ſuũ quodquid eſt poteſt eſſe medium in demonſtratione: ſi definitionem habeat, definitio erit medium; Si conceptum quidditatiuum, hic erit medium; ſed cum careamus nomine talis conceptus quidditatiui, aliquo modo diſtincti ab eo cuius eſt, ne videatur petere principium, vtimur alijs pro medio, & non conceptu quidditatiuo.

55 Nec obſtat, quod vna paſſio per aliam demonſtretur etiam ex Sententia Scoti: ex quo videtur medium eſſe paſſionem, & non deffinitionem. Dicendum eſt enim primo, hoc dubium eſſe: ſiquidem non ſibi certo conſtat Scotus, vt alibi videbimus. Secundò. Nos loqui de demonſtratione potiſſima, in qua medium eſt ratio eſſendi, & cognoſcendi paſſiones. Non eſt autem ſic, cum paſſio vna per aliam demonſtretur; eſt ènim medium tunc cognoſcendi, & non eſſendi. Nec videtur Ariſtoteles Contrarius, cum 2. *poſt. t.* 8. ait. Medium demonſtrationis eſſe ratio-

tionem primi termini, ideſt maioris extremitatis: hæc autem eſt paſſio non ſubiectum; Nam dicendum eſt, eum loqui de demonſtratione non potiſſima: de quare loquendi iterum reddibit occaſio ſuo loco.

56 Tertia Conditio eſt. Quod ad ſubiectum omnia alia in ea ſcientia conſiderata reducantur. Quod tamen non ita intelligendum eſt, quod ſingula reſpectu illius habeant rationem partis ſubiectiuæ, de quibus in recto prædicetur ſubiectum: tunc enim in realibus ſcientijs nullum poſſet aſſignari ſubiectum, niſi ens, quod eſt ſic commune per prædicationem. Sed intelligenda eſt hæc conditio, quod ad ſubiectum ſingula habeant attributionem, vel vt partes materiales, vel ſubiectiuæ, vel principia, vel paſſiones ipſius, vel ſuarum partium: ita quod propter ipſum omnia reducantur. Probatur alioquin ſcientia non eſſet Vna. Tenet Conſequentia. Ex eo enim ſcientia eſt Vna vnitate extrinſeca, quo ad vnum habet ordinem: vt exercitus vnus, & Mundus vnus ob ordinem partium inter ſe, & ad vnum. Probatur etiam eadem ſæquela. Scientia habet vnitatem, vt à cauſa effectiua, vel ab intellectu, vel ab obiecto: non ab illo: quia omnes ſcientię eſſent vna ſcientia: ergo ab iſto. Hinc commune illud Ariſtoteles 3. *de anima t.*38. Scientię ſecantur quemadmodum & res, quod ſcilicet alię, & alię ſint ſcientiæ ob alietatem ſubiecti. Nec obſtat, quod perfectius reducatur ad imperfectius: nam hæc reductio, vel attributio non eſt ad ſubiectum, tanquam ad Menſuram, de qua verificatur illud, 10. *metaph.* in vnoquoque genere eſt vnum, quod eſt metrum, & Menſura illorum quæ ſunt in illo genere: quomodo ſubſtantia immaterialis prima in metaphiſica: anima rationalis *in lib. de anima*, eſt metrum illorum, quæ ibi conſiderantur; ſed hæc reductio eſt ad ſubiectum, vel tanquam totum potentiale, vel tanquam ad medium cognoſcendi: nam innata eſt nobis via à communioribus cognoſcere minus Communia. Quamuis etiam quodlibet ſubiectum poſſit dici nobilius is, quæ conſiderantur in ſcientia permiſſiuè, licet non ſemper formaliter. Sicut Superius permiſſiuè eſt nobilius quocumque inferiori. Ex his ſit.

Aſſertio Prima. Ens rationis non eſt ſubiectũ adęquatum Logicę. Prob. Tum quia deſunt ei duæ Conditiones primę: neque enim in Logica Ariſtotelica de eo traditur definitio, nec de eodem in genere demõſtratur aliqua paſſio; Tum quia ſub ente rationis multa continentur: quæ ad Logicam non pertinent: vt relatio Creatoris ad Creaturam: & ea quæ à Rhetore, & Grammatico conſiderantur. Nec ſatisfacit qui dicit a Logico tractari ens rationis, vt directiuum operationum intellectus: quod vocatur ens rationis Logicum: nam præterquam quod eidem duæ conditiones priores deſunt; etiam illud obſtat, quod ſubiectum materiale debet æquari rationi formali; At ens rationis non æquatur directiuo: quia relatio Creatoris eſt ens rationis, & tamen non eſt directiua operationum intellectus: ergo &c. Deinde Ens rationis non poteſt dirigere operationes intellectus. Tum quia eſt poſterius: vt potè reſultans ex operatione; Tum quia eſt obſcurius illis, poſterius verò, & obſcurius non habent rationem directiui: ergo &c.

57 Cum obijcitur. Quod Logica ſit rationalis: ergo de ente rationis, vt de ſubiecto. Dicendum quod vel eſt de ente rationis vt de ſubiecto prædicationis, non adęquationis. Vel quod eſt de ſyllogiſmo, qui eſt ens rationis pro formali. Cum dicitur ex Ariſtoteles 4. *metaph. t.* 5. Circa idem laborant Metaphiſicus, Dialecticus, & Sophiſta: ſed Metaphiſicus laborat circa ens, ergo & Logicus. Dicendum laborare

illos

illos circa idem non eodem modo. Nam Metaphisicus per se considerat ens reale; Logicus verò per accidens, tanquam fundamentum secundarum intentionum. Cum dicitur. Supremę scientiæ naturalis Ens est subiectum:ergo nobilioris artis rationalis,ens rationis erit subiectum. Respondeo negando sequelam: nam ad supremam scientiam spectat considerare omnes res, & entia sub ratione communissima, quare debet illi correspondere communissimum subiectum, vt adæquetur scientiæ;sed ad scientiam rationalem dignorem, qualis est Logica, non spectat considerare omnia entia rationis: quare si illud statuatur pro subiecto, non ęquaretur scientię, sed scientiam excederet: vt de se liquet.

58 Assertio Secunda. Operationes Intellectus, vt dirigibiles, vel vt directę non sunt Logicæ subiectum. Probatum quia harum consideratio spectat ad animasticum: quod probatur. Scientia, quæ considerat naturam alicuius, considerat operationes, & passiones eiusdem: animasticus considerat naturam intellectus: ergo idem considerat eiusdem operationes, & passiones: sed dirigibilitas est propria passio naturalis operationis intellectiuę secundum se: ergo ab animastico consideratur. Nec obstat, quod per ea, quæ in Logica considerantur, diriguntur operationes intellectus: ergo & istæ debent esse subiectum in Logica. Dicendum, non tenere consequentiam: sic enim omnia quibus applicantur intentiones secundæ à Logica consideratæ essent subiectum, tunc multa, imò omnia essent subiectum Logicæ: nam omnibus rebus applicantur Syllogismus, Definitio, & Diuisio. Deinde non propositum est Logicæ, considerare id, quod dirigitur, sed modum dirigendi: sicut fabriferrarij non est considerare ferrum: sed formam mallei, vel aliam in ferrum inducendam: ita ad Logicum spectat per se considerare Syllogismum, per quem dirigitur operatio tertia intellectus: operationē verò alteri artifici relinquit. Pręterea vt obiectū artis frenęfactiuę est frenum, non equus dirigibilis, licet illud sit instrumentum quo dirigitur equus: ergo Logicæ subiectum erit Syllogismus, per quem regulatur tertia operatio intellectus; & non ipsa operatio regulata. Adde quod sicut ad metaphisicam spectat intelligibilitas entis, sicut & ens; ita dirigibilitas operationum animæ ad animarticum pertinet. Adde demum. Ea quæ tradit scientificus, debent tribui subiecto; sed quæ tradit Logicus non possunt tribui operationibus, nec vt dirigibilibus, nec vt directis. Quod Probatur. Constare ex genere, & differentia: habere tres terminos, & duas propositiones, generare opinionem, regulare per dici de omni, & dici de nullo, & similia, non possunt conuenire operationibus mentis: sed formaliter ipsis secundis intentionibus: ergo non illę, sed aliqua secunda intentio: vt Syllogismus,est subiectum in Logica. Nec obstat, quod detur scientia dirigens actus Voluntatis: ergo pari ratione debet dari scientia dirigens actus intellectus. Dicendum, sequelam non esse veram; nam intellectus ex se non est cęcus, sicut Voluntas: ac proindè non ita ille, sicut ista indiget directiuo. Vel admissa consequentia, dicendum est scientiam dirigentem actus Voluntatis habere pro obiecto virtutem moralem; ita & scientiam dirigentem actus intellectus habere pro obiecto modum directiuum, qui est Syllogismus: non autem actus directos, vel dirigibiles.

Assertio Tertia. Syllogismus est adæquatum subiectum totius Logicę: *ita Scotus quæst. 3. Vnalium.* Et probatur Conditiones subiecti adæquati ei conueniunt: ergo est subiectum adæquatum. Definitionem Syllogismi præcogno-

gnoscendam de eo vt subiectum est, tradit Aristoteles 1. *priorum*. Nec obstat, quod solius entis realis sit definitio ex Scoto 4. *d.* 1. *q.* 2. imo quod sit solius substantiæ ex 7. *Metaph. t.* 12. *&* 15. & solius speciei. 7. *metaph. t.* 13. Dicẽdum enim est, quod Quale est ens, talis est eius definitio; & sicut habet quidditatem, habet & definitionem. Sola autem substantia, & species specialissima huius habet completũ esse, & quid illius; ergo sibi correspondens est definitio propria, & quidditatiua. Sed sicut sunt gradus in entibus, sic habent quid, & definitiones: Est ergo definitio syllogismi suæ entitati correspondens: non eius perfectionis, sicut est definitio entis realis substantiæ, vel speciei. Habet etiam syllogismus. Quia est, possibilitatem suo modo existendi, .s. in singularibus, & in fundamento.

59 Secunda etiam Conditio ei conuenit; si quidem per definitionem eius demonstrantur passiones: vt habere tres terminos, duas propositiones; & si quæ sunt aliæ, easdem continet suo modo virtualiter. Explico. Duplex pro nunc est Continentia; Virtualis, & Potentialis, hæc est in Superiori genere respectu suarum Specierum, & passionum earumdem specierum. Quomodo animal potentialiter hominem, & risibilitatem continet. Illa vero est duplex, in esse reali, & in esse cognito. Prior est cum Continens potest producere in esse reali contentum: vt Arbor fructus: Posterior est cum Cõtinens potest gignere cognitionem cõtenti: vt homo cognitionem risibilitatis. In syllogismo simpliciter est cõtinẽtia potentialis respectu passionum syllogismi topici, & demonstratiui, sicut enim isti potentialiter in syllogismo simpliciter continentur; ita passiones eorumdem. Continentiã vero virtualis est in syllogismo simpliciter respectu passionum consequentium eum, ex eo quod syllogismus est: vt habet tres terminos; & duas propositiones. Quamobrem non dicimus, syllogismum simpliciter continere omnes Veritates logicæ, cuius est subiectum; nam hæc conditio est tantum subiecti, quod est species specialissima: vt asserit Scotus *q.* 3. prologi; sed dicimus syllogismum Continere omnes Veritates logicæ, vel potentialiter, sicut sunt veritates demonstratę de topico, & de demonstratiuo syllogismo: Vel virtualiter sicut continet proprias passiones. Nec assentior nonnullis negantibus talem continentiam ab ente rationis. Nam licet primo, & propriè conueniat enti reali; suo tamen modo conuenit & enti rationis; potest enim syllogismus parere cognitionem passionum in eo contentarum, ac per consequens eas continet virtualiter. Hæc vero continentia virtualis, per quam passiones emanant à subiecto, non arguit modum physicum productionis; tunc enim passio à subiecto realiter distingueretur: nec enti rationis productio physica potest conuenire, sed dicit modum metaphysicum per simplicem emanationem, quæ enti rationis non repugnat.

60 Habet tertiam, & vltimam Cõditionem subiecti. Quia ad ipsum omnia alia considerata in logica reducuntur, vel tanquam passiones sui ipsius vel eorum, quæ ad ipsum spectant; vel tanquam partes, vel principia; quædam enim sunt partes materiales syllogismi remotæ, quædam propinquę; de illis in prædicamentis agitur: quorum cognitioni subseruiunt vniuersalia: de istis in libris perhierm. Quædam sunt partes subiectiuæ: vt demonstratiuus, & Dialecticus. Quædam pertinent ad syllogismum: vt passiones: vt habere tres terminos, & duas propositiones. Quædam vt principia formalia: vt regulari per dici de omni, & dici de nullo. Quædam pertinent ad syllogismum, vt priuatio eius: vt syllogismus Sophisti-

F cus

cus, eiusdem enim artificis est cognoscere habitum, & priuationem. omnia ergo in logica considerata ad syllogismum habent attributionem.

61 Sed dices. Oppositum habet Scotus *q.2. lib.1. Priorum*, vbi habet. Iste terminus syllogismus non est subiectũ in tota logica. Et inferiusculè. Iste terminus instrumentum sciendi est subiectum in tota logica: ergo.

Respondeo, Scotum ibi intellexisse obiectum communitatis assignare, seù prædicationis. Contradices. Scotus ibi non assignat conditiones subiecti, communitatis, seù prædicationis: ergo nõ intelligit tale obiectum assignare. Consequentia tenet, cum inane sit loqui de vno, & assignare Conditiones de alio. antecedens etiam constat. Nã Scotus *loc. cit.* §. *Quantum ad 2.* postquam assignauit aliquas conditiones subiecti, explicans secundam, qua videbatur, loqui de subiecto prædicationis, seù Communitatis. (erat enim hęc, quod subiectum sit commune ad omnia considerata in illa scientia) inquit. *Secunda conditio, non debet intelligi, quod subiectum sit commune secundum prædicationem, sed suffitit, quod omnia considerata in illa scientia reducantur ad illud subiectum, vel vt principium, vel vt pars.* ergo &c.

Respond., Scotum assignauisse conditiones subiecti attributionis, vt dignosceremus, instrumentum sciendi nõ esse de talium numero: aliquando enim assignantur Conditiones vnius, vt excludatur aliud, & quod ita sit patet legenti Textum Scoti; nã in 1. Conclusione habet hæc Verba. *In logica determinatur de definitione, diuisione, enthymemate, & inductione, ad quæ iste terminus syllogismus non est Communis.* Nunc peto, quomodo iste terminus syllogismus non sit ad illa Communis? Per Communitatem à se ipso explicatam, quatenus scilicet. Illa nõ reducantur ad syllogismum, aliquo modo? Certe quod non. Nam sic definitio ad syllogismum reducitur tanquam mediũ, Diuisio tanquam Ancilla. Enthymema, & Inductio tanquam imperfecta ad Perfectum. Atque adeo sic syllogismus est Communis; cum illa omnia amplectatur. Per Communitatem prædicationis propriæ sumptæ, quatenus in recto vnum prædicatur de altero? Ita quidem syllogismus ad illa non est Communis, cum de illis non prędicetur in recto, sed bene instrumentum sciendi, vt clarius habet Scotus Conclusione 2. dum inquit. *Omne instrumentum sciendi est diuisio, vel definitio, vel argumẽtatio, & in recta prædicatione valebit dicere. Diuisio est instrumentum sciendi: Definitio, est instrumentum sciendi &c.* Relinquitur igitur dicendum, Scotum intellexisse de obiecto Communitatis, vel Prędicationis in tali libro. Quem esto multi negent, esse Scoti propter diuersum modum procedendi, diuersamque methodum: est tamen Scoti, cuius calamus, sicut non cogebatur ad procedẽdum, sic nec quo ad Modum procedendi: & indignum Scotista est, sudores Scoti negare, ne sudeat in explicare.

62 Hinc explodimus Montursium, ingenio reuera celebrẽ, sed in palestra Scotica verbis sæpissimè ludentẽ, dum docet, quæ alij docent, & sub impugnationis vmbra, fatetur, quod & impugnati ab ipso fatentur; vt claret in hoc punto, in quo asserit, Scotum in libris priorum esse locutum de subiecto attributionis Vniuersali, & in *lib. Vniuersal.* de totali integrali attributionis. Quid est hoc? nisi fateri, instrumentum sciendi esse subiectum per prædicationem, quod & Scotistę ab ipso contempti, asserebant? Nam percunctor. Quid est esse subiectum per attributionem Vniuersale, nisi per prædicationẽ dici de omnibus attributis, & contentis sub illo Vniuersali? alium enim sensum nequit habere hoc subiectum per

attri-

attributionem Vniuerſale: & ſi alium ſenſum faceret: idem eſſet ac ſubiectū totale integrale attributionis, cum ad ſua attributa non ſe extenderet tātum per prędicationem, ſed etiam per ethe. rogeneam reductionē: ergo ſubiectum attributionis Vniuerſale eſt ſubiectum Prædicationis, ſeù Communitatis. Firmatur hæc impugnatio. Subiectum attributionis Vniuerſale eſt ſicut Quātitas continua ex ipſo: at quantitas cō. tinua eſt Vniuerſalis per prædicationē; cum de omnibus quantitatibus continuis prædicetur: ergo &c.

63 Ex multis, quæ poſſunt obijci contra Concluſionem hanc, vel aſſertionem, hæc ſunt. De ſubiecto habetur ſcientia: at de ſyllogiſmo non habetur ſcientia: ergo non eſt ſubiectum. Minor prob. ſi de eo haberetur ſcientia, eſſet per ſyllogiſmum particularē; at hic eſt ignotus, ſicut & ille in Communi, de quo quæritur ſcientia; per ignotum autem nihil ſcitur. Prob. etiam ſecundo. Quod ſyllogiſmus ille particularis ſit ignotus, ſi enim ſciretur. hoc eſſet per alium ſyllogiſmum, & tunc de illo eſſet eadem ratio, quod, ſcilicet, per alium ſciretur: & ſic eſſet proceſsus in infinitum. Si autem de illo, per quem haberetur ſcientia, non eſſet ſcientia: ergo neque de ſyllogiſmo in Cōmuni; quod .n. neſcitur de particulari, neſcitur de Vniuerſali: ergo &c.

Reſpondeo negando Minorem prioris argumenti; ad probationem dico, per ſyllogiſmū particularē haberi ſcientiam de ſyllogiſmo in communi, actiones enim ſunt ſingularium; & etiam demonſtratio, per quam habetur ſciētia, non poteſt eſſe, niſi per ſyllogiſmū particularem. Cum dicitur, hunc particularem eſſe ignotum: quia ſyllogiſmus in Communi eſt ignotus; neque enim eſt alia ſcientia de particulari, quam de Communi. Dico ſyllogiſmū hunc particularem, per quem, tamquam per inſtrumentum, vel cauſam efficientem habetur ſcientia; partim eſſe ignotum, & partim notum: ignotum quo ad paſſionem demonſtrandā de ſyllogiſmo in Communi: cum hæc primo inſit ſyllogiſmo in Communi; quam particulari, ex Ariſtotele *cap. de Proprio*. Eſt autem notus quo ad duo. ſcilicet. Quoad Veritatem euidentem præmiſſarum: quæ ſunt propoſitiones immediatæ illatiuæ Concluſionis: & Quo ad neceſſariam illationem Cōcluſionis ex præmiſſis. Quare non eſt inconueniens, quod ea parte, qua natus eſt, demonſtret de ſyllogiſmo aliquid ignotum. Ad formam, cum dicitur. Syllogiſmus particularis eſt ignotus, & per ignotum nihil ſcitur. Dico ad Maior. ignotum eſſe quo ad paſſionem demonſtrandam de Syllogiſmo in Communi: notum vero quo ad Veritatem immediatam præmiſſarum, & illationem neceſſariam Concluſionis. Ad Minorem, per ignotum nihil ſcitur; ea parte qua ignotum eſt, ſed bene ea parte qua notum eſt. Ad aliam vero probationem, cum petitur, vel de ſyllogiſmo particulari, per quem habetur ſcientia, eſt ſcientia, vel non? Dico quod eſt ſcientia de eo non primo, ſed bene per ſe; eadem enim paſſio, quæ demonſtratur de ſyllogiſmo in Communi primo & adęquatè: oſtenditur de ſyllogiſmo in particulari inadęquatè, ſed tamen per ſe. ſicut riſibilitas, quæ homini, primo conuenit, Petro non primo, ſed per ſe congruit. Cum obijcitur ergo per alium ſyllogiſmum particularem; de hoc ſyllogiſmo particulari eſt ſcientia; Neganda eſt ſequela, nam ſyllogiſmus ille particularis, per quem habetur ſcientia de Communi, eſt ſibi etiam cauſa ſcientiæ; itaque eſt; Quo, & Quod; vt lux in Corpore luminoſo, eſt quo corpus luminoſum, & lux ipſa eadem viſione videantur.

64 Obijcitur. Secundò. Nihil eſt ſubiectum totius, & partis. Syllogiſmus eſt ſubiectum. *libr. priorum*. Ergo non

eſt ſubiectum totius Logicæ. Maior probatur; alioquin adæquarentur pars, & totum. Patet. Quæ enim adæquantur vni tertiò illis adæquato adæquantur inter ſe; iuxta regulam. Illa quæ vni tertiò ſunt eadem, inter ſe ſunt eadem. Sed ſubiectum vnius partis adęquatur illi, & idem ſubiectum adæquatur toti: ergo totum, & pars adæquarentur; Quod eſt fal.

Reſpondeo Syllogiſmum ſimpliciter conſiderari dupliciter; vno modo quo ad paſſiones formaliter ipſum conſequentes, quæ ſunt Syllogiſmi, vt Syllogiſmus eſt, cuiuſmodi eſt habere tres terminos, & duas propoſitiones; alio modo conſideratur Syllogiſmus, quo ad paſſiones conſequentes partes illius ſubiectiuas, vel integrales, vel principia, eæque non conſequuntur Syllogiſmum, qua talis eſt, ſed immediatè conſequuntur ſua ſubiecta, & hæc cum ad Syllogiſmum reducantur, faciunt, vt ſuæ paſſiones ad eumdem reducantur. Hinc ad formam. Reſpondeo ad Maiorem; idem ſecundum eamdem prorſus rationem non eſſe ſubiectum totius, & partis: ad Minorem dico. Syllogiſmum ſimpliciter, eſſe ſubiectum *lib. priorum*. Quo ad paſſiones formaliter ipſum conſequentes: totius verò Logicæ, quo ad omnes paſſiones omnium in Logica conſideratorum. Ad probationem Maioris, qua dicitur, quod totum, & pars adæquarentur, concludit ſi idem ſecundum idem eſſet ſubiectum totius, & partis; Sicut enim non poteſt inferri identitas ſimpliciter aliquorum inter ſe, ex identitate aliqualiter in tertio; ſicut homo, & bos non ſunt idem ſimpliciter, ex eo quod ſunt idem animali; ità non poteſt inferri adęquatio totius, & partis ex adæquatione cum ſubiecto vno non eodem modo ſpectato.

65 Obijcitur Tertiò. Syllogiſmus nō eſt intelligibilis: ergo non eſt ſubiectum. Conſequentia patet antecedens. Probatur. Nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu. Ariſtoteles de ſenſu, & ſenſato: & ſicut ſe habent ſenſibilia ad ſenſum, ita phantaſma ad intellectum 3. *de anima t.30. & 39*. Sed Syllogiſmus nunquam fuit ſub ſenſu, numquam Phantaſiatus: ergo nec eſt intelligibilis. Reſpondeo antecedens eſſe falſum: ad probationem dico, Ariſtotelem debere intelligi de obiecto primo motiuo, quod intelligitur actu recto ab intellectu: cuiuſmodi eſt quidditas rei materialis, vel ſenſibilis: non de eo, quod intelligitur actu reflexo. Multa enim intelligimus, quæ non poſſunt cadere ſub ſenſu: vt Habitus, Actus, & Species. Ita intelligitur Syllogiſmus actu reflexo. Ad ſecundam auctoritatem Ariſtotelis, reſpondet *Scotus* 1. *d.3. q.1.* ad primum; Philoſophum intelligere de motione prima, non de ijs, quæ intelliguntur poſt primam motionem. Nam intelligentiæ, & Deus naturaliter intelliguntur, nec tamen ſunt phantaſiata, cum Corpore careant. Poteſt enim intellectus poſt primam motionem virtute phantaſmatis factam, intelligere aliquid incluſum in intellectu, vel abſtractum, abſque intellectione eius, à quo abſtrahit; & ita Syllogiſmus poſſet eſſe intellectus poſt primam motionem virtute fundamentorum factam, abſque eo, quod ſit phantaſiatus.

66 Obijcitur Quartò. Logica non habet entitatem à Syllogiſmo: ergo hic non eſt eius obiectum. Conſequentia tenet, ex Ariſtotele *primo de anima t.39. 6. metaph. t.2.* antecedens probatur. Non habet entitatem ab eo, vt a cauſa intrinſeca, vt patet, ergo vt a cauſa extrinſeca; ſed non poteſt eſſe finis: quia hic habet rationem Vltimi, & optimi. 2. *phi. t.25*. Syllogiſmus autem non eſt optimus in entitate: ergo vt à cauſa efficiente habet Logica entitatem ſuam ab eo, ſed non eſt agens vniuocum: quia Logica eſt ens reale: Syllogiſmus autem ens rationis. Neque

eſt

est causa æquiuoca: quia hæc est nobilior effectu; Syllogismus autem non est nobilior Logica. Quod si dicatur, Causam æquiuocam totalem esse nobiliorem suo effectu, non causam æquiuocam partialem: vt est Syllogismus. Contra. Tum quia, quod dependet ex pluribus causis est imperfectius quacumque illarum, *ita Scotus. quolib.* 14. *a.*1. Tum quia dependens à pluribus causis æquiuocis sapit naturam imperfectioris; at Syllogismus est ens rationis: ergo non est perfectior Logica, neque Logica sapit naturam eius, nam est ens reale, cum Syllogismus sit ens rationis.

Respondeo, Syllogismum esse causam extrinsecam Logicæ, mediatè tamen, idest mediantibus actibus rationis pluribus, vel vno intenso. Cum probatur, non posse esse finem, quia hic habet rationem optimi. Dico Syllogismum, vt scitum perfectiorem esse habitu acquisito ad eum ordinato. Et cum probatur, non posse esse causam efficientem. Dico esse causam efficientem æquiuocam partialem, de cuius ratione non est, vt sit perfectior effectu. Ad replicam priorem; dico ad Scotum, esse nobiliorem causam, vt causa, vel vt independens, eo, quod ab ipsa dependet, vel est causatum. Ad secundum dico, effectum æquiuocum, cum potest tenere naturam causæ particularis æquiuocę imperfectioris, illi assimilari aliquo modo, vel sapere naturam illius; cum verò non potest tenere naturam illius non oportet, quod effectus causæ imperfectioris sapiat naturam. Vel in vniuersum dico, esse falsam hanc propositionem: id quod dependet ex pluribus sapit naturam imperfectioris; intellectio enim lapidis dependet ab hoc, & ab intellectu, & tamen est actus vitalis, & non assimilatur lapidi cognito, vel speciei; quorum neutrum est vitale. Satis de hac Pædia.



PÆDIA



PÆDIA TERTIA.

De Ente Rationis, & Distinctionibus.

1 
VAMVIS hæc de ente rationis Pædia Inscipientium ingenia forsitan perterreat: eo quia tam entia parua, & penitus conficta nostri intellectus imbecillitas non possit, nisi cum magna animi applicatione decernere: tamen hoc loco, vt rerum Logicarum essentiæ, quæ penitus rationis sunt, percipiantur, est aliqualiter agendum. Hic pariter Primarum, & Secundarum Intentionum disceptatio apponitur, cum secundum Commune placitum Auctorum, & præsertim Scotistarum, entia rationis censeantur. Cui etiam adijcitur distinctionum tractatio, propter ipsorum tyronum Commoditatem. Sit igitur.

DISCEPTATIO I.

An, & Quid sit Ens Rationis?

2 Sciendum primo. Hoc nomen ens deriuari à substantiuo sum, es, est, & significat, quod habet, & potest habere esse in se, vel in alio. Nomen verò Rationis significat illam partem animi, qua cognoscimus, & intelligimus; potentiam scilicet intellectiuam; ita quod per ens rationis, intelligimus omne id, quod habet esse, vel habere potest dependenter à ratione. Tribus autem modis potest aliquid depẽdere à ratione, videlicet obiectiuè, effectiuè, & subiectiuè. Subiectiuè dicuntur dependere à ratione entia, quę nunquam habent suum esse, nisi inhęreant, siuè subiectentur in ratione, eo modò quo albedo dicitur esse subiectiuè in pariete. Huiusmodi sunt species intelligibiles, habitus intellectuales, & operationes ipsius intellectus, quæ omnia, cum accidentia sint, indigent subiecto, cui inhæreant; hoc autem subiectum est intellectus, seù Ratio. Effectiuè est dependere ab intellectu, vt non solum operationes ipsius; sed etiam ea, quæ per actum fiunt. Obiectiuè tandem pendent ea, quæ nullum esse habent, quam illud esse obiectiuè in intellectu, & in tantum existunt, in quantum ab intellectu concipiuntur, ideoque dicuntur, tantum esse habere obiectiuè in intellectu; sic sunt chimeræ, & alia Monstra per intellectum patrata: & etiã denominationes extrinsecę Creatoris, Incarnati, Visi, Cogniti, Amati &c. non quidem materialiter sumptę; quatenus, scilicet, sũt materia circa quam intellectus potest entia rationis

efformare; sed formaliter, quatenus concipiuntur ad instar formarum intrinsecarum.

3 Sciendum Secundo, quod quamuis omnia quæ aliquo modo pendēt à ratione, possint latiori modo dici entia rationis; magis tamen per se, & simpliciter loquendo, entia rationis dicuntur ea, quæ dependēt tantum obiectiuè à ratione: idest, quæ tantum habent esse obiectiuum in intellectu; hæc enim entia rationis sunt, quę contra distinguuntur ab ente reali. Ea vero, quæ habent esse subiectiuè, & effectiuè ab intellectu, nō dicūtur ita per se, & principaliter entia rationis, sed potius entia realia, cum habeant aliud esse ab esse obiectiuo in intellectu.

4 Ex his colligendum est, duo requiri necessario ad entis rationis naturam, & essentiam. Primo: vt nullo modo sit, nec possit esse a parte rei. Ratiò huius est: quia ens rationis debet omnino ab ente reali contradistingui. Si haberet esse actuale, vel possibile à parte rei, non omnino contra distinguetur ab ente reali: igitur ens rationis est, quod nullo modo est, nec potest esse à parte rei. Secundo requiritur, quod obijciatur intellectui, alias nihil esset, & de hoc disceptamus. An sit, & Quid sit.

5 Sciendum Tertio. Ens rationis obiectiuè sumptum solet describi varijs descriptionibus. Nos vero sic. *Ens rationis est, quod tantum habet esse obiectiuè in ratione ex imperio Voluntatis.* Hæc descriptio videtur optima, cum explicet adæquate entis rationis naturam, & essentiam. Dicitur. Quod habet tantum esse obiectiuè; ad differentiam ceterorum entium realium, & rationis. Dicitur Rationis: quia tantum ratio valet rationis entia efficere; aliæ autem potentiæ, estò dare possent esse obiectiuum, non tamen rationis, sed similitudinarium. Dicitur. Ex imperio Voluntatis: quia secluso huiusmodi imperio, Rationis entia nō efformātur. Ratio enim seù intellectus secundum se nequit ens rationis machínari. Tum quia huiusmodi entia contradictionem includunt: vt spirituale corporeum. Impossibile possibile; possibile impossibile, &c. at quod contradictionem includit non potest esse, nec intra, nec extra animam: vt habet Scotus *quolib.* 3. *A.* vbi habet. *Verissimè illud est nihil, quod includit contradictionem, & solum illud: quia illud excludit omne esse extra intellectum, & intellectu quod enim est sic includens contradictionem sicut non potest esse extra animam: ita non poteſt eße aliquid intelligibile, vel aliquod ens in anima: quia numquam Contradictorium cum Contradictorio constituit vnum intelligibile, neque sicut obiectum cum obiecto, neq; sicut modus cum obiecto*: ergo. Ratio, seù Intellectus secundum se pręcisè nequit ens rationis machinari. Tum quia Scotus 1. *d.* 3. *q.* 5. *ante* §. *Secundo Contra*, *docet, quod figmenta non habent genus, & differentiam, quia omne tale habet rationem in se falsam, & includentem Contradictionem: quia vna pars repugnat alteri, sed tales partes nunquam sunt genus & differentia: quia differentia est per se determinatiua generis, & per consequēs non repugnat ei*: ergo figmenta ex Scoto nequeunt esse intra animam; quod tamen debet intelligi de figmentis independenter ab imperio Voluntatis: non vero dependenter à Volūtatis imperio. Voluntas enim, tam actibus elicitis, quam imperatis valet entia rationis efformare, vt docuit Scotus 1. *d.* 45. *q. vn. C.* 4. *d.* 16. *q.* 2. *Quolib.* 17. *C.* & *alibi*. Prioribus; Quia Voluntas potest esse impossibilium ex Aristotele 3. *Ethicorum*. Et de facto Voluntas peruersa vult Deum non esse, cum habeat Deum odio; odiens autem vult oditū non esse. Ex Aristotele 2. *Rhetoricorum*. Præterea, potest fingere bonitatem finis, vbi non reperitur, nec reperiri

riri poteſt: vt frui ſe ipſa, vel alio ente Creato. Hæc autem impoſſibilia ſunt a parte rei, & poſſibilia machinari per Voluntatem; vt monet Scotus, 2.*d.* 6.*q* 1. §. *Quia tamen*. Poſterioribus etiam. Nam Voluntas poteſt imperare intellectui; vt diuidenda componat, componenda diuidat; ſicut enim pro ſuo libito componit dilectionem per ſe cum obiecto diligibili propter aliud; ita imperatiuè poteſt aſsenſum componere cum diſsentibilibus, & diſsenſum cum aſsentibilibus; ex quibus actibus imperatis, entia chimerica reſultabunt.

6 Dices ſi ſic: ergo Voluntas feretur in incognitum, cum Compoſitum illud diuidendum, diuiſum Componẽdum, Ens creatum, ſummè bonum propter ſe, diligendum, non fuerint præoſtenſa; quod tamen eſt falſum, cum nihil Volitum, quin præcognitum.

Reſpondeo, quod & ſi prædicta non fuerint præoſtenſa quo ad totum, fuerunt tamen prætenſa, quo ad partes, quod ſufficit, vt dicatur Voluntatem ferri in præcognitum. Quamquam enim intellectus non oſtendat bonitatem in illo obiecto, vel Compoſitionem, & diuiſionem in talibus, & talibus entibus; eas tamen oſtendit in alio, & in alijs, vel in ſe abſtractè; quod ſufficit, vt Voluntas eaſdem applicet obiectis propoſitis. Hinc aduertas ex Scoto 1.*diſt.* 1. *q*.1. *D*. præter finem verum, dari etiam finem præſtitutum, ſeù præfixum, qui tantum præfigitur à Voluntate: & eſt quando obiectum eſt oſtenſum a ratione ſub ratione mali; & Voluntas ex ſua libertate, illud ſibi præfigit, tamquam finem, nõ quod Voluntas feratur in malitiam per ſe; quia malitia non eſt obiectum proſecutionis; ſed quia, oſtenſo obiecto voluntati ſub ratione mali; & ex alia parte oſtenſa bonitate, vel in ſe, vel in alio obiecto, poteſt Voluntas effigere illam bonitatem tali obiecto, & ſic acceptare illud obiectum in ſe malum ſub prætextu illius bonitatis; ſicque dicatur ferri in præcognitum.

7 Dicés iterum. Ergo ſaltem quo ad totum feretur in incognitum; cum totum illud non ſit præoſtenſum. Concedo. Nam vt Voluntas tendat in actum, ſufficit obiectorum præcognitio, modo explicato. Præterquam quod. Illud axioma Nil volitum, quin præcognitũ. Non intelligitur de actu Voluntatis; nã intellectus dictat, aliquando obiectum eſse amandum, & Voluntas odit; actus odij non eſt præcognitus, eſse amandũ abſolutè; & volũtas amat vt duo; amor vt duo non eſt præcognitus. Eſse amandum vt duo, Voluntas amat vt quatuor, amor vt quatuor non eſt pręcognitus. Quantum igitur ad actum non intelligitur illud Axioma; ſed tantum quo ad obiectum; & hoc quo ad obiectum motiuum, non vero terminatiuum, quod per ipſum actum habet eſſe, cuiuſmodi eſſet in caſu illud Compoſitum, illud diuiſum, illud amatum. Hanc exceptionem de obiecto terminatiuo debere fieri, oſtendo a paritate intellectus. Sicut dicitur de Voluntate. Nil volitum quin præcognitum, ita de Intellectu, nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu, & tamen hoc non habet locum de obiecto tantum terminatiuo: ergo neque illud. His ſuppoſitis.

8 Aſſertio Prima. Datur Ens rationis. Ita Scotus 1.*d.* 36.*q.vn.F.* & *in* 4.*d.*1.*q*.2.§. *hic primo videndum eſt*. & *Ariſtoteles 6. Metap. circa finem*. Prob. Omnis actus intellectus debet habere aliquod obiectum; at datur aliquis actus intellectus, qui non habet obiectum reale: ergo debet habere obiectum rationis. Maior patet Minor. Prob. Ille actus, quo intelligo ſpiritualia vt corporea: priuationes per modum formarum poſitiuarum, & aliquod totum compoſitum ex humana, & equina natura, non habet aliquod obie-

obiectum reale; quia omnia ista sunt impossibilia, vt possibilia concepta: ergo est ens rationis. Prob. Secundò. Non potest dari transitus de contradictorio in Contradictorium, sine aliqua mutatione in eo, quod ita transit; sed quando obiectum, quod antea non cognoscebatur, & postea cognoscitur, transit de contradictorio in contradictorium: ergo mutatur, sed non mutatur ad aliquod reale: vt patet in Deo, qui non potest mutari realiter, & tamen de nouo cognoscitur: ergo mutatur ad aliquod ens rationis: ergo dantur Entia Rationis.

9 Dices. Sufficere mutationem in ipso cognoscente, qui de nouo mutatur à non cognoscere ad cognoscere. Contra sicut non potest cognoscens transire formaliter de non cognoscente ad cognoscens, nisi mutetur formaliter ad aliquam formam intrinsecam, ita nec potest obiectum transire de non cognito ad cognitum, nisi formaliter, & intrinsecè, ad aliquam formam mutaretur. Et quamuis hoc negarent Aduersarij dicentes, quod sicut obiectum tantum extrinsecè cognoscitur, ita & extrinsecè solũ mutatur, & nõ intr ins: Tamen hoc gratis dicerent; & eodem modo posset dici, quod similitudo, quæ est in vno pariete denominaret alterũ parietem similem, ad quem terminatur. Neque enim est ratio quare cognitio, quæ est in cognoscente denominaret rem, quam cognosceret, cognitam potius quã similitudo, quæ est in vno pariete denominaret alterũ parietẽ similẽ, ad quem terminaretur. Cũ ergo hoc negent Aduersarij, nec primũ debent affirmare. Est ergo in Deo cognito forma rationis.

10 Contra si sic: ergo Deus cognitus facit denominationem intrinsecã. Respondeo cognitum in Deo facere denominationem extrinsecam secundũ esse reale; intrinsecam vero secundum esse rationis, quatenus; scilicet cõcipimus, esse cognitum in Deo ad instar formæ sibi inhærentis.

Ob. contra Assertionem. Quidquid est aut substantia, aut accidens est: at ens rationis neutrum est: ergo non datur ens rationis.

Respondeo ens rationis esse accidẽs rationis subiectatum in rebus, quas denominat, & à quibus separari potest præter earum corruptionem.

11 Contra. Cuicumque enti alio ab ente increato assignatur causa effectiua; at enti rationis nulla potest causa effectiua assignari: ergo non datur. Mai. constat. Min. Prob. Nam si assignaretur causa effectiua; esset intellectus: at hic nequit assignari, cum nulla intercedat proportio inter intellectum & ens rationis: ergo &c.

Respondeo. Inter intellectum, & ens rationis tãtam intercedere proportionem, quantam inter eius cognitionem; hac tamen addita differentia: quod cognitio est effectus primarius, ens vero rationis secondarius.

12 Contra. Effectus quicumque Intellectus debet esse intelligibile, aliter non haberet cum intellectu proportionem; at ens rationis non est intelligibile: quia intelligibilitas est passio entis realis: ergo non potest participari enti rationis. Resp. concessa Mai. negando Min. ad probandum dico. Intelligibitatem realem esse passionem entis realis, non vero intelligibilitatem absolutè. Et si inquiras. Quid sit Intelligibilitas absolutè, & realis? Respondeo, quod hæc est, quæ ab ente reali procedit, & cum ipso conuertitur. Illa vero est, quæ conuenit omni enti provt à nihilo distinguitur.

13 Contra. Omne intelligibile debet habere speciem sui; at ens rationis non habet speciem sui: ergo &c.

Respondeo distinguendo Mai. omne intelligibile intelligibilitate reali; concedo. Intelligibilitate absoluta, nego, sic enim multa sunt intelligibilia,

quæ non emittunt ſpeciem ſui: vt ſunt relationes, priuationes, negationes. Et id generis alia.

14 Aſſertio Secunda. Ens rationis recte panditur per ſupradictam definitionem. Prob. & potiſſimum, quo ad illa particulam (ex Imperio Voluntatis) circa quam poteſt eſſe difficultas. Intellectus ſecundum ſe eſt potentia naturalis ad vnũ determinata, in cuius poteſtate ſicut non eſt agere: ſic nec modus agendi, & in tantum mouet, in quantum mouetur, & taliter mouet, qualiter mouetur; iſtæ enim ſunt Conditiones agentis, & potentiæ naturalis. Et hoc patet diſcurrendo de ſingulis cauſis naturalibus. Sol. enim de neceſſitate lutum condenſat, ceram liquefacit: quia ad liquefationem huius, & condenſationem illius mouetur à naturis ceræ, & luti: ſicut etiam talia mineralia in vno terræ loco, alia in alio iuxta talium locorum diſpoſitiones producit. Atque adeo dicitur. *Non omnis fert omnia tellus. Hinc Segetes, illinc veniunt felicius vuæ. Arborei fœtus alibi &c.* ergo in manu intellectus non erit ſic, vel ſic agere, cõponere diuiſibilia, & diuidere componibilia; ſed de neceſſitate diuidet diuidenda, & componet componenda; ſed ſic agere non eſt ens rationis efficere: ergo ſecluſo imperio Voluntatis non dabitur Ens rationis: atque adeo recta eius definitio, in qua huiuſmodi particula exponitur.

Firmatur Ratio. Intellectus taliter operatur, qualiter mouetur: Sed ab iſtis propoſitionibus. Tria ſunt Quatuor. Curuus eſt rectus, Angelus eſt Deus, &c. mouetur ad diſcenſum, & ad diuiſionem: ergo diuidet, & diſſentiet, dicendo. Tria non ſunt quatuor. Curuus non eſt rectus. Angelus non eſt Deus. Aliter peribit natura intellectus, quatenus agens neceſſarium eſt. Firmatur Secundo. Species Cæſaris rapreſentat Cæſarem, & non poteſt ræpræſentare Pompeum: ergo intellectus, cui rapræſentatur talis ſpecies concipiet Cæſarem, & non poterit per talem concipere Pompeum, ſed ex eo quod non cõcipit rẽ aliter quam ſit, & quam poſſit eſſe, non cõficit ens rationis; ergo intellectus nequibit ens rationis conficere indepenter à Voluntatis imperio.

15 Dices. Non repræſentari quidem obiectum, vt non poteſt eſſe in ſe tamẽ Intellectus abutitur illis ſpeciebus, ac proinde illud intelligit, ac concipit, vt non poteſt eſſe in ſe.

Contra. Non eſt in manu agentis neceſſarij abuti ſuis ſpeciebus, ſuiſque actibus, cum hoc ſit priuilegium tantum Agentis liberi: ergo nec intellectus. Prȩterera. Intellectus nequit, ita abuti ſpeciebus, vt poſſit concipere obiectum aliter, quam poſſit eſſe in ſe: ergo &c. Prob. antecedens. Nequit ita abuti ſpeciebus, vt poſſit intelligere aliquid quod non eſt rapræſentatũ: ſed hoc ſequeretur: nam intelligeret rem aliter quam ſit, & quam poſſet eſſe; & tamen res aliter quam ſit, & quã poſſit eſſe, non eſt rapræſentata: ergo &c.

16 Dices. Rem eſſe rapræſentatam, ſed non ſub illo modo, quod ſufficit. Contra. Si res non eſt repræſentata, ſub illo modo: ergo eſt repræſentata ſub modo diuerſo, ſcilicet, eo modo, quo eſt: ergo intellectus debet ſic illã intelligere, cum agens naturale ſit. Præterea. Si intellectus intelligeret rem ſub diuerſo modo, quo non eſt repræſentata: ergo aliquid intelligeret, quod non eſt raprȩſentatum: modus enim ille repræſentatus non eſt.

17 Dices. Poſſe eſſe repræſentatum, non à ſpeciebus ſecũdum ſe, ſed ex beneficio intellectus. Contra. Intellectus nequit dare ſpeciebus, quod ſic, vel ſic repræſentent: quia vnum quodque talis, vel talis naturæ, taliter, vel taliter repræſentatur: nec dependet

ab

ab aliqua causa extrinseca diuersitas effectus formalis: causarum formalium, sed ab ipsarum Naturis dependeret; repræsentare autem est effectus formalis speciei: ergo in nullius est causę manu sic, vel sic repræsentare; sicuti in nullius causæ est potestate, quod albedo nigresaciat, vel nigredo dealbet: vt de se enitet: ergo &c.

18 Dices, quod esto Intellectus concipiat illud obiectum, vt est in se, prima appræhensione; tamen in manu sua est secundo actu per contemplationem componere cum illo aliquam rationem sibi repugnantem. V. g. concipit primo hominem, vt homo est; concipit secundo irrationalitatem: & postea componit cum homine: & sic ens rationis efformaret.

Contra. Intellectus per primum actum debet intelligere illa duo eo modo, quo possunt esse: ergo non potest per alium actum, illa duo concipere: quia per actum primum, non sunt coniungibilia. Quando nanque Intellectus aduertit repugnantiam. Repugnantia vt non repugnantia nequit intelligere; sic intellectus nequit intelligere: tria esse quatuor, quia repugnantia est ita manifesta, vt eam necessario cognoscat.

19 Dices. Hoc esse verum quando intellectus aduertit ad repugnantiam; sed aliquando, vel ex imperfectione intellectus, vel ex imperfectione specierum, vel ex distractione eiusdem Intellectus; vel ex occulta repugnantia, quæ adest inter obiecta, potest intellectus errare, & ea vt non repugnantia concipere.

Contra hæc omnia Capita, quæ assignantur nequeunt præstare quod intellectus non cognoscat obiectum vt est, vel potest esse in se: ergo ista Capita nequeunt præstare, quod intellectus possit concipere obiectum aliter, quam possit esse in se. Vnde istæ probationes procedunt ex hoc, quod species nequeant pręsentare obiectum aliter, quã possit esse in se. Sed adhuc dato, quo possent, adhuc intellectus tunc ens rationis non efficeret: quod probo. Illud quod intellectus conciperet, haberet aliter esse, quam per intellectus operationem, & illud esse, esset reale, licèt intentionale: ergo non efficeret intellectus tunc ens rationis: nam Enti rationis repugnat aliter habere esse, præcipuè loquendo de esse reali, per quod esse ens rationis constitui non potest, nam ens reale, ens reale habet constituere.

20 Ob. 1. Aristot. 3. *de Anima*. Ens aliud in anima, aliud extra animam; sed per ens in anima intelligitur ens rationis: ergo antecedenter ad Imperium Voluntatis datur Ens rationis. Respondeo in primis negando consequentiam; nam propter colligãtiam, & idẽtitatem realem harum potentiarum Intellectus, & Voluntatis: per ens in anima datur intelligi ens rationis à ratione elaboratum, imperio tamen Voluntatis, & sic potest responderi ad omnes auctoritates. Vel aliter Respondeo ex *Scoto* 1. *d. 36. q. vnic. sub F.* Aristotelem per ens in anima non intellexisse ens rationis fictum, de quo disputamus: sed tantum intentionale distinctum ab esse reali physico. Tunc enim Aristoteles arguebat contra Empedoclem asserentem, animam esse compositam ex omnibus, vt capax esset cognitionis omnium; quod Aristoteles reiecit, asserens, non ipsum lapidem esse in anima, sed speciem lapidis, ita vt lapis sit in anima, secundum esse intentionale, & diminutum. Hoc tamen in se ens reale est.

21 Contra. Secun. *Scot. 4. d. 1. q. 2. sub A.* secundæ intentiones sunt in intellectu, & hoc antecedenter ad Voluntatem, cum habeant esse in considerato, vt considerato: ergo entia rationis sunt absque Voluntatis imperio. Respondeo quod secundum Scotum secundæ intentiones sunt tam in intellectu,

quam in Voluntate, cum ambæ potentiæ ſint collatiuæ. Cæterum ſecundæ intentiones intellectuales. Vel conſiderantur pro materiali, quatenus ſunt denominationes extrinſecæ rebus cognitis adhærentes, & ſic ſunt entia realia, ſeù entia rationis, primo & ſecundo modis. Vel pro formali, quatenus ſunt denominationes intrinſecæ rebus cognitis inhærentes; & ſic ſunt entia rationis tertio modo, ſed dependenter à Voluntate, qua imperante intellectus comparat, & fabricat ſecundas intentiones.

22 Contra *ex Scoto Quolib. 3. ſub A. Ens rationis eſt illud, quod habet eſse præcisè in intellectu conſiderante:* ergo antecedenter ad Voluntatem. Reſpondeo negando conſequentiam, nam ly (Pręcisè) facit ſenſum, quod ens rationis tam diù durat, quamdiù ab intellectu fit ex imminenti Voluntatis imperio. Præterquam quod non eſt ſermo ibi de Chimera, ſed de ſecunda intentione, & maximè quia iam ſupra *loco cit.* aduerterat Doctor, chimeram non poſse intelligi, & per conſequens multo minus nequibit definiri. Quomodò ergo definire nunc volebat Chimeram? Tum quia eadem verba formaliſſima de ſecunda intentione habet 4. *d.* 1. *q.* 2. *ſub A.* vbi ſic inquit. De ſecundis intentionibus aliud eſse præcisè non habetur, niſi in conſideratione, & comparatione vnius ad aliud, & clarius ſub *B.* Secundæ autem intentiones ſunt entia rationis eo modo quo diximus ſupra, & inferius ſumus repetituri.

23 Contra, *ex Scoto* 2. *d.* 6. *q.* 1. *ad* 2. vbi clarè ſic loquitur. *Intellectum non tantum componere propoſitiones poſſibiles, ſed etiam impoſſibiles.* Sic autem componere eſt chimerizare, ergo in intellectu chimera datur abſque imminente Voluntatis imperio. Reſpondeo. Doctorem tali loco ſoluere argumentum Sanctis Thomę, quod erat de Angelo non potente appetere Æqualitatem Dei. Vndè Sanctus Doctor ſic arguebat. Angelum eſse Deo æqualem eſt ens implicans contradictionem: ergo Conſequenter non poteſt cadere ſub obiecto intellectus: ergo nec ſub obiecto Voluntatis; ergo non poteſt appeti. Ad quod Subtilis reſpondet. Quod ſicut cognitio bina eſt; vna abſoluta, alia collatiua, ſeù comparatiua, ſic etiam & Volitio, & concludit quod Angelus, eſto cognitione abſoluta, & volitione abſoluta, ſeù efficaci attingere non poſſit æqualitatem Dei: benè tamen volitione collatiua, & voluntate conditionata, ſeù inefficaci, comparando, ſcilicet vnum extremum ad aliud: & ſic admittit Scotus: poſse Intellectum componere propoſitiones impoſſibiles, ſcilicet non cognoſcere cognitione abſoluta, ſed tantum collatiua. Ex quo loco ſic colligo rationem in fauorem meæ aſsertionis. Ex Doctore non poteſt intellectus chimerizare concipiendo abſolutè, Angelum eſſe Deum: quia eſt ens implicans contradictionem: ergo nullo modo poterit intellectus concipere abſolutè duas naturas impoſſibiles, ſed tantum collatiuè, comparando vnum ad aliud; non verò componendo.

24 Contra. Non Compararet Intellectus, niſi componeret, & appræhenderet ex *Scoto* 2. *d.* 1. *quæſt.* 3. *ſub D.* vbi clarè fatetur. *Contradictoria poſſunt appræhendi ab intellectu, & etiam ſimul appræhenduntur: alioquin nullo modo. Intellectus diceret eſſe contradictoria ſicut generaliter patet ex Philoſopho 2. de anima, vbi probat, quod nullus ſenſus nec intellectus comparet extrema, niſi appræhendat vtrumque ergo &c.*

Reſpondeo, Doctorem eſse intelligendum de appræhenſione ſecundum diſcenſum, non verò ſecundum aſsenſum. Et quod ita ſit Doctor ipſe ſic addidit. Sed ſic appræhendi eſt vix intelligi, quia non eſt intelligi cum aſsenſu. Et ponit exemplum in fauorem

no-

nostrum: eo modo quò multoties appræhendimus illud, etiam quod non credimus esse verum; sed in tali casu, cum intellectus effugiat, est appræhensio tantum per discensum.

25 Contra Scot. 1.d.39.q.2.§.*Quinto dico: sub* F.euidenter *docet, posse nostram imaginatiuam componere Montem aurum*: ergo multò magis intellectus.

Respondeo. Doctorem hic arguere contra Henricum non potentem percipere, quando ex Creaturis Intellectus noster deuenire possit in cognitionem attributorum Dei: & Doctor Noster asserit posse vtique, dummodo noster intellectus componeret plures species: v.g. Bonitatis, Veritatis &c. & tandem fatetur perfectissimum conceptũ diuinæ essentiæ cum attributis. Et ad huius intelligentiam, ponit exemplum de potentia imaginatiua componente ex pluribus rebus aliquod vnum: vt ex Monte, & auro, montemaurum: ergo non loquitur Doctor asserendo: sed vtitur exemplo communi, quod frequens erat in Scolis, & præsertim apud Henricum concedentem Chimeram. Præterquam quod potest dici. Montem aurum non esse fictitium, nec chimericum, eo modo quo hic disputamus, sed esse simpliciter possibilem à parte rei. At dices.

26 Contra. Intellectus creatus percipit multoties multa impossibilia, vt possibilia v.g. Hircumceruum, Angelum pulchrum iuuenem, Deum senem &c. sed hæc habent tantum esse obiectiuè in ratione, ergo nulla solutio.

Responde. Doistinguendo Mai: percipit ex se, nego; ex imperio Voluntatis; concedo; ex se enim nequit concipere, nec fabricare huiusmodi impossibilia metaphisicè, vt possibilia; Nam intellectus aduertendo ad repugnantiam, mouetur ad diuisionem potius, quam ad Compositionem, & si inauertẽter componat; nec per hoc facit ens rationis propter rationem superius dictam.

27 Contra. Ideo intellectus ex se nequit ens rationis efformare: quia nequit sibi repræsentari res aliter quam possit esse, vt diximus in assertione: at hoc est falsum. Ergo. Intellectus ex se independenter à Voluntate, potest efformare ens rationis. Probatur falsitas. Potest intellectui repræsentari res aliter quam sit: ergo etiam aliter quam possit esse. Repræsentatiuum rei aliter quam sit, adhuc est repræsentatiuum illius: ergo etiam repræsentatiuum rei aliter quam possit esse, adhuc esset repræsentatiuum illius.

Respondeo. Negando falsitatem, cuius probatio non valet; non licèt enim arguere à Minori ad Maius affirmatiuè, licèt benè liceat à Maiori ad Minus. Negatiuè verò à Minori ad Maius possumus procedere, non verò à Maiori ad Minus. Exempla sint istæ consequentiæ. Consequentia ista non valet. Ego possum portare pondus vt duo: ergo possum portare pondus vt quatuor, quia est affirmatiua à Minori ad Maius; ista verò tenet. Ego possum portare pondus vt quatuor: ergo possum portare pondus vt duo: quia est à Maiori ad Minus affirmatiuè. Hęc altera valet. Non possum portare pondus vt duo: ergo nec possum portare pondus vt quatuor: quia est à Minori ad Maius negatiuè; ista verò non tenet. Non possum portare pondus vt quatuor: ergo non possum portare pondus vt duo; quia est à Maiori ad Minus negatiuè. Ad probationem igitur; magis est repræsentari res aliter quam possit esse, quam aliter quam sit. Hinc non licèt inferre. Potest repræsentari res aliter quam possit esse. Quęrendo autem veram rationem, quare possit repræsentari res aliter quam sit, & non res aliter quam possit esse; est quia, hoc esse aliter rei est esse physicum in re, ac proindè potest adesse impedimentum physicum, ratione cuius sic physicè repræsentatur. Aliter verò quam possit

possit esse, est quid metaphisicum in se, qua propter physicum impedimentum tale causans repręsentatiuum adesse nequit.

DISCEPTATIO II.

De Primis, & Secundis Intentionibus.

28 INtentio nihil aliud est, quam tendentia quædam vnius in aliud: & quamuis intentio peculiari ratione dicatur ab actu Voluntatis, quo ipsa intendit, & vult finem, qui contra distinguitur ab alio actu, quo eligit medium; ex vi tamen nominis, non tantum actus Voluntatis, sed etiam aliarum potentiarum intentionis nomine comprehendi possunt, & significari; cum omnes sint tendentiæ potentiarum in sua obiecta; imò vsus obtinuit, vt non solum actus ipse tendendi dicatur intentio; sed etiam obiectum, in quod actus intendit, intentio dicatur: vt Quando asserimus. Intentiones auari esse lucrum, ambitiosi honores &c. Hinc orta est distinctio Intentionis in formalem, & obiectiuam. Prior est actus ipse potentiæ tendentis in obiectum. Posterior est obiectum ipsum in quod tendit Potentia: vt cum quis cognoscit parietem; Cognitio est intentio formalis: paries verò cognitus intentio obiectiua. Apud Logicos intentio formalis est cognitio quælibet, primam, secundam, tertiamque intellectus operationem, respiciens. Intentio verò obiectiua est obiectum cuiuscumque operationis intellectiuę. Vtraque scinditur in primam, & secundam. Prima intentio formalis est actus rectus, vel reflexus intellectus, quo res cognoscantur. Secunda Intentio formalis est actus comparatiuus intellectus: quo comparantur obiecta cognita. Prima intentio obiectiua est obiectum actualiter cognitum actu recto, vel reflexo in quantum cognitum: vt homo cognitus actualiter in quantum cognitus. Secunda autem Intentio obiectiua est respectus rationis derelictus per actum comparatiuum intellectus, vel alterius potentiæ collatiuæ comparantis duo obiecta ad inuicem secundum ipsorum prioritates, & posterioritates. Hinc est animaduertendum. Esse cognitum, comparatum, volitum, amatum, visum, auditum &c. Esse denominationes extrinsecas. De quibus superius diximus, sed nunc faciliori modo.

29 Denominatio est acceptio nominis ab aliqua forma. Denominatio autem duplex est. Intrinseca, & Extrinseca. Prior dicitur, quæ est à forma intrinsecè vnita subiecto, & hæc est duplex essentialis, & accidentalis. Exemplum primæ: vt homo est rationalis. Exemplum secundæ: vt homo est albus. Prima est essentialis; quia forma rationalitatis essentialiter vnitur subiecto homini. Secunda est accidentalis: quia forma albedinis accidentaliter coniungitur subiecto homini. Posterior dicitur, quæ est à forma extrinsecè vnita subiecto: vt in supradictis exemplis. Lapis cognitus extrinsecè dicitur: quia cognitio, quæ est forma denominans, non est in lapide (cognitus;) denominato, sed est illi extrinseca; non inhærens, sed tantum adhærens.

30 Hinc exantlatus iacet Montursius, dum *disput. 2. q. 6. suæ Logicæ*, docet; Esse cognitum esse denominationem intrinsecam; oblitus quæ docuerat in tractatu de libero arbitrio *q. 9.* vbi notabili secundo ponit denominationem intrinsecam intellectionis esse in ordine ad intellectum, in quo intellectio recipitur; non verò in ordine ad obiectum. Deinde secundum ipsum. Actus Voluntatis dicitur liber tantum extrinsecè per libertatem Voluntatis: ergo etiam obiectum intellectus dicetur cognitum per cognitionem intellectus: consequentia claret:

ret: cum ex æquo sit extra obiectum, cognitio: sicut extra actum libertas: ergo si actus per libertatem Voluntatis denominatur liber, per cognitionem intellectus obiectum intellectus denominabitur cognitum. Vnde tamen actus liber, quam obiectum cognitum sunt denominationes extrinsecę, & reales. Si vero ex Voluntatis imperio fingamus esse intrinsecas, tunc entis rationis naturam subibunt.

31 Vnde adhuc not. est, huiusmodi denominationes, Esse cognitum, Comparatum, visum &c. posse considerari, vno modo quatenus sunt habitudines quædam ad res denominatas non inhęrentes rebus denominatis, sed potentię denominanti, & sic cum res non dicatur cognita, nec comparata, nisi quia terminat actus intellectus cognoscentis, vel comparantis, absque eo, quod ponantur in ipsa re cognita, vel comparata passiuè, qui sunt respectu s obiecti cogniti, & comparati ad intellectum cognoscentem, & comparātem, dicuntur denominationes extrinsecæ, & sunt aliquid reale. Alio modo concipi possunt, præfactæ denominationes, vt proueniunt à quibusdam formis inhęrentibus talibus denominatis, & sic sunt denominationes extrinsecæ, & sunt entia rationis beneficio intellectus fingentis ex Voluntatis imperio. Hoc totum pariter fatemur ad aures Scoti. Si quidem Doctor instruit secundas intentiones esse prorsus denominationes extrinsecas obiecti comparati ad aliud comparatum, vel ad potentiam comparantem; & dici relationes rationis propter diminutam earũ entitatē, sicuti explicat ad Mentē Scoti 1. *d.* 30. *q* 2. *&* *d.* 45. *&* 4. *d.* 1. *q.* 2. Trōbeta in tract. Formalitatũ. His dictis.

32 Assertio Prima. Prima intentio obiectiua *est obiectum actualiter cognitum in quantum cognitum reduplicatiuè*. Ita Scotus 1. *d.* 23. *q. Vnic. &* 4. *d.* 1. *q.* 2. Prob. Obiectum quod non est actualiter cognitum in quantum cognitum reduplicatiuè, non est prima intētio obiectiua: ergo vt obiectum sit prima intentio obiectiua debet esse actualiter cognitum in quantum cognitum reduplicatiuè: consequentia tenet per regulam Causarum pręcisiuarum, qua dicitur. In causis præcisis: sicut affirmatio, & causa affirmationis, ita negatio negationis, & è conuerso. antecedens prob. Obiectum quod non est cognitum dicit tantum se ipsum: ergo nō est prima intentio obiectiua, dum non est actualiter cognitum. Conseq. patet: quia obiectum vt sit prima intentio, vltra seipsum, debet etiam dicere terminationem potentiæ tendentis in se ipsum, vt inde dicatur prima intentio obiectiua. Antecedens etiam est manifestum, cum obiectum quod non est actualiter cognitum, dicat merè suam quidditatem, & se ipsum. Hinc patet, quod obiectum cognoscibile non est prima intentio, nisi fundamentaliter, sed formaliter debet esse actualiter cognitum in quantum cognitum reduplicatiuè.

33 Ob. Nullũ per se reducitur ad per accidēs; sed per se homo, & animal sũt primę intentiones, & accidit, quod homo, & animal sint in intellectu: ergo prima intētio obiectiua nō est obiectũ actualiter cognitũ, in quātũ cognitum reduplicatiuè. Deinde: si requiritur esse cognitũ ad intētionem obiectiuam primam, peto vel esse cognitum per intellectum nostrum, vel per intellectum diuinum: sed neutrum est dicendum: ergo non requiritur esse cognitum ad primam intentionem obiectiuam. Mi. Prob. Nō primo, quia homo, & animal habent esse cognitũ ex tempore per intellectum nostrum: cum tamen sint primæ intentiones ab æterno, cum ista sit vera ab æterno. Homo est animal: vt homo, & animal sunt primæ intentiones. Non Secundò, quia ista est vera, homo est animal, vt homo & animal

mal præcedunt suum esse cognitum: ergo prima intentio obiectiua non est obiectum actualiter cognitum in quãtum cognitum reduplicatiuè.

Respondeo. Has instantias supponere vnum falsum, scilicet, quod ista propositio. Homo est animal, & consimiles sint veræ per se primo, vt homo, & animal sunt primæ intentiones, accipiendo ly Vt reduplicatiue; quia omnis prima intentio addit aliquid ad hominem, & ad Animal, quod non est de eius ratione. Vnde quamuis ista propositio. Homo est animal, sit vera in primo modo, vt sunt primę intentiones sumendo ly Vt. Specificatiuè: vt in ista propositione patet. Homo est animal in quantum risibilis; quæ pariter est vera specificatiuè; reduplicatiuè tamen non est vera; ita in proposito, & sic patet solutio ad ambas instantias.

34 Assertio Secunda. Secunda intentio obiectiua *est respectus rationis derelictus per actum collatiuum passiuum nostri Intellectus*. Ita Scotus *locis cit.* Prob. Quod sit respectus patet, quia secunda intentio est qua vnum obiectũ cognitum refertur ad aliud obiectum cognitum; quotiescumque autem aliquod est id, quo vnum ad aliud refertur, est relatio, seu respectus quod idem sunt: ergo Secunda intentio est Respectus, Quod sit Rationis, etiam claret, nam quilibet respectus habens esse in considerato, vt considerato, in quo reuera non est, nisi per fictionem intellectus fingentis ex imperio Voluntatis, ens rationis est, vt supra diximus. sic est Secunda intentio ex Scoto 4. *d.* 2. *q.* 1. dicente. Ens rationis habet esse in considerato, vt considerato, quod intellexit de Secunda intentione. Nec iuuat obijcere contra hoc Scotum quo *lib.* 3. asserentem, secundam intentionem habere esse in considerante: ergo non in considerato, scilicet in obiecto. Nam secunda intentio habet esse in Considerante, & in Considerato: in Considerante Verè. in Considerato. Fictè. Reliquæ particulæ patent ex dictis ante Assertionem.

DISCEPTATIO III.

De Distinctionibus.

35 Distinctio est Relatio inter duo extrema, quorum vnum non est aliud. Triplex autem est distinctio. Realis, Formalis, & Rationis. Huius diuisionis sufficientia ex hoc probatur. Nam quod diuiditur: vel diuiditur, in membra realia, vel rationis. Si Realia, vel realia, quæ sunt res, vel Realia, quæ sunt Realitates, seù formalitates. Si primum, vide Realem distinctionem, si secundum formalem, si postea membra sint rationis. Distinctio erit rationis. De his omnibus erit pertractandum sit.

SECTIO I.

Quid sit Distinctio Realis?

36 Distinctio Realis est *illa quæ cadit inter ea, quæ sunt separata, vel separabilia. Vel quorum vnũ est causa & aliud causatũ, seù vnũ est producẽs, & aliud productũ. Vel quæ sunt in subiectis realiter distinctis*. Explicatio huius descriptionis erit probatio eiusdem. Dicitur. Est illa quæ cadit inter ea, quæ sunt separata, vel separabilia: nam vnum ex his duobus arguit distinctionem realem. Si aliqua non sunt separata sufficit vt sint separabilia, & hoc vel naturaliter, vel supernaturaliter: & sic paries, & albedo realiter distinguntur; nam aliquando paries ab albedine separatus existit. Sic nigredo ab Ethiope, albedo à Cigno realiter distinguuntur: quia saltem diuinitus possunt omnia ad inuicem separari, & separata conseruari. Dicitur. Vel quorũ, vnũ est causa, & aliud causatum, aut pro-

productus, & productum. Sicque Totum, & partes realiter distinguuntur. Quia partes vnitæ sũt causa totius. Et Pater in diuinis realiter a filio distinguitur; quia ille est producens & iste productus. Dicitur. Vel quæ sunt in subiectis realiter distinctis. Propter relationes, puta Paternitatis, & filiationis, vel duarum similitudinum; quæ realiter distinguuntur. Non propter separabilitatem, cum iuxta Philosophi adagium. Posita se ponunt, & perempta se perimunt. Nec propter causationem, cum iuxta alterum prouerbium. Relationes sunt de genere Sterilium; ergo relinquitur dicendum, quod realiter distinguantur, quia. Et in subiectis realiter distinctis, & in fundamentis taliter etiam distinctis, reperiuntur. Atque adeò optima explicatio distinctionis Realis.

37 Dices contra primam Conditionem, vel particulam, & præsertim contra separabilitatem. Natura Communis Petri est separabilis à Petro; nam mortuo Petro, adhuc perséuerat in Paulo, & tamen est indistincta realiter à Petro: ergo separabilitas non infert distinctionem realem.

Respondeo. Quod separabilitas inter singularia, & singularia, vel inter naturas Communes, & Communes benè arguit distinctionem realem; non verò separabilitas cadens inter naturam Communem; & sua singularia: & ratio huius est, quia Communitas seù Vniuersalitas largitur indistinctionem cum Separabilitate.

38 Dices contra secundam Particulam. Passiones rerum causantur, vel producuntur à suis subiectis, & tamen non distinguuntur ab ipsis realiter: ergo Producibilitas, vel Causabilitas non facit distinctionem Realem.

Respondeo. Passiones rerum non causari, nec produci à suis subiectis; sed emanari, pullulari, resultari ab ipsis; qua propter non distinguuntur realiter. Vndè causabilitas propria, & physica arguit distinctionem realem; non impropria, & metaphisica, seù metaphorica.

39 Dices contra tertiam particulam. Anima Rationalis est à se ipsa indistincta realiter, & tamen pluribus inexistit subiectis realiter distinctis; cum sit tota in toto, & tota in qualibet parte: ergo subiectibilitas in subiectis realiter distinctis non arguit distinctionem Realem.

Respondeo. Quod subiectibilitas entis limitati in pluribus subiectis realiter distinctis arguit realem distinctionem; non verò subiectibilitas Entis illimitati: vt est anima rationalis respectu subiectorum partialium Corporis. Hoc est. Priuilegium Vniuersalitatis, & Illimitationis. Esse in pluribus, distinctis, sine distinctione.

40 Replicabis. Hæc numero albedo est ens limitatum, & tamen diuinitus potest esse in pluribus subiectis realiter distinctis sine sui distinctione: ergo. Nulla solutio.

Respondeo, quod subiectibilitas, quæ arguit distinctionem realem, iuxta nostram assertionem, debet esse naturalis, non supernaturalis, nec miraculosa.

SECTIO II.

Quid sit Distinctio Formalis, & an detur?

41 QVantum spectat ad Formalem distinctionem. Notandum est. Quod distinctio Formalis est *qua distinguuntur duæ formalitates, inter se, & in tertio realiter identificatæ*. Pro cuius intelligentia, hoc pariter sciendum est. A parte rei dari aliqua positiua, quę vocitãtur Realitates, seù Formalitates: quia non sunt propriè Res, nec propriè Formæ, sed Rerum realitates, ac Formarum formalitates: cum nequeant esse termini productionis physicæ,

ficæ, sed metaphisicæ emanationis. Vnde Formalitas taliter describitur, *Est ratio conceptibilis obiectiua in re aliqua conceptu adæquato distincto à conceptu, quo concipitur alia formalitas eiusdem rei:* vt Rationalitas, & animalitas in Homine. Entitas, & Perseitas in substantia. Alietas, & Entitas in Accidente, & similia. His notatis.

42 Assertio. *DATVR DISTINCTIO FORMALIS*. Hoc est, datur aliqua Distinctio à parte rei independenter ab Intellectu inter Perseitatem, & entitatem substantiæ; inter entitatem, & alietatem accidentis: inter animalitatem, & rationalitatem Hominis. Est communissima in Peripato, & apud totum Scotismum; imò eamdem docuerunt Sanctissimi Viri, esto sub alijs terminis, quibus nos non vtimur, tradiderint, vndè colligitur ex eorum loquendi modo: ita Sanctus Augustinus *lib.* 8 3. *quæst. quæst.* 46. *lib.* 5. *Trin. c.* 5. *& lib.* 6. *c.* 1. *& lib.* 7. *cap.* 1. *&* 2. Sanctus Athanasius 1. *Trin.* Sanctus Iustinus *quæst.* 3. *ad Græc.* Sanctus Nissenus 2. *de Volunt.* Sanctus Nazianzenus *orat.* 38. Sanctus Basilius *lib.* 5. *contr. Eun.* Sanctus Damascenus 3. *fid. c.* 6. Sanctus Cyrillus *lib.* 6. *thes.* 3. *S. Thomas p. par. q.* 15. *a.* 2. *q.* 44. *a.* 3. *in* 1. *d.* 1. *q.* 22. *art.* 3. *dist.* 1. *q.* 2. *ar.* 2. *dist.* 2. *q* 1. *a.* 3. per totum, *dist.* 33. *q.* 1. *quæst.* 6. *de pot. art.* 6. Quidquid aliter explicent Thomistæ. Hæc formalis distinctio Scolis Catholicis summè necessaria est ad dissoluendas inextricabiles difficultates de Trinitate, qua propter nonnulli ex Scolasticis eamdem vocitarunt. *DIVINVM INVENTVM*.

Probatur triplici medio. Logico, Metaphisico, & Theologico. Logico medio sic. Definitio, & Definitum a parte rei formaliter distinguuntur: ergo Logicè loquendo distinctio formalis est danda. Probatur antecedens. Si Definitio, & Definitum formaliter non distinguerentur, sequenter demonstrationem potissimam non esse veram demonstrationem, sed petitionem Principij. Probatur Consequentia. Demonstratio potissima est vt hęc. Omne animal rationale est risibile; sed omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis. Peto nunc. Animal rationale, & homo vel sunt penitus idē à parte rei, vel non; si hoc; habetur intentum: si illud: ergo medium demonstratiuū, scilicet, Animal rationale, erit omnino ipsum demonstratum, scilicet Homo, atque adeo probaretur idem per idem, sicque vel committeretur Circulus, vel peteretur principium. Præterea Negata distinctione formali, Demonstratio non constaret ex tribus terminis, sed tantum ex duobus, quod est contra totam Logicam. Probatur Consequētia. Nam negata distinctione formali, animal rationale non esset terminus ab homine distinctus. Vel etiam medium ter sumeretur in præmissis; cum animal rationale medius terminus sit penitus idem cum homine, & cum risibilitate, atque adeo, his assumptis, medium ter repeteretur: quæ dissona sunt toti Logicæ: ergo neganda non est distinctio formalis secundum Logicum.

43 Probatur Secundo. Medio Metaphisico. Substantia Conuenit, & non Conuenit cum Accidente; Conuenit, ratione Entitatis; non Conuenit ratione Perseitatis: ergo ratio Entitatis, & Ratio Perseitatis in substantia sunt distinctæ à parte rei independenter à ratione. Probatur Consequentia: nam si perseitas esset omninò idem cum Entitate, non haberet substantia, vnde posset distingui ab accidente, cum ratio distinguendi esset omninò idem cum ratione non distinguendi. Sic etiam dicas de Accidente, in quo si Entitas foret omnino idem cum alietate, non daretur in accidente, id quo à substantia posset distingui: ergo vt tot intolerabilia absurda auferamus necessarium

est,

est, concedere à parte rei distinctionem formalem.

44 Probatur Tertio. Medio Theologico. Negata Scotica distinctione formali, negaretur distinctio actualis inter personam, & personam in diuinis: ergo debet dari. Probatur antecedens. Si Pater actualiter esset distinctus à Filio, daretur in Patre id, quo actualiter distingueretur à Filio; sed negata distinctione formali in diuinis, & concessa in diuinis tantum virtuali distinctione (vt inquiunt Aduersarij) in Patre non daretur id, quo actualiter distingueretur à Filio: ergo negata Scotica distinctione formali: negaretur distinctio actualis inter personam, & personam. Maior patet. Minor probatur. Si in Patre daretur id quo actualiter distingueretur à Filio, in Patre daretur aliquod actualiter distinctum ab essentia diuina; sed in Patre non datur aliquod actualiter distinctum ab essentia diuina, secundum Aduersarios: ergo negata distinctione Formali non daretur in Patre id, quo distingueretur actualiter à Filio. Mai. Probatur. Pater non distinguitur actualiter à Filio per essentiam diuinam, cum hæc sit identificata actualiter, Formaliter, & realiter Filio, idest essentię Filij, cum sit eadem, vnica, & indiuisa in Tribus: ergo si distinguitur actualiter à Filio: debet sic distingui, per aliquod, quod actu non sit esentia diuina. Quid igitur est hoc? Paternitas? ergo Paternitas in Patre est actu distincta ab esentia diuina.

45 Dices. Sufficere, quod distinguatur per aliquod, quod Virtualiter non est esentia diuina.

Contra. Principium distinctiuum debet esse actu distinctum à principio non distinctiuo: ergo si Pater actualiter distinguitur à Filio, principium distinguendi Patrem à Filio erit actualiter distinctum à principio non distinctiuo, scilicet ab esentia diuina; antecedens constat, aliter principium distinctiuum erit actualiter principium non distinctiuum, quod est perperam apud omnes nationes. Nam principium distinctiuum, vel est aliud actualiter à principio non distinctiuo, vel non est aliud. Si sic. Habetur intentum. Si non: ergo est tantum principium non distinctiuum. Atque adeo negata Scotica distinctione formali, negaretur actualis distinctio inter diuinas personas.

46 Dices. Data distinctione Formali daretur aliud inconueniens in diuinis, scilicet quod esentia, & persona distinguerentur realiter; rueretque illud commune Theologorum axioma. In diuinis omnia sunt Vnum, vbi non obstat oppositio relatiua: ergo non debet dari huiusmodi distinctio formalis. Probatur antecedens. Nam huiusmodi distinctio, realis est: & cum omnis distinctio cadat inter Multa, tolleret à Deo vnitatem essentiæ cum personis: ergo &c.

Respōdeo. Huiusmodi distinctionem esse realem, pro quanto opus Intellectus anteuertit; sed non est verè realis, cum formalitas non præseferat in se rem, sed realitatem, quasi mediantem inter ens reale, & rationis. Istæ autem realitates in Deo, & in quocumque sunt multæ formaliter, sed vnum realiter: sicque illud axioma saluatur. Omnia sunt vnum realiter in re identificata, sed distincta in realitatibus, seù formalitatibus.

47 Dices. Saltem daretur Compositio in Diuinis. Nam Compositio nihil aliud est, quam *positio vnius rei cum alia re*; at vna realitas poneretur cum alia: ergo esset simul composita. Atque adeo daretur compositio data multiplicitate realitatum.

Respondeo. Quod si Compositio esset positio vnius rei cum alia re, sequeretur, quod de facto, præclusa etiam distinctione formali, daretur Compositio propter positionem in diuinis

vnius personæ cum alia. Sed non sufficit positio ad habendam Compositionem: sed vlterius requiritur, quod componantur, & ad inuicē ordinentur per modum actus, & potentiæ: Vt dicemus in physicis. Modo sic non ponuntur in Deo formalitates, atq; adeo non componuntur.

48 Ob. adhuc. Omne ens, vel est reale, vel rationis: ergo omnis distinctio, vel est realis, vel rationis: ergo nō datur distinctio formalis, quasi mediās inter distinctionem realē, & distinctionem rationis. Tum quia Scotus 1.*d*.4. *qu*.7. §. *Sed hic restat*. Vocat istam distinctionem, Virtualem, & ait, debere nos vti pro hac distinctione, nomine. Non identitaris, ergo, &c.

Respondeo. Quod, vel per ens reale potest intelligi tantum id, quod est extra nihil, & non est ens rationis; & sic etiam distinctio formalis est realis. Vel potest summi ens reale pro eo, quod est propriè, & in recto Ens terminās physicam, & realem productionem, propria existentia reali existens, & sic inter hoc ens reale, & ens rationis datur Medium; Nam Formalitates, nec sunt Entia realia, rectè, & propriè, cum non sint in recto, & proprie Entia, sed tantum in obliquo; quia sunt aliquid Entis, & habent pro esse, esse aliquid alterius, & ratione alterius esse. Nec sunt Entia rationis, cum sint à parte rei. In hoc sensu etiā distinctio ista est Media. Et patet solutio ad primam obiectionem. Ad secundam.

Respondeo. Quod certum est in Via Scoti, talem distinctionem admitti; (quod patet ex ipso pluribus in locis,) vt distinctam à distinctione Reali; quia non inter rem, & rem; vt distinctā à distinctione Virtuali, quia actualem; & vt distinctam à distinctione rationis, quia antecedentem opus intellectus. Nam dicit, quod essentia diuina, & Relatio habent aliquam distinctionem præcedētem omnem actum intellectus Creati. Quod si dicas, etiam distinctionem Virtualem præcedere.

Respondeo, Præcedere secundum fundamentum distinctionis, non tamen ratione distinctionis. Quod autem Scotus vocet illam Nomine. Nō Identitatis. Hoc fuit, quia tunc temporis, pro distinctione ex natura rei intelligebatur distinctio Realis rigorosa, & etiā; quia talis distinctio nō est vera relatio realis prædicamentalis, sed tantum transcendētalis, & hoc quia non habet extrema realiter distincta. Satis de hac famosa distinctione.

SECTIO III.

De Distinctione Rationis.

49 Distinctio Rationis est, quæ nō inest rebus ex natura rei, sed beneficio intellectus. Hæc est duplex. Vna vocatur Distinctio rationis ratiocinantis; altera rationis ratiocinatæ. Prima est similis enti rationis sine fundamento in re. Secunda Enti rationis cum fundamento in re. Prima nullum habet in re fundamentum; non quod non fundetur in re, sed quia illa res in qua fundatur nullum præbet fundamētum distinctionis. Est igitur Prima Distinctio; quādo eidem à parte rei affiguntur per intellectum diuersæ relationes rationis, scilicet relatio subiecti, & relatio prædicati. Hinc est Petrus à parte prædicati distinguitur ratione à se ipso, vt à parte subiecti, ratione (inquam) ratiocinante: quia Petrus nullum præbet fundamentum distinctionis: sed tota pendet ab operatione Intellectus; ex diuerso modo concipiendi ipsius, vel Grammatice; vt homo hominis; vel logicè; vt homo, & humanitas; nam abstractum aliter concipitur, ac concretum; cum illud Concipiatur per modum naturæ, præcisè; Hoc vero per modum alicuius

ſubſiſtentis. Secunda diſtinctio nuncupata rationis ratiocinatæ eſt, quę habet aliquale fundamentum diſtinctionis à parte rei; eſt videlicet incoactiuè in re; propter ſui eminentiam, ratione cuius, præbet fundamentum intellectui habendi de illa re diuerſos conceptus inadęquatos, nō exprimentes totum, quod eſt in illa; complectiuè vero eſt per intellectum. Hinc dicitur etiam rationis. Exemplum ſit de Sole quatenus condenſatiuo, & liquefactiuo, hæ virtutes in Sole non diſtinguūtur, niſi virtualiter ante operationem Intellectus, & poſt, actualiter. Vnde dicuntur diſtingui diſtinctione rationis ratiocinatæ.

50 Ex his dictis per oppoſitum colligetis. Quid ſit, Identitas Realis, Formalis, & Rationis. Identitas Realis, oppoſita diſtinctioni Reali, eſt inter illa, quæ nec ſunt ſeparata, nec ſeparabilia, nec vnum eſt cauſa, nec cauſatum, nec producens, nec productum, nec sūt in ſubiectis realiter diſtinctis. Identitas Formalis eſt quæ cadit ſuper eādē formalitatē à ſe ipſa alias excludentē. Identitas vero Rationis eſt, qua aliquid eſt idem ſibi etiam in ordine ad Intellectum concipientem. Quæ quoque eſt duplex ſcilicet rationis ratiocinatę, & ratiocinantis. Prima eſt, quando vna formalitas, non habet fundamentū à parte rei inadæquati Conceptus, ſed nata eſt tantum facere vnum conceptum ſui adæquatū, & licet poſſit diuerſis modis concipi, ſcilicet ſub diuerſis ſecundis intentionibus; ſemper tamen concipitur idem eſſe obiectum intrinſecum. Rationis ratiocinantis Identitas, quæ Maxima eſt, eſt quando idem, nec ſub diuerſis relationibus rationis concipitur. Notate hic vtilem doctrinam. Diſtinctio Realis, quæ eſt maxima diſtinctio, nullā admittit identitatem, ſed potius aliquam Conuenientiam eſſentialem. Diſtinctio formalis admittit identitatem realem. Diſtinctio Rationis ratiocinatæ admittit identitatem formalem. Diſtinctio rationis ratiocinantis, quę eſt Minima, admittit identitatem rationis ratiocinatæ; hinc identitas huic diſtinctioni oppoſita, eſt ſummè Identitas.

SECTIO IV.

Dubiola Quædam ad Genera diſtinctionum ſpectantia.

51 QVæres Primo. Num Separabilitas arguat ſolum diſtinctionem potentialem, & An cum ſeparabilitate non Mutua, ſit mutua diſtinctio Realis.

Reſpondeo. Quod eſto non ſit Separatio Realis Actualis inter aliqua, dummodo tamen poſſint ſeparari, actu realiter diſtinguntur. Nam. Vnio actualis aliquarum rerum impedit diuiſionem, non autem diſtinctionem; nec enim eſt idem eſſe aliqua diſtincta, & diuiſa; nam omnia diuiſa ſunt diſtincta: non autem omnia diſtincta ſunt diuiſa. Diuiſio dicit phyſicam partitionem, ſeù ſeparationem; diſtinctio vero, vt diſtinctio, dicit ſolum ſeparationem metaphyſicam. Ad ſecundā, quæſití partem dico, quod cum ſeparabilitate non mutua, adhuc ſtat mutua diſtinctio realis. Quod antequam probem, aduerto, quod aliqua eſſe non mutuo ſeparabilia, eſt vnum poſſe eſſe ſine alio, non tamen illud aliud ſine iſto. Cuiuſmodi ſunt quædam entitates, quæ à Scolaſticis vocitantur Modi: vt præſentialitas, quam dico ad hāc Cathedram, dicitur Modus, quia modificat, ſeù determinat me, vel tale ens ad talem locum: iſta non poteſt eſſe ſine tali ente, nec per Dei potentiam abſolutam; poteſt tamen illud ens eſſe ſine illa: hinc dicuntur non mutuo ſeparabilia. Hoc ſuppoſito dico, huiuſmo-

iusmodi entitates non mutuo separabiles, mutuo distingui realiter, quod probo. Quæ habent existentias realiter distinctas distinguuntur mutuo realiter: sed Ens, & sua præsentialitas habent existentias realiter distinctas: ergo distinguuntur mutuo realiter. Mai. est Certa. Prob. Min. Potest destrui ille Modus, & remanere subiectum secundum suam existentiam: ergo ille modus scilicet præsentialitas, habet existētiam distinctam realiter ab existentia, sui subiecti. Consequentia tenet: Id destruitur, quod perdit existentiam: ergo si ille modus secūdum se destruitur, secundum se habet propriam existentiam: nam si haberet pro existētia propria existentiam alienam, scilicet, subiecti; iam deberet destrui existentia subiecti ad hoc, vt iste Modus diceretur destructus: ergo iam illa existentia esset destructa, & non esset destructa; destructa, quia esset destructus Modus, cuius illa existentia esset existentia; Non destructa, quia non esset destructum subiectum; aliud igitur est, aliquid non posse existere, nisi in alio, aliud quod existat existentia illius; Primum est verum, secundum non. Tum quia etiam sequeretur, quod inter Deum, & Creaturam esset non mutua distinctio realis, quia licet Deus possit esse sine Creatura, nō tamē Creatura sine Deo. Quando igitur aliquid potest esse sine alio non mutuo, non arguitur identitas realis huius cum illo. Sed identitas dependentiæ, quam dicit ad illud. Hinc dependentia, quam dicit Creatura ad Deum, idētificatur realiter cum Creatura. Tum quia si posset dari mutua ratio producentis, & producti inter aliqua, adhuc inter illa, inter quæ non esset hæc mutua ratio, sed solum non mutua, esset vera distinctio realis: ergo etiam inter illa, quæ non sunt mutuo separabilia datur mutua distinctio realis. Inseparabilitas igitur illa ex indistinctione non prouenit illius Modi à subiecto, à quo esset inseparabilis, sed ex speciali natura eius: qui cum sit quid modificatiuum debet esse in Modificato.

52 An vero talis distinctio debeat vocari Modalis, vel Realis? Ego respondeo. Verā distinctionem realem esse; quod si debeat vocari Modalis, quia vnum Extremum est Modus, Transeat. Ne faciamus quæstionem de Nomine. Sed vlterius dico. Distinctionem istam modalem esse eiusdem rationis cum distinctione Reali: itaq; erit distinctio realis Modalis. Quæ simpliciter Modalis potest vocari, quia aliud extremum, quod vocatur Modus, est quoque Res. Vnde Scotus *Quol.3. & 2.d.1.q.4.dic.* quod licet Modus non sit Res, sicut illa, cuius est modus, non tamen nulla res est, sicut nec nullum ens. Ex quo colligitur. Quod ad fundandam distinctionem realem, sufficit vt Res sit. Est autem in hoc sensu Res, quia habet propriam existentiam realem, cum possit destrui, indestructo subiecto.

53 Quæres secundò. An detur distinctio Formalis non mutua?

Respondeo negatiuè. Probatur. Implicat dari distinctionem realem non mutuam: ergo etiam implicat dari non mutuam distinctionem formalem: antecedens est probatum. Probatur Consequentia. Ideo non potest dari distinctio realis non mutua; quia illa, quæ sic essent distincta essent vna res, & non vna res; at si daretur ista distinctio formalis non mutua illa, quæ sic essent distincta, essent vna formalitas, & non vna formalitas: ergo &c. Tum quia. De illis, quæ sic distinguuntur, verum est dicere, quod ratio formalis vnius, non est ratio formalis alterius, & hoc mutuo: ergo non potest dari distinctio formalis non mutua. Antecedens probatur. Aliqui dicunt, quod includēs identi-

entificatur formaliter incluso, & hoc distinguitur formaliter ab illo, at de his verum est dicere, quod formalitas vnius non sit formalitas alterius: ergo &c.

54 Si afferatur quidam locus Scoti in primo *loc. cit.* Vbi concludit identitatem formalem ex inclusione. Respondendum est, quod etiam apud Scotum colligitur distinctio formalis, ex eo quod ratio vnius non sit ratio formalis alterius: vt patet *in primo d.*8.*q*.4. cum ait. *Diuina attributa ad inuicem formaliter distingui, quia ratio v.g. bonitatis non est ratio Sapientiæ*: ac per consequens identitas formalis, quando ratio formalis vnius est ratio formalis alterius. Vnde nos hunc modum à Scoto recipimus, tanquam frequentiorem.

55 Dices. Quod homo quia est includens, est formaliter animal, quod est inclusum: ergo habebit identitatem formalem cum illo.

Respondeo, quod sensus illius propositionis non est, quod ratio formalis hominis, sit ratio formalis animalis, sed quod homo formaliter includat animal. Etiam paries est formaliter albus, & tamen non est Sensus, ratio formalis parietis est ratio formalis albedinis, sed solum quod formaliter habeat albedinem; ideo inter ipsum, & albedinem, stat etiam distinctio realis mutua.

56 Quæres Tertiò. An inter formalitatem, & Modum intrinsecum detur distinctio formalis?

Respondeo. Debere nos hic discurrere suo modo, sicut discurrebamus de distinctione rei à Modo extrinseco. Quod videlicet detur. Sicut enim non requiritur, quod vnum extremum distinctionis realis sit propriè res, idest non sit ita res, sicuti aliud extremum, sicut etiam si non sit separabilis Modus extrinsecus, adhuc tamen habet propriam realem existentiam, quia aliud extremum est Separabile, ita in Casu, non requiritur, quod vtrumque extremum sit propriè formalitas; nec ex eo quod Modus intrinsecus non possit secundum se concipi sine formalitate, cuius est Modus, concluditur quod non habeat propriam formalitatem, quia saltem formalitas potest Concipi sine Modo. Habet igitur propriam conceptibilitatem, sed ita annexam cum conceptibilitate alterius, vt non possit concipi sine altero. Est itaque inter formalitatem, & Modum intrinsecum distinctio formalis. Quæ si debeat vocari formalis Modalis, parum refert cum sit simpliciter formalis.

57 Pro Coronide huius Pædiæ. Est hic aduertendum, quod non sunt multiplicanda tot Genera distinctionum, sicut aliqui Formalistæ, & cum ipsis Montursius *disp*.2.*q*.2. In Prædicamentis, multiplicant. Omnia enim adhæc tria Genera reducuntur. In primis. Quantum ad distinctionem ex natura rei, ista est Genus ad distinctionem realem, & Formalem, vel est videl. vna, vel altera, & per consequens Identitas sibi opposita, vel est realis, vel formalis. Distinctio essentialis, si sit per diuersas Essentias adæquatas constantes ex Genere, & differentia, est distinctio realis; si sit per essentias adæquatas non tamen proprias, sed potius per diuersas rationes formales, est distinctio formalis. Sic etiam Distinctio se totis obiectiuè: qua distingui, aiunt, quæ in nullo conceptu quidditatiuo conueniunt: vt passiones entis, & vltimæ rerum differentiæ. Et se totis subiectiuè, qua distingui dicunt, quæ non conueniunt in aliqua realitate potentiali: vt Deus, & Creatura; non constituunt genera distincta distinctionum; Nam illa quæ distinguuntur se totis obiectiuè, aliquando distinguuntur formaliter: vt passiones Entis: aliquando realiter: vt vltimæ differentiæ. Illa verò

quæ

quæ distinguuntur se totis subiectiuè; aliquando distinguuntur realiter: vt Deus & Creatura; aliquando formaliter. Vt Bonitas, & Sapientia in Deo.

58 Vlterius est notandum, aliud esse differre, aliud distingui. Illa differunt, quę in aliquo conueniunt, & deinde per aliud differunt: vt Homo, & Brutum. Conueniunt in Animalitate, & differunt per rationalitatem, & irrationalitatem. Illa vero distinguuntur, quorum vnum non est aliud abstrahendo à Conuenientia in aliquo. Quod si notassent Prisci Formalistæ tot genera distinctionum non multiplicassent. Satis de Ente Rationis, ac Distinctionibus.




PÆDIA



PÆDIA QVARTA.

De Natura Communi.

1 *ATVRARVM Communium, seù Vniuersalium naturas perscrutaturi, naturæ Communis Naturam præmittimus exarandam, quæ & si Metaphysicam sapiat, tamen propter tyronum commoditatem, vt deinceps de Natura Communi valeant disputare, hunc ipsi locum assignamus. In ore enim omnium in Scolis disputantium de Natura Communi, seù Vniuersali resonat disquisitio. Ipsos ad Metaphisicam mittere, longissimum esset iter. Qua propter hic de ipsa exquirere stabilimus.*

DISCEPTATIO I.

De Vnitate Naturæ Vniuersalis, seù Communis. Et quæ nam sit. Deque eiusdem Aptitudine.

2 VT exactè sciamus dari Vniuersale à parte rei, prius eius Constitutiua indaganda sunt, Vnitas scilicèt & Aptitudo. Quæ essentiales sunt Naturæ Vniuersali. Natura enim Vniuersalis haud diceretur, si Vnitatem non diceret. Hinc Vnitas Vniuersalis prius est discutienda, quam ipsum Vniuersale. Sciendum igitur primo. Ens esse vnum, est esse indistinctum in se, & distinctum à quocumque alio. Sic Socrates, quia in se quid indistinctum est, & distinctum à quocumque alio; cum inferioribus careat, & non sit aliud Indiuiduum, quid Vnum dicitur. Et quia Similitudo, & Conuenientia super Vnum fundatur, Aristotele Teste. 5. *metaph. t.*20. oritur hinc, Socratem, in quantum Conuenit cum Platone, esse Vnum cum illo, & in quantum non conuenit, non esse Vnum cum illo.

3 Sciendum Secundò. Vnitatem triplicem esse, Genericam, Specificam, & Numericam, seù Indiuidualem. Prima admittit distinctionem essentialem, seù specificam. Vt Bos, & capra sunt vnum Genere, & distincta specie. Vnitas specifica admittit distinctionem numeralem: vt Socrates & Plato sunt Vnum Specie, sed distincti numero. Vnitas numeralis nullam admittit distinctionem, nec essentialem, nec numeralem. Inter has Vnitas, Vna vnitas est maior altera: vt Vnitas numerica est maior Specifica, & specifica est maior Generica, & minor numerali. Vnitas autem Generica est Minima.

Modò cum Vniuersale Metaphysicum definiatur. Vnum in Multis, quęrimus, an ista multa præter vnitatem propriam, habeant aliam vnitatem Communem, & quæ nam sit.

4 Sciendum Tertiò. Vnitatem naturæ vocari vnitatem formalem, quia imbibitur in rei essentia, quæ est ipsius rei forma; Vnitas verò Indiuidualis, siuè numerica, noncupatur Vnitas Materialis, quia concomitatur Indiuidualitatem, quæ vocari potest materia Metaphisica rei. His scitis.

5 Assertio Prima. Datur à parte rei in Multis Vnitas formalis minor Vnitate Indiuiduali: per quam dicitur Vniuersale Vnum in Multis. Probatur. A parte rei Homo respectu omnium hominum est natura vniuersalis: ergo homo à parte rei habet vnitatem formalem, qua est in omnibus hominibus: sed hæc est minor vnitate indiuiduali: ergo datur à parte rei in Multis Vnitas formalis minor vnitate indiuiduali &c. Probatur antecedens. Homo à parte rei respectu omnium hominum, si non esset Vniuersalis, esset singularis, & sic singulare diceretur de pluribus, quod implicat. Deinde. Homini applicatur intentio speciei; sed intentio speciei non potest applicari singulari: ergo Vniuersali: atque adeo homo respectu hominum est Vniuersalis. Prob. nunc prima Consequentia; nam Vniuersale dicitur ab Vnitate, qua fit vnum in multis, & vocatur formalis, quia essentiam sequitur, quæ est forma Indiuiduorum. Et est minor numerali, quia maiorem distinctionem admittit, quā vnitas numeralis. Siquidem; quæ sunt vnum formaliter, sunt distincta numeraliter; quæ verò sunt vnum numeraliter, non distinguuntur, ergo &c.

6 Colligas ex his. Inter Vnitates formales vnam esse altera Maiorem. Animal enim minorem Vnitatem formalem habet, quam Homo. Viuens minorem quam Animal. Corpus minorem quam viuens, substantia Minorem quam Corpus, Ens minorem quam substantia. Et ratio est. Quia vnitas animalis maiorem distinctionem admittit, quam Homo. Viuens maiorem distinctionem quam Animal, & sic de Cæteris.

7 Insurges. Si in natura Communi daretur Vnitas formalis: ergo natura Communis esset vna, & multiplex simul. Vna ratione suæ vnitatis formalis, multiplex verò ratione vnitatum Indiuidualium contrahentium ipsam naturam.

Respondeo. Concedendo totum; natura enim communis formaliter vna est, & numeraliter multiplex. Recursus ad diuersa aufert contradictionem.

8 Assertio Secunda. Vnitas naturę est Vnitas positiua per inexistentiam. Hæc assertio respondet secundæ parti disceptationis. Probatur. Si Vnitas naturæ non esset formalis per inexistētiam, non daretur Vniuersale à parte rei; sed hoc est falsum, vt infra probabitur: ergo &c. Probatur sequela Mai. Vniuersale est vnum in Multis; sed negata Vnitate formali per inexistentiam à natura Communi, non esset vna in Multis: ergo si Vnitas naturæ esset formalis per inexistentiam, non daretur Vniuersale à parte rei. Mai. constat. Min. Prob. Quod est in Multis participatur ab illis Multis; sed negata vnitate formali à natura, non participaretur à Multis: ergo negata vnitate formali per inexistentiam à natura Communi, non esset vna in multis. Maiorem de se claret. Min. etiam, nam aliquod quomodo à multis, participabitur? Si illis non inexistit. Firmatur exemplo. Natura humana Petri vel participatur à Paulo, vel non. Si participatur à Paulo: ergo illi inexistit, sicque erit communis per inexistentiam: Si non, quomodo ergo erit vtrique Communis? Deinde Petrus, & Paulus conueniunt, & assimilantur ergo in aliquo communi,

ni, & vno; nam non possunt pluria coquenire, & assimilari, nisi in Vno, quia Conuenientia & similitudo in Vnitate fundatur: tum quia Petrus, & Paulus non conueniunt, vt plura: quia vt plura disconueniunt: ergo si conueniunt, conueniunt vt Vnum; sed non possunt esse Vnum, nisi detur aliquod in illis, quod sit Vnum ergo datur Vnitas formalis positiua, qua Vnum inexistit multis.

9 Prob. Secundò. Vnitas indifferentiæ non est sufficiens ad reddendam naturam Vniuersalem: ergo requiritur Vnitas positiua formalis per inexistentiam. Consequentia claret. antecedens Prob. Vnitas indifferentiæ in hoc consistit, quod natura quæ est in Petro, quantum est ex se, poterat esse in Paulo; sed hoc non sufficit ad reddendam naturam Vniuersalem: ergo, &c. Mai. est certa. Min. Prob. Poterat natura, quæ est in Petro, quantum est ex se esse in Paulo: ergo tunc erat cõmunis: & cum de facto nequeat esse in Paulo, de facto non est Communis, seu Vniuersalis. Iuxta vulgare enuntiatum. *Id quod erat, non sufficit, pro eo, quod est*: ergo Vnitas Indifferentiæ non est sufficiens ad reddendam naturam Vniuersalem. Firmatur ratio. Vniuersale est vnum in Multis, idest quod sit in multis, vel possit esse in Multis; sed natura humana Petri, data vnitate indifferẽtiæ, per quam poterat esse in multis, tamen nec est, nec potest esse in Multis: ergo non est Vniuersalis. Mi. de se constat, nam natura petreizata non potest paulaizari.

10 Prob. Tertio. Negata Vnitate formali positiua per inexistẽtiam à natura, negaretur hoc axioma, Vnius potentiæ est vnicum obiectum: at hoc non debet negari, saltem de potentijs organicis, quibus ob determinatam mixtionem necessariò correspondet vnum determinatum, & adęquatum obiectum: vt visui color, auditui Sonus, ex Scoto 2.*d*.24. *q.vn. ad*. 2. ergo Vnitas naturę est vnitas per inexistentiam. Prob. Mai. Sumamus potentiam visiuam. Et peto. Obiectum adæquatum, & totale huius potentiæ est ne color, qui est in albedine tantum; vel color qui est in albedine, nigredine, rubedine, cęterisq; coloribus simul? Si primum. Ergo potentia visiua non poterit ferri in nigredinem, cum nulla potentia feratur extra sphæram sui obiecti adæquati. Si secundum. Peto. Ratio coloris, vel est vna formaliter in omnibus coloribus, vel multiplex. Si vna, habetur intentum, dari vnitatem positiuam inexistentiæ, Si secundum: ergo, vnius potentiæ non esset vnicum obiectum, cum essent plures rationes coloris. Vt igitur hoc absurdum auferatur, ponenda est aliqua ratio Vniuersalis positiuè in omnibus coloribus, quæ potentiæ visiuæ sit adæquatum obiectum. Quæ esto sit vna formaliter, plurificatur tamen numero ad plurificationem indiuiduorum, ita vt sit vna, & plures; nam manere cum indiuisione in pluribus, est speciale diuinę naturæ, quæ cum sui indiuisione in pluribus manet.

11 Sed pugnabis contra nos Scoticis auctoritatibus. Scotus 3.*d*.8.*q.vn.* in fine. Expressis verbis inquit. *In natura humana in Christo est vnitas aliqua realis minor vnitate numerali, & similiter Vnitas realis in Maria, & ista Vnitas est fundamentum mutuæ æqualitatis in Christo, & Maria*. Ex quibus verbis deducitur, multiplicatio vnitatum formalium minorum numęralibus pro multiplicatione Indiuiduorum. Deinde 2. *d.3.q.6. ante E. Concedo, quod vnitas realis non est alicuius entitatis existentis in duobus indiuiduis, sed vno*. ergo secundum Scotum natura quæ habet vnitatem formalem non est in duobus Indiuiduis sed in Vno. Item 2. *d*. 3.*q*.1.§.*sed Contra* habet. *Nihil secundum quamlibet Vnitatem, quam habet à parte rei est in potentia proxima, vt præ-*

dicetur de quolibet ſuppoſito, ſeù ſingulari, prædicatione dicente. Hoc eſt Hoc. At hoc eſſet falſum ſi daretur natura Communis, per inexiſtentiam: ergo non datur ſic Communis.

Reſpondeo ad primam. Quod ſi rectè conſiderentur Verba Scoti, potius erunt pro nobis, quam contra nos. Et reuera quod ita ſit. ait Scotus. In natura humana Chriſti eſt vnitas aliqua realis minor vnitate numerali, & ſimiliter Vnitas realis Mariæ. Concedo, ergo, alia eſt Vnitas humanitaris Chriſti: alia Vnitas humanitatis Mariæ. Nego Conſequentiam. Loquendo de Vnitate formali poſitiua. Nam etiam in Platone eſt vnitas aliqua realis minor vnitate numerali, & in Socrate eſt ſimilis Vnitas, & tamen non oportet illas diſtinguere, vt Scotus loco citato paulo ante dixerat: atque adeo dicendum eſt, Humanitatem Chriſti, & humanitatem Mariæ eſse Vnam formaliter, plures autem numeraliter. Hinc Scotus ſubiunxit. Iſta Vnitas eſt fundamentum mutuæ æqualitatis in Chriſto, & Maria ex ſuppoſitione, quod Chriſtus non habuerit perfectiorem humanitatem humanitate Mariæ; atque adeo Chriſti, & Mariæ humanitates ſunt quid Vnum formaliter, per quod ſunt æquales.

12 Ad ſecundã. Pariter reſpondẽdo explico Teſtum. Vnitas realis non eſt, alicuius entitatis exiſtentis in duobus indiuiduis indiuiſibiliter, concedo diuiſibiliter, nego. Et quod, ita ſit patet, ex ſolutione, quam dat Doctor huic argumento. Si eſt aliqua Vnitas, minor vnitate numerali, aut eſt alicuius, in eodem numero, aut in aliquo alio. Non in eodem numero, quia quidquid eſt in eodem numero eſt vnum numero; non eſt in duobus: quia in eis nihil eſt vnum numero: realiter, quia hoc eſt proprium ſuppoſiti in diuinis. Reſpondet (inquam) Vnitas realis non eſt alicuius entitatis exiſtentis in duobus Indiuiduis (ſupple) non eſt vnum numero, quod idem eſt, ac indiuiſibiliter, ideſt non eſt ſicut eſſentia diuina, cuius eſt proprium, eſſe vna numero in pluribus. Qua propter concedimus, & nos vnitatem formalem vnam eſſe, numeraliter tamen multiplicari. Per hanc doctrinam patet etiam reſponſio ad tertiam auctoritatem, ſcilicet, quod propter partitionem, quam habet natura in indiuiduis, nõ eſt proximè prędicabilis, debet enim Intellectus abſtrahere naturam ab illa diuiſione, illamque duntaxat in communi conſiderare, ad hoc vt Commune prædicetur de particulari, & non particulare de particulari. Qua propter eſſentia diuina eſt proximè prædicabilis, quia cũ hæc ſit impartita, non debet Intellectus à tali partitione abſtrahere, ad hoc, vt prædicet natura diuina de diuinis perſonis.

13 Pugnabis rationibus. Quæ identificantur realiter ſunt inſeparabilia ex communi placito, at hoc non eſſet verum, vera exiſtente noſtra aſſertione: ergo &c. Min. prob. Stante noſtra aſſertione, natura eadem eſt in Petro, & Paulo, ergo pereunte Petro, natura, quæ erat in Petro, ſupereſt in Paulo: ergo natura Petri à Petro eſt ſeparabilis: ergo aliquod identificatum realiter cum aliquo, ſine illo poterit exiſtere, cum Petri natura Petro ſit realiter identificata.

Reſpondeo. Diſtinguendo Maiorem. Si quæ identificantur realiter ſint ſingularia, concedo, eſſe inſeparabilia; ſi quæ identificantur realiter ita ſe habeant, vt vnum ſit Vniuerſale, & aliud ſingulare, nego eſſe inſeparabilia Vniuerſale enim propter illimitationem, quam habet ad plura, poteſt à quolibet ex ipſis ſeparari, & cum ipſis realiter identificari.

14 Contra hoc argues. Si Vniuerſale, & Singulare identificata realiter, ratione illimitationis in Vniuerſali repertæ, poſſunt ſeparari. Sic etiam duo ſingularia, quorum vnum eſt illimitatum,

& a-

& aliud limitatum, erunt separabilia; non obstante identitate reali; sicque anima erit separabilis ab Intellectu, & Voluntate; Essentia à personis diuinis. Quæ sunt erronea, cum tam anima, quam Essentia diuina entia singularia sint, & illimitata; tum in ordine ad potentias, tum in ordine ad personas.

Respondeo. Quod Quandocumque aliquod identificatur realiter duobus identificatis inter se, vel inseparabilibus per circumincessionem, illimitatio non præstat separabilitatem illius ab vno, vel altero ex illis; secus est si aliquod identificetur realiter duobus quæ sint separabilia ad inuicem. Quia tunc identificata possunt separari ratione illimitationis. Modo Intellectus, & Voluntas identificantur inter se, & diuinæ Personæ inseparabiles sunt per circumincessionem, per quam sunt inter se inuicem mutuo, ex Scoto 1.*d*.19. *q*.1. igitur non sunt ad inuicem separabilia; non obstante illimitatione Animę, & Essentię diuinę.

15 Dices. Si Vniuersale ratione illimitationis potest esse sine hoc, vel illo indiuiduo: ergo etiam sine omni; Cõsequentia tenet iuxta argumentationem, quam facit Scotus ad probandum, materiam primam posse existere, sine omni forma, scilicet. Materia potest existere sine hac, & illa forma: ergo & sine omni: ergo & in Casu. Vniuersale, vel natura Communis potest separari, & existere sine hoc, & illo indiuiduo: ergo & sine omni.

Respondeo. Negando consequentiam. Et ratio disparitatis est. Quia Materia ratione sui est separabilis ab hac, vel illa forma, non verò ratione separabilitatis formarum; vndè si essent duæ formæ inseparabiles, adhuc materia ratione sui esset separabilis: non sic natura, quæ non ratione sui, sed ratione separabilitatis Indiuiduorum separabilis esset. Vnde si essent duo Indiuidua inseparabllia, natura non esset separabilis. Est ergo natura Communis separabilis, non ratione sui, sed ratione indiuiduorum, non per se, sed per accidens.

Dices. Incompatibilia non possunt alicui vni nec per accidens competere: ergo si naturæ secundum se competit inseparabilitas, per accidens nequibit eidem competere separabilitas.

Respondeo. Antecedens esse verum de incompatibilibus actualibus, non de potentialibus: vt patet in Homine, cui per se competunt risibilitas, & flebilitas simul, & tamen competere non possunt simul risus, & fletus. Modo separabilitas, & inseparabilitas sunt opposita potentialia, quæ minus opponuntur, quam actualia; atque adeo eidem naturæ competunt simul.

16 Pugnabis iterum. Data assertione, plurima intolerabilia absurda sequerentur. Primum. Quod eadem natura esset misera, & felix, damnata, & beata, in Christo videret Deum in Cęlo, in Iuda cruciaretur in inferis. Secundum, non conuerteretur in Eucharistia tota substantia panis in Corpus Christi, quia nihil in idem conuertitur. Tertium. Deus non posset totaliter destruere vnum hominem, nisi omnes destrueret, cum natura vnius in omnibus reperiatur.

Respondeo ad Primum. Nõ esse inconueniens, quod eidem naturæ hæc opposita per accidens conueniant ratione diuersorum Indiuiduorum, quibus inexistit; nam hoc modo opposita non sunt, quia opposita competentia eidem secundum rationes diuersas, non sunt opposita.

Ad Secundum. Dico Conuerti totam entitatem physicam panis in entitatem physicam Corporis Christi; non verò entitatem metaphisicam panis in entitatem metaphisicam Corporis Christi; nam hæc non est necessaria.

Ad Tertium. Concedo si loquamur

de

de toto homine, & quo ad phiſicalia, & quo ad metaphiſicalia.

17 Alterum Vniuerſalis Metaphiſici, ſeù naturæ Commmunis conſtitutiuum, eſt Aptitudo ad eſsendum in multis; hæc igitur poſt Vnitatem ſequitur exaranda. Hinc ſit.

Aſsertio Tertia. Aptitudo ad eſſendum in multis requiritur ad reddendam naturam Vniuerſalem, tam metaphiſicè, quam Logicę. Huiuſmodi autem aptitudo eſt à parte rei. Probatur *pp.* quia Natura Communis eſt fundamentum Vniuerſalitatis Logicæ, & Metaphiſicæ: ergo quod requiritur ad naturam Communem, requiritur ad Vniuerſale logicum, & metaphiſic: at ad naturam Communem non requiritur, eſſe actualiter in multis, ſed ſufficit poſſe eſſe. Probatur hoc. Supponamus vnam naturam eſſe in vnico Indiuiduo, tunc quæro, illa natura vel eſſet Communis, vel non. Si Communis: ergo ad Communitatem naturæ non requiritur, quod actu ſit in pluribus; ſi non: ergo ſuccedente alio Indiuiduo, vel non participaretur eadem natura, quod ex antedictis falſum eſt; vel aliquod non Commune participaretur, quod implicat, quia tunc eſſet Commune, & non eſſet Commune; commune ratione participationis, non commune ratione ſuppoſitionis: ergo ad naturam Communem non requiritur eſſe actualiter in multis, ſed ſufficit, Poſse eſse, atque adeo Aptitudo requiritur ad reddendam naturam Vniuerſalem &c. Secunda pars oſtenditur. Si non requireretur Aptitudo à parte rei, ſed ſufficeret Aptitudo concepta per Intellectum, Sequeretur, quod etiam ſingulare poſset fieri per intellectum Vniuerſale. Prob. hoc. Poſset intellectus concipere ſingulare vt habet Aptitudinem ad plura, præcipuè quando idem ſingulare participatur à pluribus: vt eſt eſsentia diuina: ergo Singulare fieret Vniuerſale. Firmatur ratio. Aptitudo per Intellectum fabricata, ſi fundata non ſit in aptitudine à parte rei, eſt chimerica aptitudo, ex qua non poſſet ſequi vera prædicatio; nam ex Vero Verum, ex falſo falſum, ex chimerico chimericum ſequitur: ergo ſequitur quod ſit Aptitudo realis.

18 Dices Vniuerſale non datur à parte rei, ergo nec Aptitudo eius erit à parte rei. Conſequentia tenet, quale eſt conſtitutum, tale eſt conſtituens; ſed Conſtitutum ſcilicet Vniuerſale non datur à parte rei: ergo nec Conſtituens ſcilicet Aptitudo. Prob. igitur Antecedens. Si Vniuerſale eſſet à parte rei, eſſet ſingulare iuxta Boetij axioma. Omne quod eſt, ideo eſt, quia vnum numero eſt, & intelligitur de eſſe à parte rei: ergo &c.

Reſpondeo. Negando antecedens, loquendo de Vniuerſali Metaphiſico, de quo nos hic. Ad prob. nego antecedens, & ad Boetium dico, eſſe intelligendum de exiſtenti exiſtentia vltimata, non verò de exiſtenti exiſtentia non vltimata; tale enim non eſt ſingulare, ſed Vniuerſale. Sed quia hoc exagitat propriam diſceptationem. Sit igitur.

DISCEPTATIO II.

Vtrum Detur à parte rei Natura Communis, ſeù Vniuerſale Metahpiſicum.

19 VNniuerſale Metaphiſicum ſic pōt deſcribi. *Eſt vnū aptū ineſse multis*; quæ deſcriptio eſt recta, cū ſit conformis Philoſopho 7.*metap.t.*45. & exprimat etiam ſua eſſentialia conſtitutiua; Vnitatem, ſcilicet & Aptitunem. Viſis igitur conſtitutiuis Vniuerſalis, quærimus nunc de ipſo Vniuerſali, an detur à parte rei.

Aſſertio Vnica. A parte rei datur Vniuerſale metaphiſicum, ſeù Natura Communis, in ſuis ſingularibus incluſa, & cū eis identificata realiter. Prob. 1.*pars*. In hac prædicatione. Petrus eſt homo.

homo. Si non daretur natura Communis à parte rei, seù Vniuersale metaphisicum, vel ista prædicatio esset, ac si diceretur. Petrus est Petrus, vel ac si diceretur, Petrus est alter homo, quam Petrus. Vel Petrus est quilibet homo. Quæ omnia absurda sunt. Prob. Consequentia. Si non daretur Vniuersale à parte rei; iam ly Homo significaret singulare: ergo vel Petrum, vel aliud singulare, vel omne singulare. Si primum, idem esset dicere, Petrus est homo, ac Petrus est Petrus. Si secundum. Tunc idem esset dicere, Petrus est alter homo, quam Petrus. Si Tertium. Tunc Petrus est quilibet Homo: ergo supradicta absurda sequærentur, negato vniuersali metaphisico à parte rei: ergo tale est dandum. Secunda *p. pr. sic*. Si Vniuersale non esset inclusum in singulari, sequeretur. Hanc prædicationem Sortes est homo, esse extrinsecam. Sed hoc est falsum, cum sit intrinseca, & essentialis, ergo &c. Prob. Mai. Prędicatio extrinseca tunc est, quando forma denominans est extra subiectum denominatum; sed homo esset extra Sortem: ergo esset extrinseca. Tandem *p. 3. pr. sic*. Natura humana vel esset tota essentia Indiuidui, vel pars essentiæ tantum; vtraque tamen identificatur realiter cum eo cuius est essentia, vel pars essentiæ. Quapropter in Scola Scotica vrget difficultas ad tuendum; essentiam physicam distingui realiter; dubium tamen non vrget de essentia metaphisica; modò Vniuersale metaphisicum est essentia, vel pars essentiæ metaphisicæ: ergo est realiter identificatum cum suis singularibus.

20 Vrgebis. Obiectum scientiæ est æternum, & inuariabile: ergo non potest esse in aliquo corruptibili, & variabili; ex coniunctione enim cum variabili, fieret variabile: ergo Vniuersale, quod est obiectum scientiæ, est extra singularia. Si quidem si existeret in his variabile fieret, sicut & ista variabilia sunt. Deinde si Vniuersale in singularibus existeret, existeret per existentiam singularium: ergo corruptibile esset: nam id, cuius existentia est corruptibilis est corruptibile in existendo. Vniuersale per existentiam singularium existeret per existentiam corruptibilem: ergo esset corruptibile. Vlterius. Si existeret Vniuersale in singularibus, falsò intellectus extra singularia conciperet, quia conciperet aliquod esse extra illud, extra quod non est; sed absurdum est dicere, quod intellectus non possit ipsum extra in singularia concipere, sine eiusdem Intellectus errore; sequeretur .n., quod semper, quando intellectus formaret Vniuersale Logicum, erraret; quod est perperam: ergo &c.

Respondeo ad primum. Quod sicut Vniuersale ex coniunctione cum singulari, euadit singulare per accidens, & per se remanet Vniuersale, ita euadit per accidens variabile, & corruptibile, & per se incorruptibile, & inuariabile remanet: atque adeo potest esse scientiæ obiectum. Ad secundum dico, quod scientiæ obiectum non debet esse inuariabile quo ad existentiam, sed quo ad connexionem prædicatorum essentialium; quod sufficit. Ad tertium dico, quod Intellectus quando format Vniuersale Logicum, non concipit Vniuersale esse extra singularia, sed concipit Vniuersale, non concipiendo singulare. Hinc non debet errare ad formandum Vniuersale Logicum, quia est peripatheticum enuntiatum. Abstrahentium non est mendacium; In præcisionibus, non sic indiuisionibus; quod ad formandum Vniuersale Logicum haud requiritur.

(?)

DISCEPTATIO III.

In Quo consistat Vniuersalis Logici Essentia.

21 Visa essentia Vniuersalis Metaphysici, vniuersalis logici natura est indaganda; hæc enim super illam fundatur. Pro qua aduertendum est, Vniuersale logicum, sicut & Metaphisicũ duo importare: vnũ in recto, & aliud in obliquo; in obliquo naturã, quę Vniuersalis denominatur; in recto, ipsam vniuersalitatẽ, à qua denominatur. Natura Vniuersale dicitur Fundamentaliter; id vero per quod denominatur Vniuersale; Vniuersale dicitur Formaliter. Itaque Natura secundum se, vt dicit aptitudinem realem adexistendum in pluribus, est fundamentaliter Vniuersale Metaphisicum. Quando concipitur præcisiua abstractione, non intellectis singularibus, tamen vt potest esse in illis, tunc habetur Vniuersale metaphisicum formaliter. Quando vero consideratur, vt potest de illis pluribus prædicari, fit Vniuersale logicum formaliter.

22 Hinc deducas Vniuersale logicũ formaliter duo respicere fundamenta: vnum Proximum, & est Vniuersale metaphisicum formaliter; aliud remotum, estque ipsa natura, cum aptitudine reali ad multiplicari in pluribus. Vniuersale autem metaphisicum formaliter habet duntaxat vnicum fundamentum, quod est natura cum prædicta aptitudine.

23 Quantum vero ad definitionem Vniuersalis logici sic potest describi. ex Philosopho 1. Periher. c. 5: Vniuersale logicum est vnum aptum ptædicari de pluribus. Dicitur Vnum, idest Vnitate positiua per inexistentiam. Dicitur. Aptum prædicari de pluribus, idest cum sui multiplicatione. Per talem particulam differt ab Vniuersali metaphisico, quod est Aptum in esse multis. Intelligitur quoque ly Aptum de aptitudine proxima, vt etiam ab Vniuersali metaphisico differat, quod habet aptitudinem remotam ad prędicari. Ex hac explicatione fit.

23 Vnica Assertio. Essentia Vniuersalis logici, consistit in Dici de, vt importat aptitudinem. Prob. Adhoc, vt natura fiat Vniuersale logicum debet esse proximè prædicabilis de pluribus; ergo proxima prædicabilitas de pluribus est constitutiuum Vniuersalis logici: ergo dici De, vt dicit aptitudinem est essentia Vniuersalis logici. Antecedens patet per ea, quæ diximus. Prima consequentia, etiam constat. Nam si natura non esset proximè prædicabilis, non fieret Vniuersale logicum: ergo vt fit logicum debet esse proxime prædicabilis, atque adeo proximè prædicabilitas est constitutiua Vniuersalis logici. Firmatur exemplo probatio eiusdem consequentiæ. Nam valet dicere. Si animal non esset rationale non esset homo: ergo Rationalitas est constitutiua hominis. Sic & in casu. Valebit si natura non esset proximè prædicabilis non esset Vniuersale logicum: ergo proxima prædicabilitas est constitutiua Vniuersalis logici, atque adeo Dici de, cum aptitudine est essentia Vniuersalis logicis.

24 Prob. secundò. Secundum Scotum Definitio Generis, & Speciei est quidditatiua: ergo Prædicari est de essentia Generis. Tunc sic. Prædicari non est propria ratio generis, quatenus Genus est, sed quatenus Vniuersale: ergo prædicari cum aptitudine est de essentia Generis quatenus Vniuersale: ergo est de essẽtia Vniuersalis. Firmatur exẽplo. Valet dicere. De essentia Hominis quatenus animal est sensibilitas: ergo sensibilitas est de essentia animalis, ita in Casu valet dicere. De essentia Generis per Scotum est prædicari,

seù dici De, vt Vniuersale: ergo prædicari, seù dici De per Scotum est de Essentia Vniuersalis.

25 Hinc colligas. Quinque Vniuersalia constitui per Dici de, seù per prędicari, quatenus talia. Nam vnumquodque habet suam specificam differentiã, sed vt talia præcise. Hinc est accuratè à Porphirio, non per esse In, sed per prędicari de pluribus definiuntur.

26 Instabis contra. Quod primò intelligitur de aliquo est essentia illius, sed in Vniuersali prius intelligitur Esse in Multis, quam dici de Multis. Ergo Esse in multis est essentia illius, & non dici de multis. Mai. est certa. Mi. prob. Nã Arist. 1. *Pos.* Vniuersali logico, prius tribuit esse In, quam dici De; inquit .n. Vniuersale est vnum in multis, & de multis. Deinde, Esse In est Causa dici De. Sicut enim quia hoc est in illo realiter, sic quia hoc est in illo per rationem, ideo enunciamus hoc de illo per intellectum.

Resp. Neg. Mi. Est benè prius esse In, quatenus est fũdamentum Vniuersalis logici, non tamen est prius in Vniuersali logico. Ad prob. dico. Philosophum ibi pręscindere ab Vniuersali logico, & metaphysico. Et sensus Aristotelicus, & Scoticus est, quod natura duplicem imbibit vniuersalitatẽ; vnam essendi in multis, aliam prædicandi de multis; per primã est Vniuersale metaphisicũ, per secũdã vniuersale logicum, iuxta id quod habet Scot. 7. metap. *q.* 13. *n.* 19. Vniuersale completũ est, quod est in pluribus, & de pluribus. Idest natura non est completum Vniuersale per esse in pluribus, sed complementum suæ Vniuersalitatis etiam dependet à Dici de pluribus. Ad secundum. Concedo esse In esse causam extrinsecam, & præsupositionis Dici De; non vero intrinsecam. Hoc est dictum. Dici De, seù Vniuersale logicum, supponit Vniuersale metaphysicum, seù esse In.

27 Dices. Prædicabile, & Vniuersale distinguuntur: ergo eorum constitutiua distinguentur: at Prædicabile constituitur per Dici: ergo Vniuersale per Esse.

Respondeo. Prædicabile, & Vniuersale logicum reciprocari, atque adeo dicere solemus, quinque esse Vniuersalia, ideſt quinque Prædicabilia. Prædicabile vero, & Vniuersale metaphysicum discriminari, quia hoc remotam, illud proximam prædicabilitatem præsefert.

DISCEPTATIO IV.

Vtrum Vniuersalium Diuisio, In Quinque Vniuersalia, sit sufficiens.

28 NOn loquimur de fundamentis Vniuersalium; ista enim sunt naturæ, quæ vniuersalitates fundant; quæ cum nos lateant cunctę quot sint, numerari minimè possunt. Hinc loquimur de vniuersali formaliter: An, scilicet, in quinque vniuersalia formaliter sufficienter, & adæquatè diuidantur. Loquimur pariter de vniuersali prædicamentali, & de quinque Vniuersalibus prædicabilibus: nam si de transcendentali loqueremur, exploratissimum est, tale sub nullo eorum vniuersalium contineri, vt sunt omnes termini transcendentales. His dictis.

29 Assertio Prima. Vniuersale metaphisicum formaliter sumptum rectè scinditur in quinque Vniuersalia, ita vt nec pauciora sint, nec plura. Prob. Tot sunt Vniuersalia metaphisica formaliter, quot sunt Modi essendi naturarum Vniuersalium, sed quinque sunt Modi essendi talium naturarum: ergo quinque sunt &c. Mai. patet. Nam Vniuersalia ex Modis essendi eorum distinguuntur: ergo tot ista, quot illi, nã tot sunt distincta, quot sunt rationes distinguendi. Mi. Prob. Quod est in

alio, vel eſt de eius eſſentia, vel non eſt de eius eſſentia. Si primum, vel eſt tota eſſentia, vel pars eſſentiæ. Si tota eſſentia, erit Species, quæ totam indicat eſſentiam Indiuiduorum. Si eſt pars eſſentię, vel eſt per Modum Quid, vel per Modum Qualis. Si primum, eſt Genus; ſi ſecundum eſt differentia. Si non eſt de eſſentia, vel profluit neceſſario ab ea, & ſic eſt proprium, vel non profluit, ſed contingenter aduenit, & ſic eſt accidens: ergo ex quinque Modis, quinque Colliguntur Vniuerſalia metaphiſica formaliter. Cum autem alter Modus eſſendi diuerſus ab iſtis excogitari non poſſit, non poteſt aliud excogitari Vniuerſale.

30 Aſsertio Secunda. Vniuerſale Logicum etiam ſufficienter diuiditur in quinque Vniuerſalia Logica aſſignata. Aſsertio hæc euidenter ſequitur ex prima aſsertione. Tot enim ſunt Modi prædicandi, quot ſunt Modi eſsendi: igitur &c.

31 Obijcitur 1. Aſsertionem iſtam eſse contra Philoſophum, qui primo topicorum tantum enumerat quatuor Vniuerſalia, ſcilicet Genus, Definitionem, Proprium, & Accidens; ex quo excluditur Quintum. Tum quia Genus, & differentia continentur in Specie, cum ſpeciem componant, & nil componit aliud, quin in illo: ergo Diuiſio recta non eſt.

Reſpondeo. Locum ab auctoritate negatiua non tenere. Vnde non valet Philoſophus non enumerauit, niſi quatuor: ergo non datur Quintum. Nec ex hoc colligitur, ipſum fuiſse diminutum; quia tantum ibi enumerauit illa prædicata, quæ ad ſuum inſtitutum ſpectabant. Ad aliud dicitur, quod benè procedit, ſummendo Genus, & differentiam fundamentaliter; ſic enim in ſpecie includuntur, illamque conſtituunt; ſi autem ſumatur formaliter, quatenus ſunt diuerſæ ſecundæ intentiones Logicales, ſic in ſpecie formaliter non ſunt incluſa; ſed ex diuerſis modis, quos habent prędicandi conſtituunt, vel ſunt diuerſa Vniuerſalia, tam ab inuicem, quam à Specie.

32 Obijcitur 2. Omnia hæc quinque Vniuerſalia vnico, & eodem modo fiunt: ergo Quinque nō ſunt ſed vnum, & idem Vniuerſale. Antecedens prob. omnia fiunt per ſimplicem appræhenſionem naturarum, vt poſſint proximè prædicari de ſuis inferioribus: ergo omnia eodem modo fiunt. Conſequentia prob. Illa quæ ſunt diuerſa, fiunt diuerſo modo: ergo illa quæ fiunt eodem modo non ſunt diuerſa, ſed eadē.

Reſp. Quidquid ſit de Conſequentia, diſtinguendo antecedens; fiunt eodem modo generico; concedo; ſpecifico, nego: nam licèt omnia Vniuerſalia fiant per ſimplicem appræhenſionem, qui eſt Modus genericus; vnumquodque tamen fit per ſimplicem appręhenſionem naturæ diuerſo modo. Genus enim fit per appræhenſionem naturę vt potentis prędicari in Quid parte eſsentiæ. Species per appræhenſionem naturę, vt potentis prędicari in Quid totam eſſentiam, & ſic de cæteris dicēdum eſt.

33 Obijcitur 3. Definitio Prædicatur de pluribus cum ſui diuiſione: ergo eſt Vniuerſale; ſed non eſt aliquid iſtorum quinque: ergo erit ſextum: Tum quia decem ſunt prædicamenta: ergo & decem prædicabilia, ſeù Vniuerſalia.

Reſpondeo. Primo, quod Porphirius tantum eſt locutus de prædicabilibus incompletis; non de completis, & illa dicit eſſe Quinque. Non eſt igitur mirum, quod definitio, quæ eſt quid complexum, & completum, non ſit aliquod iſtorum quinque. Reſpondeo Secundò. Quod definitio non aſſignatur tanquam ſpeciale prædicabile. Quia non habet vnum modum ſpecialem prædicandi; ſed duplici quaſi modo prædicatur propter duplex Vniuerſale, quod continet: ſcilicet Genus, & Differentiam. Vnde eſt potius duo

Vni-

Vniuersalia, quàm Vnum: & sic quando definitio prædicatur, duo Vniuersalia prædicantur. Respondeo Tertiò. Quod licet formaliter definitio non sit aliquod istorum quinque; ad aliquod tamen istorum reducitur. Vnde definitio Generica ad Genus, & specifica ad speciem reducitur.

34 Dices contra secundam responsionem: quod nec Species, esset speciale prædicabile; sed cum contineat in se genus, & differentiam, non sit Vniuersale distinctum à Genere, & differentia, sed sit duplex Vniuersale, sicuti diximus de definitione.

Respondeo. Quod licèt Species implicitè Genus, & differentiam includat, tamen quid tertium est ab illis distinctum, proindè est etiam diuersum Vniuersale ab illis: non est sic definitio, quæ explicitè illa duo dicit, & non nisi illa importat. Ad aliam instantiam dicitur, quod distinctio prædicamentorum, potius dessumitur ex rebus, quæ prædicantur, quam ex modis prędicandi eorum. Cum autem sint decem genera rerum, quæ prædicantur, decem assignantur prædicamenta; distinctio vero prædicabilium, non dessumitur ex rebus, quæ prædicantur, sed ex modis prædicandi eorum, qui cum quintuplex sit, quinque debent assignari Prędicabilia, seù Vniuersalia.

34 Obijcitur 4. Si assumeretur alia natura humana, vt potest assumi à Spiritu Sancto; sicuti de facto fuit assumpta à Filio: tunc homo esset prædicabilis de pluribus Suppositis diuinis cum sui diuisione; quia valeret dicere de illis, sunt plures homines; & tamen non est aliquod ex his quinque: ergo erit Sextum. Min. probatur. Non esset Genus, nec Species, nec Differentia, quia non esset de essentia illorum Suppositorum, sed esset aduentitia, & ad libitum dimittibilis. Non Proprium. Quia illa natura non proflueret necessariò ex visceribus diuinorum suppositorum; Non Accidens, quia non prædicatur in Quale, & quia natura humana est substantia: ergo non est aliquod ex his quinque.

Respondeo primo. Distinguẽdo consequens; datur sextum prædicabile, naturaliter cognoscibile, nego. Non naturaliter cognoscibile, sed lumine fidei supernaturalis, concedo; Misterium enim incarnationis totum naturæ lumen excedit, & tantum supernaturali lumine scitur, nec propter hoc violatur assertio nostra. Respondeo secundo. Concedendo totum argumentum; nec aliquid contra nos concedimus: quia solum dicimus, dari solum quinque Vniuersalia, quod autem aliud miraculosè possit dari, quid refert? Si ego dicerem. Nõ sunt nisi vndecim studentes in Scola, ex hoc, quod plures quam vndecim possint esse in Scola, non mentior.

35 *Quæres. Vtrum Vniuersale sit Genus ad quinque Vniuersalia?*

Respondeo cum Scoto q. 8. Vniuersalium, affirmatiuè: Prob. intelligendo Responsionem, tam de Vniuersali Logico, quam de Vniuersali Metaphisico. Fateor Scotum de Vniuersali Logico esse locutum, tamen quia est eadem ratio de Logico, & Metaphisico, ideo dicendo, quod etiam de Metaphisico loquatur. Ex eo enim quod dicit, colligendum est, quod dicat, quod non dicit. Prob. (inquam) assertio affirmatiua sic: de Vniuersali Logico. Quod indicat partem essentiæ inquid multis specie differentibus est Genus; sed vniuersale Logicum est sic respectu suorum inferiorum: ergo est Genus ad illa. Maior patet. Minor probatur in primis Vniuersale est de essentia Quinque Vniuersalium; non tota, quia ipsa aliquid essentiale speciale habent per quod ab inuicem differunt: ergo pars. Deinde ad interrogationem factam per Quid de quinq; Vniuersalibus, per Vniuersale respondetur: ergo indicat,

Vniuersale partem esse Vniuersalium, in Quid. Quod autem Quinque Vniuersalia Specie differant. Prob. Plus differunt Genus, & Species, quam duæ Species (loquendo formaliter, & Logicè,) sed duæ Species differunt numero; sunt enim duę intentiones Logicæ eiusdem rationis; genus ergo, & Species, specie differunt, cum plus differant quam duæ species.

36 Obijcitur primò. Si Vniuersale esset Genus ad quinque Vniuersalia; Genus primum Vniuersale esset Species ipsius: ergo species prædicaretur de Genere: ergo oppositum de opposito prædicaretur; nam Species cum sit correlatiua Generis relatiuè opponitur Generi.

Respondeo. Quod opposita intentionalia sic se habent, quod vnum potest denominare, & accidentalitèr prædicari de altero: sicque species opposita Generi vt subijcibili: potest de genere denominatiuè prędicari. Vel dicas, quod species, quæ est secundum prędicabile in ratione subijcibilis, & respicit Genus primum prædicabile, & respicit prædicabile in communi; in quantum respicit Genus, opponitur Generi, & sic de ipso non prædicatur; in quantum verò respicit Vniuersale in Communi, non opponitur generi primo prædicabili, sed Vniuersali in Communi; & ita potest de Genere prædicari: quia hoc modo non opponitur ipsi, & quia ipsum etiam Vniuersali in Communi subijcitur.

37 Obijc. Secundò. Implicat, Superius contineri sub inferiori; sed hoc sequeretur, si Vniuersale esset Genus ad quinque Vniuersalia: ergo. Min. Prob. Omne Genus continetur sub genere primo prædicabili: ergo si Vniuersale in Communi est Genus. Superius contineretur sub inferiori. Deinde. Idem esset Superius, & Inferius respectu eiusdem.

Respondeo. Quod Superius potest contineri accidentaliter sub inferiori; sic genus primum prędicabile continetur essentialiter sub Vniuersali; & Vniuersale accidentaliter continetur sub Genere inferiori, essentialiter sub Superiori, vt Superius accidentaliter sub inferiori. Ad aliud dicitur quod idem potest esse Superius, & Inferius respectu eiusdem secundum diuersam Considerationem. Accidentaliter scilicet Inferius, & essentialiter Superius. Est ergo Vniuersale in Communi Genus ad Genus; at Genus vt sub tali Genere, non est Genus, sed Species, nam cum subijciatur ipsi Vniuersali in Communi, erit species subijcibilis illius.



PÆDIA



PÆDIA QVINTA.

De Vniuerſalibus in Particulari.



NIVERSALIA particularia ſub Vniuerſali in Communi contenta, ſunt. Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens. Viſo igitur Vniuerſali in Communi, Particularia Vniuerſalia videnda ſuperſunt. Incipiamus à Genere; Cuius Definitio, ſicut, & cæterorum Vniuerſalium Definitiones, quamuis Superius, Pædia Prima, Capite tertiò, fuerint traditæ, tamen vt magis, magiſque exarentur, ac percipiantur, in præſenti Pædia, repetentur.

DISCEPTATIO I.

Vtrum Ratio Generis, qua dicitur. (Genus eſt, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quid) ſit Definitio, vel Deſcriptio.

1 IN titulo præſentis diſceptationis illud eſt declarandum: Quomodo ſcilicet differant Definitio, & Deſcriptio. Ad quod breuiter dicimus: quod illa datur per intrinſeca, & eſſentialia: hæc per extrinſeca, & accidentalia: nam licet propria Paſſio ſit inſeparabilis à ſubiecto, non eſt tamen ſubiecto intrinſeca, vt ſit de quidditate illius, imò eſt illi accidens: non vt eſt vltimum de quinque prædicabilibus: ſed vt accidens ſumitur pro extraneo: quia à ſubiecti quidditate eſt aliena. Deberent etiam aſſignari Conditiones bonæ definitionis, niſi illæ in Pædia prima ſuo loco, eſſent habitæ, quæ omnes breuiter ad hanc reducuntur Conditionem, quod omnis definitio conſtet ex proprio, vel proximo Genere, & ex vltima differentia: quorum alterum ſi deficiat eſt inſufficiens.

2 Aſſertio. Ratio Generis eſt eius Quidditatiua Definitio. Ita Scot. *q.*8. Vniuerſalium. Ita etiam Ariſtoteles. 1. *topicorum cap.*4. Nec dicendum eſt Ariſtotelem tradidiſse deſcriptionem: cum ad Artificem ſcientificum per eſsentialia definire ſit conſtitutum: ergo vel Genus non eſt definibile, vel proprias rationes definitionis ignorauit, qui alios docuit: primum non eſt dicendum: eſt enim ens finitum, ac per conſequens. Quid, & Quale ſuo modo poſſidet. Nō ſecūdū: ne inſcitiæ Ariſtotelem arguamus. Imò Porphirius ipſe in Capite de Specie inquit. Neceſſe eſt in vtrorumque rationibus vtriſque vti, loquendo de Genere, & Specie. Ratio autem eſt Definitio *ex* 4. *metaph.t.*8. Probatur etiam ratione ſolida à Scoto ſic. In Generis ratione

poni.

ponitur proximum Genus, & Differentia propria: ergo, & definitio. Prob. antecedens. Definitio Vniuersalis est prædicari de pluribus: sed hæc ponitur in definitione Generis: ergo ponitur Vniuersale; nihil enim refert, an in definitione alicuius ponatur Genus, vel definitio Generis: vt si dicatur. Homo est substantia animata rationalis; proinde est ac si dicas. Homo est animal rationale. Ponitur etiam in definitione hac. De differentibus specie, & in Quid; quæ sunt per se differentiæ Generis. Prob. Prædicari de pluribus diuiditur per se in prædicari de pluribus differentibus specie, & differẽtibus numero; nam de differentibus Genere, in quantũ talia, nihil prædicatur per se: vt de substantia, & accidente prędicatur Ens, & quidem vniuoce secũdum Scotum, vniuocatione metaphisica: talia tamen subiecta vt sic non habent rationem Generis, sed potius speciei. Deinde diuiditur Prædicari de pluribus in Quid, & Quale, vt in modos diuisos prædicandi; sed differentiæ, quæ sunt per se diuisiuæ generis, sunt per se Constitutiuæ speciei: prædicari de pluribus differentibus specie, & prædicari de pluribus in Quid diuidunt Vniuersale per se: ergo per se constituunt Genus, quod est species Vniuersalis.

3 Nec iuuat dicere: Prædicabilitatem esse passionem Vniuersalis: atque adeo Genus dum per hanc definitur, non definitur, sed describitur. Nam negamus antecedens vt supra docuimus. Præterquam quod Aptitudo consequens naturam subiecti, non potest esse differentia subiecti specifica, quæ prior est subiecto, vt potè constitutiua illius, sed per aptitudinem, cum careamus vocabulis, circumloquimur differentiam essentialem; ita per prædicabilitatem circumloquimur differentiam constitutiuam Vniuersalis, sicut per rugibilitatem differentiam Constitutiuam Leonis.

4 Nec iuuat subiungere, quod Genus est ens rationis, cuius non est definitio propriè. Nam Genus eo modo quo est ens, eo modo habet Quid, ac Definitionem, non tamen penitus excluditur à definitione, sicut nec ab esse.

5 Nec iuuat replicare. Vniuersale non habere rationem Generis respectu horum Quinque Prædicabilium. Nam Vniuersale est Genus ad hæc quinque Prædicabilia; At Genus de quo quærimus in comparatione ad Vniuersale est species, quia sub modo speciei, hoc est partis subiectiuæ intelligitur. Cum vero infers. Nil est Vniuocum enti reali: quod est substantia, & Enti reali quod est accidens; sed Vniuersale dicitur, tam de animali; quam de colore: ergo non potest habere rationem Generis Vniuocè dicti.

6 Dico hanc difficultatem posse in omnibus prædicabilibus fieri. Nam quomodo species Vniuoce dicitur de Homine, & albedine; quorum illud est substantia, & istud est accidens? Similiter quomodo Genus dicitur Vniuoce de animali, & de figura? Et differentia quomodo de rationalitate, & disgregatiuitate, quæ est in albedine, vniuoce dicitur? Quare ad istam difficultatem dicimus, quod aliud est vniuoce applicari, & aliud vniuoce dici, vt prædicatum essentiale. Intentiones ex Scoto tum hic respondendo ad primum, tum per totã suam Doctrinam, vniuocè applicantur fundamentis, id est secundum aliquam Communem rationem in illis repertam; nec tamen secundæ intentiones sunt essentialia prædicata dicta in Quid de fundamentis. Ad formam ergo argumenti. Cum dicitur. Nihil vniuoce prædicatur de substantia, & Accidente. Dico quod non prædicatur vniuoce, vt prædicatũ quidditatiuum; vniuoce tamen prędicatur secundum communem rationem

in illis repertam; & ita ad Minorem; animal est fundamentum Vniuersalis, ob illius communicabilitatem, propter quam etiam color ad suas speciesęquo modo se habet, est fundamentum etiã Vniuersalis. Quod si instes. Passio est vniuoca: ergo & subiectum, tenet consequentia per Aristolẽ 2. *post. t.* 39. Sed falsum est, quod aliquod sit subiectum vniuocum accidenti, & substantiæ: ergo neque ratio Vniuersalis, vel Generis vniuoce potest illis applicari.

Respondeo. Propositionem Aristotelis esse veram de passione reali, quæ de subiecto demonstratur; non autem de accidente intentionali, quod est ab intellectu, quale est quodlibet Vniursale.

7 Si instes iterum. In fundamentis, ac substantijs nulla est Vnitas: ergo nec intentio illis applicata erit vniuoca. Patet sequela: quia à nullo, quod sit in fundamentis, vel substantijs potest accipi Vniuocatio.

Respondeo. Quod etiam in fundamentis est Vnitas proportionis, quę est conformitatis in similiter se habendo; & ex hac mouetur Intellectus, tanquã ex occasione ad attribuendum illis idem prædicatum, quod est Generis, vel speciei.

8 Quod si dicas. Vnitas Vniuocationis maior est Vnitate proportionis: ergo illa ex hac non accipitur.

Respondeo. Non accipi Vnitatẽ vniuocationis ab vnitate proportionis, tanquam causa præcisa, & adęquata; sed tanquam ab occasione, à qua motus intellectus dat effectiuè secundę intentioni Maiorem Vnitatem, quam in fundamentis reperit. Sicut à simili. Intellectio licet habeat esse à specie intellectuali, vel ab obiecto accidentario in ea relucente, ac proinde non possit excedere in perfectione hanc causã partialem, vt ab ea est, ac dependet. Est tamen eadem causa partiali longe perfectior, non perfectione ab ea habita; sed habita ab alià causa partiali, ac principaliter concurrente ad eundem affectum. Quæ causa est Intellectus. Ita Vnitas Vniuocationis, quæ est in secundis intentionibus applicatis primis, nõ est præcise ab vnitate proportionis reperta in fundamentis, sed est ab intellectu concurrente ad causalitatem secundarum intẽtionum; qui sicut dat esse, ita illis dat hanc Vnitatem Vniuocationis, vel Proportionis.

9 Obijcit etiam Scotus aduersus se ipsum aliqua, quæ breuiter diluemus. Omne accidens definitur per substantiam, ex 2. *metaph. t.* 4. at nihil ponitur hic ad substantiam pertinens: ergo Genus non definitur.

Respondet primo. Veram esse Maiorem de accidentibus copulatis, quę determinant sibi subiectum peculiare extra quod esse non possunt: vt lipitudo oculos; gibositas dorsum sibi vendicant, ac per consequens per hæc subiecta definiuntur. Intentiones autem nõ præcise res alicuius generis sibi determinant; ęque enim colori, animali, figuræ, ac cœteris rebus diuersorum generum, vel prædicamentorum applicatur ratio generis. Respondet Secundo. Veram esse Maiorem de accidentibus à subiectis causatis; sicuti enim illa habẽt quidquid à subiectis, ita per illa definiuntur. Intentio autem secunda non est à fundamento, tanquam à Causa efficiente; sed quoquo modo est ab Intellectu, licet hic occasionem capiat applicandi intentiones secundas à fundamentis ex proprietate in illis reperta.

Dicit Tertio. Accidens definiri per substantiam, definitione quietatiua, nõ quidditatiua. Ita 7. Metaph. *q.* 1. Communiter Scotistæ ex Doctrina Doctoris Subtilis.

10 Obijcitur Secundò. Concretum non definitur ex Aristotele, 7. *metaph. t.* 2. Tale est Genus: ergo non definitur. Sed dicendum est. Concretum pro aggregato, quod est ens per accidens: vt

homo

homo albus, non definitur: Concretum autem formaliter ſumptum, ſicut habet vnam conceptibilitatem, ita habet vnum Quid, & Definitionem.

11 Dices, Concretum non eſt in Genere ex 3. *topicorum cap.* 1. ergo non definitur. Dicendum eſt ad antecedens, quod Concretum non eſt in genere Moris: eſt tamen in Genere Logico: illud autem dicitur in genere Moris eſſe, quando ſubiectum eſt tale moraliter: vt per Prudentiam, Iuſtitiam, Temperantiam Homo eſt prudens, iuſtus, temperatus: at iuſtum quod eſt Concretum, non eſt Quo aliquod eſt tale, ſed habet rationem Quod. Quod vt clarius dicam. Abſtracta Virtutum Moralium ſunt in Genere Moris, non Concreta. Vtrumque tamen eſt in Genere Logico. Vel dicendum, quod Concretum non eſt in Genere per ſe, eſt tamen reductiuè.

12 Obijcitur etiam. Definitio datur per priora: at ſpecies poſita in definitione Generis non eſt prior: ergo Genus non definitur. Dicendum ad Maiorem. Verũ eſſe de Definitione abſoluti, non relatiui, in qua neceſſario ponitur relatiuum: non tamen vt Notius, aut Prius, ſine quo definitum cognoſci non poteſt. Proprium enim relatiuorum eſt, vt vno cognito cognoſcatur & reliquum, & è contra, vno ignoto, alterum etiam ignoretur.

13 Arguitur Vltimo. Vel Definitur Genus vt intentio, vel vt applicabile rei: non primo modo, ſiquidem eſt opus metaphiſicum ex Scoto *q.* 14. Vniuerſalium: & ex ratione: quia Metaphiſicus conſiderat quodlibet Ens in quantum Ens: ergo & intentionem vt intentio: tenet ſequela. Idem enim eſt intentio vt intentio, & intentio vt Ens: vt idem eſt homo vt homo, & homo vt ens. Non ſecundo modo, quia vt ſic eſt ens per accidens, de quo nec Scientia, nec Definitio.

Reſpõdeo. Priora illa duo membra argumenti non eſſe oppoſita; nam intentio vt intentio poteſt eſſe applicabilis rei: ſicut albedo vt albedo poteſt ſubiecto inhærere: Vnde cõcedimus, Genus definiri vt intentio, ideſt ſub ratione formali intentionis, & vt applicabile rei, & fundamento, de quo dicitur. Ad obiectionem verò contra primum membrum: dico primo falſum eſſe, quod Metaphiſicus conſideret intentionem vt intentio eſt: nam eius munus non eſt conſiderare de omnibus entibus in ſpecie: ſed in quantum participant rationem ſui ſubiecti, quod eſt ens reale, & per conſequens quidditates in Vniuerſali conſiderat. Ad id quod obijcitur. Conſiderat intentionem in quantum ens: ergo & intentionem vt intentio. Primo falſum eſt antecedens: non enim intentio eſt ens reale, & conſequenter. Nõ eſt à Metaphiſico conſiderata, quandoquidem non participat rationem ſui ſubiecti. Deinde admiſſo antecedente, negatur Conſequentia, ſi (in quantum) ſe habet reduplicatiuè, licèt ſit vera, ſi (in quantum) ſe tenet ſpecificatiuè: nam non eſt idem dicere. Homo in quantum ens eſt intelligibilis, & homo in quantum rationalis eſt intelligibilis: nam prior; ſignificat rationem formalem intelligibilitatis eſſe Ens, vel ex eo quod homo eſt ens. In ſecundo ſignificatur, rationem formalem eſſe rationalitatem, cum tamen ea, quæ non ſunt rationalia, ſint etiam intelligibilia. Nec eſt idem dicere. Homo in quantum ens diſcurrit, & homo in quantum homo diſcurrit;; nã reduplicatiuè ſumpta eſt falſa prior: poſterior vera. Et ſi ſumatur ly in quãtũ ſpecificatiuè; Antecedens, & Conſequentia ſunt vera, & eſt ſenſus. Homo qui eſt ens diſcurrit, & Homo qui eſt rationalis diſcurrit. Formaliter ergo, neganda eſt Conſequentia. Conſideratur à Metaphiſico intentio vt ens: ergo & intentio vt intentio.

Reſpondeo ſecundò, quodlibet à Meta-

metaphisico consideretur intentio, vt Ens, & vt intentio, eius esset consideratio in abstracto, non in concreto, quomodo cōsideratur à logico, & hoc vult Scotus, cum inquit, in hoc loco. Intentio forte, vt quid est habet definiri à Metaphisico. Postremo concedimus, alterum membrum diuisionis, quod Genus consideratur, vt applicabile rei. Cum

14 Obijcit, quod est ens per accidens. Dico quod ens per accidens propriè sumitur pro eo quod cōgregat diuersas naturas, quarum vna non cadit in intellectum alterius, nec totius vt pars: quomodo Genus in concreto sumptum, velut applicabile rei, non aggregat fundamentum, quamuis supponat pro illo, in quantum terminat respectum. Hunc accidentia intentionalia habent ad fundamentum, quomodo accidens definitur in ordine ad substantiam, & in depēdentia ad eam. Nec est ens per accidens: vt aggregatum ex duabus naturis. Formaliter ergo, negandum est antecedens, quo dicitur. Genus vt applicabile rei est ens per accidens; verè enim Genus, vt aliæ secundæ intentiones: & accidentia etiam realia concreta: vt album, habent vnum conceptum, & vnum Quid; ratione cuius possunt definiri; qua vnitate conceptus caret ens per accidens.

DISCEPTATIO II.

Vtrum Supradicta Generis Definitio sit rectè tradita?

COmmunis Consensus est omnium Expositorum, hanc definitionē, vel vt alij malunt, descriptionem, esse rectè traditam: tum quia Aristotelis est; ex quo primo Topicorum, *cap.*4. desumpta est huiusmodi Ratio; tum quia Porphirij auctoritas vrget: sed ratione breuiter ex Scoto desumpta probatur, exponendo sequentem Assertionem.

15 Assertio. Deffinitio Generis superius recensita est rectè tradita. Ita Scotus in hoc loco Prob. Nam in ea ponitur Genus Proximum, & ea, quibus à cęteris speciebus Vniuersalium differt: ergo est bona Definitio. Consequentia claret. Antecedens. Prob. Quia Prædicari de aliquibus tenet locum Vniuersalis; quod est Genus ad Quinque prædicabilia: ponitur enim Definitio Vniuersalis pro ipso Vniuersali. Hoc autem diuiditur, tanquam indifferentias per se, in prædicari de pluribus differentibus specie, & de pluribus differentibus numero; sed differentia diuidens Genus constituit speciem per se; & Genus non constituitur per prædicari de pluribus differentibus numero tanquam per differentiā propriam: ergo constituitur per prædicari de pluribus differentibus specie.

16 Nec hic obstat, quod ad prædicari de pluribus differentibus specie, sequatur prædicari de pluribus differentibus numero ex Aristotele primo metaph. *t.*12. ergo non videtur differentia opposita, ita vt per prædicari de pluribus differentibus, specie distinguatur Genus à specie. Nam dicendum est; quod species prædicatur de pluribus differentibus numero tantum, quomodo non prædicatur Genus. Deinde dicendum, speciem prædicari de pluribus differentibus numero immediatè; genus verò non immediate, sed mediante specie, & sic prædicari de pluribus differentibus specie distinguit Genus à specie, & à Proprio.

17 Distinguitur etiam Genus ab alijs prædicabilibus, per hoc quod prędicatur in Quid; nam Vniuersale, tanquam per proprios prędicandi modos, descendit in suas species per Quid, & per Quale; sed Genus non prædicatur in Quale: ergo in Quid, & per consequens per hanc prædicationem di-

ſtinguitur à differentia, & accidente, quæ prædicantur in Quale. Eſt autem prædicari in Quid per eſſentiam, per modum eſſentiæ; prædicari autem in Quale eſt prædicari eſſentiam per modum informantis, & qualificantis. Explico. In omni genere tum eſſentiali, tum accidentali, aliquid ſe habet, vt Quid: Aliquid vt Quale; illud reſpicit partem materialem, cuius proprie eſt ſubſtare accidentibus, vel formæ ſubſtantiali, ita vt pars materialis, & Genus ab ea deſumptum, dicat duo. Vnum quod ſit de intrinſeca ratione eius, cuius eſt; alterum vt ſe habeat per modum ſubſtantis. Illud ergo prædicatur in Quid, quod eſt prędicatum eſſentiale alterius, ſignificans rem per modum ſubſtantis; & hoc modo etiam accidēs de accidente poteſt prædicari per Modum Quid: vt color de albedine; nam in ea vt potè compoſita ſunt duæ partes, materialis ſcilicet, & formalis; ex illa deſſumitur Genus, quod prædicatur, vt prædicatum ſubſtantiale, & per modum ſubſtantis formæ de ſua ſpecie. Prædicari autem in Quale eſt dici per Modum Qualificantis, non ſumitur talis prædicatio à forma, quæ ſemper dat eſſe Quale ſubiecto. Poteſt autem dupliciter dare eſſe Quale, vel ſubſtantiale, & eſſentiale, ita vt ſine illo ſubiectum eſſe nequeat; vel accidentale, vt ſine illo ſubiectum eſſe poſſit. Primum dicitur Quale Quid; quale (inquam) quia habet rationem informantis. Quid vero, quia habet prędicari quidditatiuum, & eſſentiale. Secundum vero dicitur Quale ſimpliciter. Et ita differentia eſſentialis dicitur prædicari in Quale Quid, quia ſumitur à forma v. g. à rationali metaphiſicè, & ab Anima phyſicè, quæ dat eſſe Quale: nam Petenti Qualis eſt homo, reſpondetur Rationalis, vel animatus. Dicitur autē Quales Quid; quia eſt de eſſentia hominis conſtituti: ſecus autem eſt de differentia accidentali; nam ſimpliciter dicitur prædicari in Quale, quia ſumitur à forma, vt potè ab albedine, quæ dat eſſe ſubiecto, non tamen eſt de intrinſeca ratione illius.

18 Nec obſtat, quod Eſſentia omnium rerum, quibus ratio generis applicatur, non ſit Vniuoca, & hac ratione, neque predicari in Quid ſit illis Vniuocum. Sciendum eſt enim, quod omnes res, quibus ratio Generis applicatur, habent vnitatem proportionis, ratione cuius poteſt illis vniuoce applicari prædicari in Quid, & per conſequens prædicari eſſentiam per modum eſſentiæ.

19 Aduerſus ea quæ dicta ſunt obijcit Scotus in *q.* 17. Vniuerſalium. Hæc particula differentibus ſpecie non diſtinguit Genus à Proprio: ergo fructa ponitur. Tenet ſequela; per hanc enim à Specie, & à Proprio inquit Porphirius, diſtingui Genus. Prob. Antecedens, Quia Genera intermedia habent Propria: vt Numerus, Figura, Triangulus; imo, & Ens, & Genus generaliſſimum; & iſta prædicantur de pluribus differentibus ſpecie: ergo & Propria: cum ſubiectum, & proprium ſint conuertibilia, & ęque amplum vnum, ac alterum: ergo &c

Reſpondeo. Quod nullius eſt Proprium in quantum Genus eſt, ſed in quantum ſpecies eſt. Ratio autē huius eſt: quia Proprium eſt illius, cui conuenit eſſe ſubiectum in demonſtratione: nam de illo oſtenditur paſſio per definitionem: ſed ſubiectum in demonſtratione eſt ſpecies: quia de illo præſupponitur: Quid eſt, & Quia eſt, ex 1. *Poſt.* Quid eſt autem eſt ſpeciei 7. Metaph. *t.* 13. *& 6. topicorum.* Quare ſolius ſpeciei eſt Propriū. Ad id, quod obijcitur de numero, & Figura, quod habent Propria. Dicendum quod conuenit illis Proprium nō ea ratione qua genera ſunt, & cōtinēt ſub ſe differētia ſpecie, ſed vt ſpecies ſunt, à quibus extraneatur ratio Proprij, vt genera sūt.

Pro

Pro quo notanda est Regula illa Scoti 4.*d*.8. *q*.2. Quod Vnum quodque Cōmune prius dicitur de suo Indiuiduo, quam diuidatur in alia alterius denominationis. Et tunc induit rationem Speciei, & sic illi conuenit Proprium. Vel dicas, quod duplex est Proprium, vel speciei specialissimę, vel subalternę; ab illa distinguitur Genus per vtramq; particulam; quia scilicet, prædicatur de pluribus differētibus specie in Quid: quorum vtroque caret Proprium speciei specialissimæ; sed à Proprio Generis, vel speciei subalternæ distinguitur per alteram particulam tantum, quæ est, prædicari in Quid. Porphirius autem loquitur de Proprio speciei specialissimæ enumerando vnam tantum Causā differentię, quę erat potior, nempe, differre specie Genus ab eo. Altera differentiæ ratione prætermissa.

20 Arguitur secundo. Si prædicari de pluribus differentibus specie rectè ponitur in definitione quidditatiua Generis: ergo per se inest definito: ergo differentia specie per se subijciuntur Generi: hoc autem est falsum: ergo & primum. Antecedens probatur. In primo modo dicendi per se dicuntur singulę partes definitionis de definito; sed prædicari de pluribus differentibus specie est pars definitionis quidditatiuæ Generis: ergo per se dicitur de Genere. Probatur Consequentia. Vnum relatiuum per se dicitur ad suum Correlatiuum per se, & correlatiuum dicitur ad relatiuum: vt duplum per se refertur ad dimidium, dimidium per se ad duplum; sed prædicari, & subijci sunt relatiua, & Genus prædicatur per se de differentibus specie: ergo differentia specie per se subijciuntur Generi. Probatur autem falsitas, quia subiecta Generis sunt intentiones tantum, sicut & Genus est intentio: sed istæ differunt tantum per materiam, cui applicantur: ergo numeraliter. Differentia enim materialis est numeralis.

Respondet Scotus Triplici responsione. Primo. Explicando antecedens, quo dicitur, Genus prædicari de pluribus differentibus specie, hoc est, speciebus differentibus, quæ tamen non specie, sed numero differunt, sicuti simile habetur 2.*d*.2.*q*.2. cum ait. Differentiam formarum non esse semper formalem, sic è contra. Formalis differentia est differentià formarum. Vnde duæ albedines, vel duo Angeli eiusdem speciei, & duæ animæ rationales, vt formę differunt, non tamen formaliter; quare tantum numericè distinguuntur; ita hic. Fundamentis distinctis specificè, vt Homini, Leoni, Capræ applicantur intentiones distinctæ, quæ sunt aliæ, & aliæ species, nec tamen istæ intentiones, quæ specie distinguuntur sunt distinctæ specie, sed numero tantum.

21 Respondet secundo. Negando secundam Consequentiam. Ratio autem est, quoniam ly per se in antecedenti primæ Consequentiæ ad aliud comparatur, ac in consequente. Nam cum dicitur. Per se inest definitio prædicari de pluribus differentibus specie, ly per se determinat inhærentiam generis ad differentia specie: in consequente vero, cum infertur: ergo differentia specie per se subijciuntur Generi; ly per se determinat differentiam inhærentem ad Genus: & per consequens ad aliud comparatur Per se in antecedente, & in consequente. Propter Quod consequentia non tenet; sicut à simili. Scientia per se refertur ad scibile, & mensuratum ad mensuram: ergo per se scibile ad scientiam, & mensura ad mensuratum refertur: hic sequela non tenet. Siquidem scientia, & mensuratum realiter referuntur, & per se ab illis dependent; non tamen è conuerso.

22 Respondet Tertio. Concedendo primam Consequentiam, & secundam, & distinguendo consequens vltimum,

mum, in quo dicitur, quod differentia ſpecie per ſe ſubijciuntur Generi : vel enim intelligitur, quod differentia ſpecie, hoc eſt ſpecificè diſtincta per ſe Generi ſubijciuntur : loquendo de intentionibus ; & hoc eſt falſum : vel quod differentia ſpecie, ideſt hoc, & illud differens ſpecie numeraliter, quæ habent differentia ſpecie, ideſt, de quibus differens ſpecie prædicatur, ſubijciatur Generi, & ſic Concedit hoc conſequens. Ad cuius explicationem dico, quod ſuper fundamenta realia : vt bouem, leonem, capram fundatur hæc ſecunda intentio, differens ſpecie in quolibet illorum : ita vt verum ſit, hoc fundamentum eſt differens ſpecie, & hoc fundamentum eſt differẽs ſpecie, & ſic de alijs, de quibus omnibus ſimul iunctis prædicatur in plurali differentia ſpecie : ſicut hic homo, & hic homo ſunt homines, ſed tales intentiones, vt hoc differens ſpecie, & hoc differens ſpecie non ſpecificè diſtinguuntur, ſed ſolum numero. Et tunc cũ dicitur, Differens ſpecie, & differens ſpecie, accipitur vtrobique vt Quid ; quia illud differens ſpecie in Communi includitur Quidditatiuè in hoc differente ſpecie, quod eſt indiuiduum, ſicut homo in hoc homine : non tamẽ differens ſpecie in hac propoſitione accipitur, vt Modus, hoc differre ſpecie, & hoc differre ſpecie, non intelliguntur vt ſpecificè diſtincta, ſed numeraliter tantum.

23 Arguitur Tertio. Prædicari in Quid non diſtinguit Genus à differentia : ergo male ponitur. Sequela tenet. Antecedens prob. Differentia enim Superior prædicatur de inferiori per ſe primo modo. ex 7. metap. *t*.43. vt pedalitas de fixione pedis, & ſenſibile de rationali ; non prædicatur autem, vt differentia, quia ſic diceretur in Quale, cum dicatur in Quid ; nam Quærenti Quid eſt Rationale?

Reſpondetur. Eſt ſenſibile. Et probatur etiam, quod non prædicetur, vt differentia ; quia tunc ſuperius deſcenderet in inferius per ſe ipſum, & non per contractiuum ; ſed nullum ſuperius deſcendit in inferius ſine contrahente : ergo differentia Superior dicitur de inferiori, tanquam Genus contractum per aliquam differentiam.

Reſpondeo ex Scoto 7. metaph. *q*.8. negando antecedens, cum probatur, dicimus falſum eſſe, quod ſuperior differentia prædicetur in Quid formaliter de inferiori ; ſed tantum denominatiuè, eo etiam modo quo Ens dicitur de differentijs indiuidualibus ; & hoc propter nonnullas rationes. Tum quia eſſet proceſſus in infinitum in differentijs : tum quia, differentia eſſet ſpecies. Tum tandem, eſſet nugatio in definitionibus, ſi poneretur differentia ſuperior, & inferior, quæ omnia cum ad metaphiſicam potius, quam ad logicam pertineant illuc vberius ſunt declaranda. Ad Ariſtotelem dicendum, quod inferior differentia per ſe diuidit ſuperiorem, non tamen recipit prædicationem illius : nam Fixio pedis eſt, differentia per ſe pedalitatis : non tamen hæc eſt prædicatio formalis : Fixio pedis eſt pedalitas, vt de ſe patet.

24 Arguitur Quarto. Non diſtinguitur Genus ab accidente per prædicari in Quid : ergo non rectè ponitur. Sequela tenet. Antecedens probatur, quia accidens vt color prædicatur in Quid de albedine : in omni enim Genere eſt reperire Quid ex 1. Topicor. *c*. 7. ergo &c.

Reſpondeo. Negando antecedens ad probationem dico, quod accidens comparatur ad ſubiectum, cui adhæret, vel inhæret : vel ad inferius ; hoc modo dicitur in Quid, & poteſt eſſe fundamentum Generis : vt Color reſpectu albedinis, & nigredinis ; primo modo non habet rationem Generis, ſed accidentis reſpectu ſubiecti, cui inhæret, nec dicitur in Quid, ſed prædicatur in Quale.

Argui-

25 Arguitur Quinto. Animal non prædicatur de homine prædicatione exercita: ergo Genus non prædicatur de specie. Prob. Antecedens. Pars non prædicatur de toto 4. topicorum, c.2. Nec materia prædicatur de illo cuius est Materia; quia materia est ens in potentia, compositum est ens in actu; Genus est pars speciei ex Aristotele 5. metaph. c. 3. Quod licet neget in 4. topicorum, intelligit tamen non esse partem integralem, sed partem essentialem, vt quintò metaph. affirmat; & Genus est materia: nam per Porphirium cap. de Genere. Genus est principium speciei, non formale, quia non distinguit vltimate; non efficiens, quia non facit compositum esse in actu, nam hæc est forma intrinsecè, extrinsece efficiens. Nec est finis: quia propter ipsum non est species, nec etiam habet rationem optimi, quod pertinet ad finem: ergo Genus est principium materiale.

Respondeo. Quod pars, & materia intellectæ per modum partis non prædicatur de toto; sed intellectæ per modum totius possunt prædicari: vt patet exemplo; licet homo non sit manus, nec caput, est tamen manicatus, & capitatus, nam manus, & caput important partem per modum partis, & manicatus, & capitatus important partem consignificando totum; Vnde manicatus idem est, atque habens manum.

26 Et si instes. Concretum est denominatiuum tantum, at Genus per modum totius prædicatur in Concreto de specie: ergo prædicatur denominatiuè. Prob. Mai: Denominatiua dicuntur quæcumque ab aliquo solo casu differunt: at ita sunt omnia Concreta respectu abstractorum: ergo sũt denominatiua. Falsum est autem quod Genus denominatiuè dicatur, si quidem dicitur Vniuocè.

Respondeo ad Mai. duplex esse Cõcretum: vnum substantiale, quod dicitur concernere suppositum: alterum accidentale quod concernit subiectum alterius naturæ à forma: de secundo, vera est propositio hæc. Omne concretum est denominatiuum: & de eodem verificatur, quod significat formam inhærentem subiecto, & hoc dicitur differre solo Casu, idest sola inclinatione formæ ad subiectum respectu abstracti; vt album respectu albedinis. De primo autem Concreto negantur omnes istę Conditiones, & propositiones: & hoc est illud Concretum quod differt inclinatione formæ ad suppositum: vt Animal dicitur Concretum substantiale, quod Conuenit Homini, tanquam supposito, quæ inclinatio formæ (sic enim appellatur à Scoto) non est animalitatis ad hominem. Quod si dicatur. Sicut animal significat naturam hominis in Concreto, sic lignum materiam arcæ in Concreto, at hæc est falsa. Arca est lignum: ergo hæc est falsa. Homo est Animal. Prob. Mai. Sicut animal est Concretum respectu animalitatis, ita lignum respectu ligneitatis.

Respondeo ad Mai. Negando illam. Nam Concretum ligni respectu Arcæ, est ligneum, & sic vera est hæc. Arca est lignea. Ad prob. Dico, quod animal est Concretum ad suppositum respectu Hominis, nam Homo est quid inferius ad ipsum sic, & lignum est Concretum respectu ligneitatis, & dicitur de hoc, & illo ligno, tanquam de suppositis eiusdem rationis. Arca vero non habet rationem suppositi respectu ligni: quia ipsa dicit aliquod accidentale: lignum verò aliquod substantiale, & per consequens sunt alterius rationis, quod est extraneum à Concreto, quod Concernit suppositum; nam sunt eiusdem rationis, ac prædicamenti; vt animal, & Homo, illud Concretum, hoc suppositum, dicitur.

Argui-

27 Arguitur Sextò. Vel Animal quod prædicatur de Homine, eſt idem Homini, vel eſt aliud. Si idem: ergo idem prædicatur de ſe ipſo: & non Genus de ſpecie, vel Commune de Inferiori. Si aliud: ergo non prædicatur de Homine, dicendo. Homo eſt Animal.

Reſpondeo. Neutrum eſſe admittendum ſimpliciter, neque ſcilicet, quod animal prędicetur de Homine, vt omnino idem, nec vt omnino diuerſum ſimpliciter, ſed prædicatur vt indifferens ad idem Homini, & ad aliud ab homine: Verificatur tamen pro animali, quod eſt idem Homini. Explico. Indifferens non dicit diuerſitatem, ſed communicabilitatem multis indiſtinctè, vel indeterminatè; & hoc quia quolibet Superius habet minorē Vnitatem, quam inferius, eaque vnitas ab inferiori Vnitate eſt diſtincta, nec ſuperius includit quidditatiuè aliquod inferius, ſed ſolum prædicata ſua eſſentialia: vt animal ex ſui natura, vt dicit entitatem minorem vnitate ſpecifica, indifferens eſt ad Hominem, aliaſque ſpecies, nec aliquam illarum quidditatiuè includit. Cum vero contrahitur per differentiam ſpecificam, tunc pro eo verificatur, cuius eſt differentia ſpecifica. Et ita animal, cum de Homine dicitur, ex ſui natura ſtat indeterminatè, & indifferens eſt, ſed contractum per differentiam ſpecificam hominis, de Homine verificatur.

28 Sed dices. Vel prędicatur vt indifferens, vel vt idem Homini. non vt indifferens: quia illud animal prædicatur de Homine, quod eſt in Homine; ſed animal quod eſt in Homine, non eſt indifferens: ergo non prædicatur, vt indifferens; ſi prædicatur vt idem; ergo, idem de ſe ipſo prædicatur.

Reſpondeo. Quod in prædicatione, ſicut & in qualibet re duo ſpectantur. Res, & Conditio. Cum animal dicitur de Homine; illud eſt Res indifferens: conditio autem ſub qua verificatur eſt, idem Homini: Itaque non repugnat aliquod eſſe indifferens, & idem alicui; indifferens in quantum eſt animal ſecundum rationem ſuam quidditatiuam, quia non includit aliquod inferius; eſt idem autem homini, de quo dicitur, provt eſt contractum à differentia ſpecifica.

Si inſtes: ergo non eſt indifferens. Negatur conſequentia: nam indifferens reſpicit animal ſecundũ ſe.i.ſecundum rationem ſuam quidditatiuam, & ſecundum ea prædicatur de Homine, quamuis vt contractum. Breuiter ergo.Si Animal ex ſe conſideretur, indifferens eſt; ſi contractum, eſt idem illi, à cuius differentia contrahitur. Nec repugnat. Quod idem ſit indifferens, & idem, vt dictum eſt.

Quod ſi inſtes. Animal prædicatur de Homine: vt indifferens eſt ad multa: ergo quodlibet illorum ad quod animal eſt indifferens, poterit de Homine prædicari.

Reſpondet Scotus, negando conſequentiam: Nam indifferentia Animalis non eſt per modum copulationis, ſed diſiunctionis: cum autem aliquid diſiunctiuè ſe habet ad multa, non ſequitur aliquid illorum. Vt ſi dicas Homo currit: ergo Sortes currit. Imo eſt fallacia conſequentis: licet indifferentia copulatiua teneat; vt omnis homo currit: ergo hic homo currit. Animal ergo quod prædicatur de Homine, licet ſit indifferens ad Multa, ea tamen non copulatiuè, vel actu cōtinet, ſed diſiunctiuè, & in potentia, & ita non tenet, ſcilicet Homo eſt animal, quod Homo ſit equus, vel bos: quia ad iſtas duas ſpecies eſt indifferēs Animal: nam eſt indifferentia diſiunctiua.

29 Arguitur Septimo ex Ariſtotele *7.metaph. t.33.* Sicut ſe habet ratio ad

rem,

rem, sic partes rationis ad partes rei: ergo à Commutata proportione; sicut partes rei ad rem; ita partes rationis, idest definitionis ad rationem: sed partes rei non prædicantur de toto: ergo nec partes rationis de ipso definibili.

Respondeo. Quod similitudo Aristotelis solum intelligitur quo ad determinatam signationem; non quo ad prædicationem. Explico. Sicut partes rationis important determinatam partem rei deffinibilis: vt animal, & rationale sic se habent ad hominem vt illud præcisè, ac determinatè importet partem materialem, ita hoc partem formalem; eodem etiam modo partes rei determinatè important aliquid ipsius rei: vt Corpus respectu hominis importat partem materialem & anima partem formalem. In eo autem differunt, quod partes rei non important, nisi partem per modum partis, vnde de re prædicari non possunt; sicut Ferum, vel Aes de statua prædicari non potest; Partes autem rationis ita important partem, vt etiam consignificet totum; ita vt de toto prædicari possint; Animal enim licet importet partem materialem, consignificat tamen totum; est enim animal idem ac habens animam sensitiuam, similiter & rationale de homine prædicari potest, nam formam impottat per modum totius; non sic anima, quæ de homine in abstracto non vere prædicatur. Consule Scotum *q. 16. & 20.* Vniuersalium.

DISCEPTATIO III.

Vtrum Genus necessario requirat actu multas species?

30 PRæsens disceptatio potest habere multiplicem sensum; Vnus. Summendo Genus, & speciem pro intentionibus simpliciter, ita vt sit sensus. An posita vna specie possit poni Genus tanquam relatiuum, & de hoc non potest esse dubitatio: licet enim Vnum relatiuum habeat multa correlatiua: accidit tamen sibi refferri ad multa, sed sufficit vnum tantum correlatiuum: vt Pater, licet multos filios habeat, ad quos referatur, si tamen vnum solum haberet, adhuc vere esset Pater. Alter sensus potest esse, summendo Genus, & speciem simpliciter pro fundamentis, quorum vnum nempe Genus sit principium alterius, nimirum speciei, & tunc, neque potest esse dubium. An posita vna tantum specie, Genus sit principium illius materiale. Clarum est enim quod constitutum non potest esse sine suis principijs intrinsecis: & ita sunt species sicut sine differentia, ita sine genere esse nequeũt. Sensus igitur Quæstionis, vt à Scoto *q.18.* Vniuersalium, est. An si vnum solum fundamentum sit speciei. v. g. Homo; Num animali, quod est in Homine, possit applicari intentio Generis: sicut sine controuersia potest applicari hæc ratio Generis Animali communicabili, atque communicato Leoni, Capræ, &c. Nos autem quæstionem hanc non tam anguste, sicut Scotus considerabimus: sed tum quo ad esse reale Generis, ac speciei, tum quo ad esse logicum.

31 Not. ergo: aliam esse rationem aptitudinis, aliam potentiæ; prima est inclinatio alicuius secundum se in aliquod, quod ab eo cuius est realiter non distinguitur. Ex Scoto 4. *d.* 50. *q.*1. hæc vero consequitur necessario naturam, licèt de illius quidditate non sit; Potentia vero dicit ordinem ad actum, & distinguitur ab Aptitudine, tãquam aliquod ab ea distinctum, vna autem sine altera esse potest: siquidem in lapide ad locũ sursum est potentia, non aptitudo. Si enim esset aptitudo, tunc violenter esset in loco deorsum; quod enim determinatè inclinatur ad vnum oppo-

oppoſitum, violenter eſt ſub alio: vt aqua ſub calore Scotus. 1.*d*.1. *q*.1. Aptitudo autem eſt. Sine porentia in cęco, qui eſt aptus natus habere viſum, ex eo enim dicitur Priuatus; nec tamen poteſt videre, ſi comparetur potentia ad Agens naturale, de quo dicitur. A priuatione ad habitum, non eſſe regreſſum. ex Philoſopho.

32 Rurſus Not. Quod aliquid eſt de intrinſeca ratione alicuius, aliquid vero conſequēs neceſſario intrinſecam rationem alicuius: primo ſunt principia intrinſeca; ſecundo ſunt paſſiones, vel aptitudines. In Genere, principia illius intrinſeca ſunt de Conſtitutione, & quidditate illius, ſine quibus eſſe nequit; inclinatio autem vel aptitudo conſequitur naturam eius, & ſi propter identitatem realem, quam habet cum illa, ſine ea eſſe non poſſit, non tamen inde probatur, pertinere ad eſſentiam eius: ſicuti quamuis deſtructa riſibilitate, conſequens ſit deſtrui Hominem ob identitatem realem: non inde arguitur riſibilitatem eſſe de intrinſeca ratione Hominis; tum quia eſt humanitate poſterior: tū quia eſt relatio aptitudinalis; nulla autem relatio conſtitutiua abſolui. Tertio licet ſine aptitudine, ac inclinatione eſſe non poſſit res, cuius eſt, ob realem identitatem: tamen ſine termino aptitudinis eſſe poteſt: vt lapis carere non poteſt inclinatione ad locum deorſum, at ſine tali loco ſæpe eſſe poteſt, & hoc quia terminus aptitudinis ab eo cuius eſt, & ab aptitudine ipſa diſtinguitur. His poſitis ſit.

33 Aſſertio Prima. Non implicat, ex multis ſpeciebus, quæ poſſunt eſſe ſub Genere, vnicam tantum, reliquis deſtructis, exiſtere. Hoc licet, non cōcederet Ariſtoteles, qui de perfectione Vniuerſi putat eſſe omnes, & ſingulas eius ſpecies; ita vt vna dempta, Vniuerſum ſit imperfectum, vt propterea ſæpè conceſſerit, Genus neceſſario requirere multas ſpecies. Prob. tamen. Poſſet Deus reliqua omnia deſtruere, Homine ſolo conſeruato, quod fiet poſt Vniuerſalem Reſurrectionem: ergo, poſſibile eſt vnicam tantum ſpeciem exiſtere ſub Genere. Tenet ſequela. Quoniam potentia Dei non eſt reſpectu eius, quod implicat contradictionem. Prob. Etiam. Si non poſſet eſſe vna tantum ſpecies ſub vno Genere: hoc ideo eſſet, quia natura Generis, quo ad ſuam perfectionem eſſentialem in vnica ſpecie conſeruari non poteſt; Hoc autem eſt falſum; quia Quidditas Generis, tāquā in forma indiuiſibili eſſentialiter Cōſiſtit. At hæc vbi eſt, tota eſt: ergo natura Generis tota quo ad perfectionem eſt in vnica ſpecie. Et hoc eſt quod aſſerit Scotus *q*. 16. Vniuerſalium. Cum quærebat. An tota ratio Animalitatis eſſet in Homine? Vbi reſpondet, totam eſſe, non quoad eſſentiam pręciſam, ſed ſic totam quo ad perfectionem. Definitio enim totius per Ariſtotelem 3. phyſ.*t*.63. Eſt totum extra quod nihil eſt, ideſt, vt explicat Scot. cui nihil deeſt requiſitum ad ipſum: ſicut naturæ animalis nihil deeſt in Homine. Prob. Etiam, quia ſi detur oppoſitum, vel hoc eſſet, quia natura Generis perfectior reperitur in vna ſpecie, quam in alia, vel quia ipſa ſpecies aliquam perfectionem daret Generi; at neutrum eſt dicendum; non primo, quia natura Generis æque reperitur in omnibus ſpeciebus; alioquin Genus non eſſet vniuocum; & quod dicitur, in Genere latent æquiuocationes, verum eſt. quod vna ſpecies eſt perfectior altera, ac proinde dicitur in genere latere æquiuocationes: at hæc perfectio maior in vna, quam in alia, non oritur ratione generis, ſed ratione differentiarum, quæ formaliter ſunt in ſpeciebus. Non ſecundum dici poteſt: quia ſpecies non eſt de eſſentia Generis: neque enim ani-

animal in sua ratione quidditatiua includit hominem; esset enim hæc prædicatio directa, & per se in primo modo dicēdi. Animal est Homo; ergo &c.

34 Assertio Secunda. Si Vna tantum species daretur, & implicaret dari aliam Genus non posset conseruari in illa. Prob. Quia talis natura careret potentialitate ad prædicandum de pluribus; quod autē caret propria passione, conseruari non potest: ergo Genus carens prædicabilitate, tanquam propria passione nō posset conseruari.

Nec satisfaciet, qui dixerit, Genus habere aptitudinem ad multas species, sed istæ esse nequeunt: vt forma solis nata est esse in alia materia; nec tamen alia materia nata est recipere talem formam: nam aptitudo est inclinatio ad aliquod; non ad impossibile, quia istud non habet rationem Entis: ergo ad possibile, & per consequens si in Genere est Aptitudo, vt communicari possit pluribus speciebus; istis etiam inerit aptitudo, vt possit recipere communicabilitatem illam. Confirmatur. Si in lapide esset aptitudo in locum deorsum, cur in hoc loco non est aptitudo ad recipiendum lapidem? Ad id vero, quod dicitur de forma Solis, dicendum simpliciter, quod si hæc sit communis, non repugnat etiam dari materiam susceptiuam eiusdem formæ. Et quamuis Scotus in hac eadem q. 10. Vniuersalium in solutione tertij argumenti contra primam positionem vtatur huiusmodi exemplo; nō tamen est ad mentem eius. Exempla enim damus, non quod ita sint. Sed vt daret modum sustinendi primam positionem, de qua mox dicemus. Cū tamen ipse 2. *d*. 2. In solutione vltimi, neget, secundum veram positionem theologicam, formam Solis constare ex omni materia actuali, & potentiali. Quare simpliciter fatendum est, Genus aptitudine terminata ad aliqua possibilia exigere multas species. Ex quo sensu explicantur multæ auctoritates Aristotelis, quarum meminit Scotus in ista q. in argumentis pro parte negatiua, quæ omnes intelliguntur de Aptitudine, quod Genus scilicet multas species exigat hoc modo.

35 Assertio Tertia. Potestas Generis, quæ est relatio aptitudinalis, & dicitur Communicabilitas, habens pro fundamento Genus, & speciem pro termino, non saluatur in vna specie tantum. Prob. Habens pro termino adæquato multa, non saluatur nisi sit in illis Multis; alioquin aliquod illorum Multorum esset terminus adęquatus; sed hæc potestas Generis, quæ est relatio aptitudinalis habet pro termino adæquato omnes species; æque enim est communicabile Genus vni, & alteri speciei: ergo non saluatur in vnica Specie.

Confirmatur. Sicut species continet Indiuidua in potentia, ita Genus continet Species, at species non habet omnes differentias numerales ex eo, quod est in vno Indiuiduo, ergo neque Genus habet omnes differentias specificas ex eo quod est in vna specie: nec potestas speciei in vno Indiuiduo, nec Generis in vna specie expletur. Tenet consequentia. Tunc enim potentia dicitur expleta, cum habet omnes actus ad quos se potest extendere. Nec tamen hoc dicimus pertinere ad Quidditatem, vel intrinsecam rationem Generis, vel speciei; nam vt diximus, Aptitudo hæc consequitur quidditatem Generis, ac speciei. ac per consequens, tanquam quid Posterius ab illius Quidditate excluditur.

36 Assertio Quarta. Quo ad rationem Generis logici requiritur, quod habeat multas species actu. Loquendo de Specie logica. Explico. Non potest perfectè intelligi Aptitudo aliqua, nisi intelligatur terminus illius aptitudinis: sed ad hoc, vt animal sit subie-

ctum huius secundæ intentionis, quæ est Genus, debet intelligi illius Communicabilitas, tanquam proprietas rei, à qua Intellectus mouetur ad efficiendas secundas intentiones, sed hęc Communicabilitas habet pro termino multa à quibus potest participari: ergo oportet etiam intelligere illa multa; sed Generi sic intellecto pro fundamento potest applicari ratio Generis logici: ergo illis multis, quæ intelliguntur, pro termino huius Communicabilitatis, potest applicari ratio speciei. Et hoc est, quod dicit Scotus, quod non requiruntur species, quæ existunt actu, vel potentia; sed quod tantum intelligatur per speciem intelligibilem conceptam ab indiuiduis, quæ aliquando existunt; ita quod & si destructis omnibus speciebus animalis, solus Homo superesset, adhuc Genus logicum haberet multas species actu: nam illis speciebus intelligibilibus, quæ remanserunt in intellectu, posset applicari ratio Speciei. Confirmatur. Sicut nulla existente Rosa in hieme, adhuc naturæ Rosę cognitæ potest applicari ratio Speciei, & huic Rosæ ratio Indiuidui: ita similiter destructis Speciebus in esse existentiæ, cum tamen possint habere esse Cognitum, potest illis applicari ratio Speciei.

Confirmat hoc Scotus q. 18. Impossibile est (inquit) esse aptum natum dici de pluribus, nisi illa ab intellectu per diuersas species possint apprehendi: sed si sic: possunt concipi: ergo plures species Generis, sunt in actu. Prob. Maior. alioquin intelligeretur Relatio aptitudinalis sine termino, quod est falsum. Dixi autem in maiori. Per diuersas species appræhendi illa plura, quibus natura Generis potest applicari, & communicari. Quia diuersarum naturarum specificè distinctarum non potest esse vna ratio repræsentandi ex Scoto 2. *d. 3. q. 9.* Probatur autem ratio huius secundi argumenti, quæ est. Si sic possunt concipi talia plura: ergo plures species Generis sunt in actu. Quare vt sit fundamentum secundę intentionis natura aliqua, non requiritur aliud, nisi vt per speciem intelligibilem concipiatur. Corroborat etiam, hoc argumento eamdem positionem. Si aliquid est aptum natum dici de pluribus differentibus specie: ergo plura differentia specie nata sunt recipere prædicationem illius, sed talis aptitudo sufficit vt sit Genus: ergo Consimilis aptitudo sufficit, vt illa plura sint Species. Patet sequela. Siquidem æquale esse sufficit vtrique corelatiuo. Genus, & Species sunt Corelatiua: ergo si posse Communicari, vel participari sufficit ad rationem Generis; posse etiam participare, sufficit ad rationem specierum.

37 Quæ aduersus dicta objiciuntur sunt plura, sed breuiter ad potiora, his enim solutis, facilè omnia diluuntur. Quod primo objicitur ex locis Aristotelis à Scoto citatis. Quæ ibi videri possunt: dicendum. Vel quod Aristoteles intelligit de aptitudine, non de actu, quod scilicet, fundamentum Generis requirat multas naturas specificas, idest, quod habeat aptitudinem ad illas; non quod actu habeat, eodem modo quo Porphirius debet intelligi, cum in definitione Generis posuit prędicari de pluribus speciebus, aptitudine, scilicet, non actu: Vel dicendum Aristotelem fuisse in ea opinione, quod nulla species possit adimi ab Vniuerso; tunc enim esset mancum, & Mutilum, cum omnes, & singulæ sint de perfectione Vniuersi. Cui tamen opinioni refragantur Theologi. Vel demum Tertiò. Et si non multas species exigat Genus: non tamen ad esse simpliciter, ita quod sit de eius quidditatè, vel quod sine illis omnibus conseruari non possit: sed solum quo ad esse Generis Vniuersaliter est natura Generis

per-

perfectior extensiuè in pluribus, quam in vnica Specie.

38 Obijciunt. Nulla potentia naturalis potest frustari: Genus habet potentiam naturalem ad plures species: ergo necessario requirit plures species. Respondeo duplicem esse potentiam; quamdam physicã, qua natura subiectiua ordinatur ad actum per aliquod positiuum; vt lapis ad Centrum. Quãdam logicam, quæ est illius, cuius termini non includunt contradictionem. Quomodo Mundus, & alia antequam fierent erant possibilia: prima potentia non potest frustari: de Secunda non est inconueniens, sicuti multa possunt fieri, quæ tamen nunquam fient. Vel dicendum, & melius, quod potentia naturalis in Genere ad multas species, sufficit, quod aliquando sit reducta ad actum, & ita cæteris speciebus deletis, vna tantum remanente, adhuc Genus in illa perfectè conseruaretur. Cum dicitur Genus habet potentiam essentialem ad existendum in multis speciebus: ergo non potest esse sine illis. Prob. Antecedens. Quoniam ex Genere, & differentia fit vnum per se. Tenet sequela; quia Creatum dependens essentialiter ad Deum sine illo esse non potest.

Respondeo admisso antecedente (disputationis Gratia,) falsam esse consequentiam: nam non magis genus habet potentiam essentialem ad differentias, & per consequens ad Species: quam Materia ad formam: sed hęc potest esse sine forma ex Scoto 2. *d.* 12. *q.* 2. Quod si hoc tanquam dubium ab alijs non acceptatur. Hoc tamen est verum, quod Anima habet potentiam essentialem ad informandum corpus, & tamen ab eo separatur. Ad probationem Consequentiæ dico, quod est dispar ratio, Creaturæ ad Deum, & Generis ad differentias; in illa siquidem est dependentia essentialis ad Deum, vt efficientem, & Conseruantem; in Genere autem non sic respectu differentiarum, atque specierum, vt de se patet.

39 Obijciunt adhuc. Si datur Vnum Contrarium in rerum natura, & reliquum ex 2. cęli *t.* 28. Genus diuiditur per differentias contrarias: ergo si datur vna species, debet dari, & altera.

Respondeo. Maiorem esse intelligẽdam de Cõtrarijs positiuis ad inuicem agentibus: vt de frigore, & calore: non sic de differentijs, quarum vna potius est priuatio alterius.

DISCEPTATIO IV.

Vtrum Speciei Definitiones Porphirianæ sint idoneę, & rectè assignatæ?

40 PORPHIRIANÆ vocitantur speciei definitiones, quia à Porphirio fuerunt traditæ, ipse enim bifariam speciem definiuit. Primo sic (loquendo de specie subijcibili) Species subijcibilis est, quæ subijcitur Generi. Secundò sic. Species subijcibilis est, de qua Genus in Quid prædicatur. Definit etiam speciem prædicabilem sic. Species prædicabilis est, quod prædicatur de pluribus differentibus numero in Quid. Pro igitur adæquata intelligentia harum omnium definitionum.

41 Aduertendum, speciem esse nomen, vel terminum analogicum, quatenus, scilicet, dicitur de pluribus secundum prius, & posterius. Aliquando enim significat pulchritudinem, & venustatem. Hinc Virgil. 4. Aeneid. Neque enim Specie, Famaque mouetur. Aliquando sumitur pro aspectu, & re ipsa. Sic Virgil. 2. Aeneid. Non tulit hanc speciem furiata mẽte Chorębus. Aliquando sumitur in plurali numero pro aromatibus. Ita Macrob. *lib. vlt. Saturnal.* Species, & acres, & calidæ, superficiem, cum apponuntur, exulcerant. At istis modis non sumi-

tur hic, sed vt consideratur à logico, scilicet quatenus prædicatur de pluribus differentibus numero in Quid. Et sic est duplex, scilicet Specialissima, & subalterna; prima est illa, quæ tam respectu Superiorum, quam inferiorum est species, sed cum hac diuersitate; quod respectu Superiorum est Species Prædicabilis, soletque vocitari Species infima. Secunda est illa, quæ respectu Superiorum est Species, & respectu Inferiorum est Genus. Exemplum primæ: vt Homo, qui est species specialissima, seù infima, quia tam respectu animalis, quã respectu Petri, Pauli, &c. est species. Respectu Animalis est species subijcibilis, & comparatione ad Petrum, Paulum, & cætera Indiuidua, est prædicabilis: Exemplum secundæ est Animal, quod respectu viuentis est species subalterna, & respectu Hominis, & Bruti est Genus. His notatis sit.

42 Assertio Prima. Supradictę Speciei Subijcibilis Definitiones sunt Idoneæ, rectèq; assignatæ. Ita Scotus *q.21.* Vniuersalium. Prob. Supradictæ definitiones adæquatè explicant naturam Speciei definitæ: ergo sunt idoneæ, rectæque assignatæ. Prob. Antecedens nam prima, hoc expressè significat, dum dicitur, est quæ subijcitur Generi. Et ex Secunda manifestè infertur, quod si de ea Genus prædicatur: ergo est subiectum, cum subiectum sit de quo aliud dicitur, nempæ Prædicatum. Nec iuuat arguere. Etiam Indiuiduum subijcitur Generi, & Genus in quid prædicatur de illo, & per consequens allata definitio non est idonea, cum alijs à definito competat. Non iuuat (inquam) nam Indiuiduum subijcitur Generi mediatè, sola autem Species immediatè, atque adeo soluatur definitio.

43 Dices. Homo est Species subijcibilis ne dum respectu animalis, sed etiã respectu Viuentis, & tamẽ non cõtinetur sub Viuente immediatè: ergo aliqua species potest subijci Generi mediatè: ergo non est de Conceptu speciei subijcibilis immediatè subijci Generi. Deinde Definitio Speciei adhuc sic intellecta competeret indiuiduis genericis, quæ immediatè sub Genere continentur: ergo, &c.

Resp. Quod Species subijcibilis non ità immediatè debet Genus respicere, vt non possit aliud Genus mediatè respicere, sed hoc pacto, quod id quod respicit immediatè sit Genus ipsius; cum autem animal, quod Homo immediatè respicit sit Genus respectu hominis, homo benè dicitur Species subijcibilis; Cum autem id, quod respicit immediatè indiuidua non sit Genus illorum, non potest diei, quod ipsis conueniat definitio Speciei subijcibilis. Ad aliud dicitur, quod nec etiam indiuiduis genericis competit definitio Speciei; nam estò subijciantur immediatè generi, genus tamen non se habet vt genus respectu illorum, sed vt species, atque adeo nihil contra Nos.

44 Ob. Secundo Species subijcibilis est aliquod Vniuersale; sed Vniuersale non benè definitur in ordine ad Superiora: ergo nec Species subijcibilis; sed in prędicta definitione definitur in ordine ad Superiora: ergo non bene definitur.

Resp. Quod Species subijcibilis est Vniuersale, non reduplicatiuè, sed specificatiuè, scilicet species subijcibilis est Vniuersale, non vt species subijcibilis est, sed vt species prædicabilis, eadem enim species est subijcibilis, & prædicabilis, non est tamen Vniuersale vt subijcibilis, sed vt prædicabilis. Vnde sit.

45 Assertio Secunda. Species Prædicabilis idoneæ definitur per hanc definitionem. Est quod prædicatur de pluribus differentibus numero in Quid. Prob. Omnis idonea definitio constat ex Genere, & differentia; at hæc est sic. Ly Prædicari de pluribus stat loco generis; ly differentibus numero loco dif-

fe-

ferentiæ, quia sic differt a genere. Per ly in Quid contradistinguitur à cæteris Vniuersalibus: ergo est recta, & idonea.

46 Instabis. Homo est Species; qui tamen prædicatur de differentibus specie; cum prædicatur de Masculo, & Fęmina specie differentibus, nam quæ differunt plusquam illa, quæ differunt numero, differunt specie, sed Masculus, & Fęmina plus differunt, quam duo masculi, vel duæ fęminæ: ergo masculus, & fęmina differunt specie, atque Homo prædicatur de differẽtib. specie; ergo species prædicatur de differentibus specie.

Resp. Negãdo antecedens, ad probationem, dicitur illa quæ differunt plusquam numero essentialiter differre specie; non vero si differant plusquam numero accidentaliter, sic differunt Masculus, & Fæmina.

47 Vrgebis. Potest fieri, vt duæ animæ rationales informarẽt diuersas specie materias, & sic constituerent homines specie diuersos essentialiter, ratione essentialis materię, & non tantum ratione differentiæ singularis differrent: ergo tunc Homo illis Communis prædicaretur de multis specie differentibus.

Resp. Quod facta illa Hypothesi, adhuc illi Homines numero, & non specie differrent; cum differentia essentialis, à forma, & non à materia sit expetenda. Vnde cũ formæ scilicet Animæ rationales differant numero tantum; constituta per ipsas differrent solo numero, non obstante diuersitate materierum.

48 Insurges. Si Deus conderet alium Mundum specie diuersum ab isto, etiã Contenta in tali mundo essent specie diuersa ab isto: ergo, & homines illius esent specie diuersi ab istis, & tunc homo prædicabitur de pluribus differentibus specie Hominibus.

Resp. Quod aliud est loqui de facto, & aliud de possibili. De facto enim est, Hominem prædicari specificè de pluribus differentibus numero: sed dato illo Casu. Homo non esset species, sed Genus, sicut Angelus, qui prædicatur de pluribus Angelis specie discriminantibus. Nec inde inferas: ergo saltem de Possibili. Species Humana erit prædicabilis de pluribus differentibus specie. Nam dato quod species humana sit species specialissima, vt supponitur, hoc est impossibile, prædicari de pluribus differentibus specie: sed data hypothesi, tunc acciperemus ipsam naturam humanam pro gradu generico, scilicet pro Creatura corporea in Gradu intellectiuo, & sic est possibile, nam sicut in gradu substantiæ incorporeæ dantur, & sunt dabiles plures Angeli specie distincti; sic etiam in gradu substantiæ corporeæ intellectiuæ dabiles sunt plures Homines specie diuersi; quorum quælibet species specialissima de pluribus tantum numero differentibus prædicabitur.

49 Subiunges. Homo non est potius infima species, seù specialissima, quam Brutum, sed sub Bruto variæ constituuntur species: ergo etiam sub Homine. Resp. negãdo consequentiam, & ratio disparitatis est: nam sicut vna est via, qua Athenis Thebas, & Thebis Athenas rectè itur, multiplexque, qua Thebis, Athenisq; diuertitur; sic vna est via, & ratio essentialis perueniendi ad rationem omnibus hominibus conuenientem; varia, autem, & multiplex est via à ratione recedendi omnibus debita Brutis. Qua propter licet dentur variæ Brutorum species à ratione recedentes, vna tantum datur species ratione prædita.

50 Si obijcias. Faunos, Satyros, & Incubos, esse homines specie distinctos ab alijs Hominibus. Resp. Petendo, an tales sint homines, nec ne? Si sic. Homines erunt tantum numero distincti, accidentario modo differentes ad speciem humanam pertinentes. Si Non:

ergo

ergo Bruta sub Animali Irrationali Contenta, numero, & specie differentia.

51 Ob Secundo principaliter. Datur species subalterna, seù Media quæ non tantum de pluribus differentibus numero, sed etiam specie prædicatur: ergo datur aliqua species, cui allata definitio haùd competit. Resp. hic non definiri Speciem communem ad subalternam, & specialissimam; sed definiri speciem specialissimam in Communi; cum vero nulla talis detur, quæ de pluribus numero differentibus non prædicetur; dicta definitio omni Speciei definitæ competit. Dices. Quando definitur Species subijcibilis, definitur species communis ad specialissimam, & subalternam: ergo etiam quando definitur Species prædicabilis definitur species Communis ad speciem subalternam, & specialissimam.

Respondeo. Negādo consequentiam. Ratio disparitatis consistit in hoc, quia subijcibilitas expressa in definitione speciei subijcibilis, tam speciei specialissimæ conuenit, quam subalternæ; inde definitur species vtriq; Communis. Prædicabilitas vero expressa in definitione speciei Prædicabilis speciei subalternæ non conuenit; inde tantum species specialissima definitur. Replicabis etiam Genus prædicatur de pluribus differentibus numero: ergo non tantum species. Resp. Genus prædicari de differentibus numero incompletè, & partem essentiæ. Species vero complete, & totam essentiam. Vt autem sciamus, per quid constituatur species in ratione Vniuersalis, vel propter subijcibilitatem, vel propter Prædicabilitatem. Sit.

52 Assertio Tertia. Species non constituitur in Esse Vniuersalis, quatenus subijcibilis est. Prob. In tantum species debet esse Vniuersale, in quantum participat rationem Vniuersalis in Communi; sed subijcibilitas non pertinet ad rationem Vniuersalis in Communi, imo à subijcibilitate abhorret, cum sit Summum Prædicabile: ergo species non constituitur in esse Vniuersalis per subijcibilitatem. Deinde foret implicantia in terminis dicere, Vniuersale, vel Prædicabile subijcibile, nam prædicabile non foret, nec Vniuersale, seu superius, si esset inferius, & subijcibile: ergo, &c. Hinc vera nostra expo- assertio.

53 Ob. Si species subijcibilis non esset Vniuersalis, sequitur quod Indiuiduum esset species subijcibilis, quod est perperā: prob. sequela. Per nihil aliud, Indiuiduum non est species subijcibilis, estò generi subijciatur, nisi quia non est Vniuersale: ergo si hoc non requiritur ad speciem subijcibilem, Indiuiduum esset species subijcibilis. Deinde species est species Vniuersalis in communi: quia sub Vniuersali in Communi continetur: quia est subijcibilis: ergo species vt subijcibilis præcisè est Vniuersalis.

Respondeo ad primum. Indiuiduū non esse speciem subijcibilem: non quia non sit Vniuersale; sed quia non subijcitur Generi immediatè: vt ad speciem subijcibilem requiritur. Ad secundum dicitur. Non ideo speciem esse speciem Vniuersalis, quia sub Vniuersali in Communi continetur; sed ideo continetur quia est species participans Vniuersale in Communi; Cum vero participatio Vniuersalis in Communi non sit per participare subijcibilitatē, sed prædicabilitatem; species vt prædicabilis (vt mox dicemus) erit Vniuersale, & non vt subijcibilis: vt probatum est.

54 Ob secundo Genus subalternum est Vniuersale; sed non constituitur per prædicabilitatem: ergo nec species infima per prædicabilitatem constituetur Vniuersale. Mai. liquet. Minor. prob. Genus subalternum non constituitur in ratione talis per prædicabilitatem de plu-

pluribus differentibus specie; quia talis prædicabilitas etiam Generi Generalissimo competit; nec potest aliquid constitui per id, quod alteri distincto competit. Non constituitur per prædicabilitatem de pluribus differentibus numero; quia hoc speciei infimæ competit: ergo per prædicabilitatem non constituitur. Deinde, Genus Generalissimum constituitur per negationem subijcibilitatis, ergo Genus subalternum per subijcibilitatem constituitur; nam opposita per opposita constitui debent.

Respondeo. Duo esse in Genere subalterno, scilicet, esse genus, & esse Subalternum. In ratione subalterni constituitur per subijcibilitatem, & sic non est Vniuersale: est quidem in ratione generis Vniuersale, sed in ratione generis per subijcibilitatem non constituitur. Eodem modo respondetur ad secundum. Nam genus generalissimum, & est genus, & generalissimum. In ratione generalissimi constituitur per negationem subijcibilitatis; in ratione vero generis per prædicabilitatem. Vnde sit.

Assertio Quarta. Species vt Prędicabilis constituitur in esse Vniuersale. Prob. Per id Species constituitur in esse Vniuersalis, per quod participat rationem Vniuersalis in Communi; sed ratio Vniuersalis in Communi est Prędicabilitas, vt patet ex sua deffinitione; ergo Species debet constitui secundum Vniuersale per Prædicabilitatem.

55 Ob. De ratione Speciei est constare ex Genere, & differentia: ergo implicat dare Speciem prædicabilem, quæ non sit subijcibilis. Antecedens. Prob. De ratione Speciei est esse ens completum, sed completum ex incompletis completur: ergo de ratione Speciei est ex incompletis compleri, sed incompleta complentia speciem non sunt nisi Genus, & Differentia: ergo de ratione Speciei est constare ex Genere, & differentia. Prima Consequentia patet. Nam id quod constat ex Genere subijcitur Generi.

Respondeo. Quod dato hoc casu, Species esset tãtum prædicabilis, quod tunc non esset distinctio inter Genus, & differentiam; non enim tunc magis late pateret Genus, quam differentia. Sicque Species, Genus & differentiam, haberet inclusa, non formaliter, sed Virtualiter.

56 Ob. Secundò. De Ratione infimi est subijci Superioribus; sed Species prædicabilis est infima; ergo de eius ratione est subijci superioribus: ergo de ratione speciei prædicabilis est subijcibilitas.

Respondeo. Verum esse, quod species prædicabilis est infima de facto; quia illud est infimum in aliquo ordine, quod habet alia supra se, & nihil sub se in illo ordine; nego tamen quod Species prædicabilis sit infima de possibili. Nam dato Casu, quod vna natura specifica tantum esset possibilis in rerum natura, tunc infima non esset: quia non essent possibiles aliæ species pręter illam: nec aliquod infimum est, quod superius non est; cum autem de ratione talis speciei non esset inferioritas: quia Genera sub se non haberet: nec de eius ratione esset infimitas.

DISCEPTATIO V.

Vtrum Definitiones Indiuidui à Porphirio assignatæ sint rectæ?

57 AGimus hic de Indiuiduo, non quia nostri sit instituti, sed quoniam correlatiuum est speciei, quæ cum prædicetur de pluribus Indiuiduis: Quid sit hoc Indiuiduum est videndum. Indiuiduum igitur à Porphirio biphariam definitur. Primo per terminos primæ intentionis sic. Indi-

uiduum

uiduum eſt, *cuius collectio proprietatum in nullo alio eadem erit*: quæ proprietates his carminibus deſſignãtur.

Forma, Figura, Locus, Tempus, cum Nomine, Sanguis.
Patria ſunt ſeptem, quæ non habet Vnus, & Alter.

Per formam denotatur temperies Qualitatum, quę dicitur Complexio. Per figuram diſpoſitio membrorum. Per locum, deſſignatur. Vbi, quod occupat. Per ſanguinem Proſapia. Per Patriam, Prouincia à qua quis trahit originem. Per tempus tandem demonſtratur inſtans Natiuitatis. Secunda Definitio datur per terminos ſecũdæ intẽtionis ſic. Indiuiduum eſt quod de vno ſolo prædicatur. Indiuiduum autem eſt duplex, ſcilicet. Vagum, & Signatum. Primum eſt illud, quod vagatur per totam Speciem; vt Aliquis homo. Secundum eſt illud, quod prædicatur de vno ſolo; vt Petrus. His dictis.

58 Aſſertio Prima. Indiuiduũ Primo intentionaliter ſumptum bene per prędictam definitionem explicatur. Quæ Definitio non dicitur propriè Definitio, ſed Deſcriptio; Vnum namque Indiuiduum differt ab alio per propriũ principium intrinſecum Indiuiduationis, & non per illas proprietates: quia tamen ex illorum diſſimilitudine diſtinctio principiorum indiuidualium colligitur; Hinc per illam definitionem, Indiuiduũ explicatur, iuxta illud Boetij. Varietas accidentium facit in ſubſtantia differentiam numeralem. Et licet naturaliter Vnum Indiuiduum nequeat alteri eſſe ſimile in omnium accidentium collectione; ſupernaturaliter tamen iſte Caſus poteſt accidere; atque adeo non eſt rigoroſa Deſcriptio.

59 Dices. Inter duos radios ſolares, vel inter duo oua, aut inter duas aquæ gutas, diſtinctio talium proprietatum non reperitur; nam iſta ſimilia ſunt quo ad omnia, vt ex extrinſecis diuerſitas intrinſeca non concludatur: ergo; neque naturaliter loquendo talis deſcriptio bene explicat Indiuiduum.

Reſpondeo. Negando Antecedens, nam eſto enumerata ſint ſimilia in aliquibus accidentibus: non ſunt tamen ſimilia in omniũ accidẽtium collectione: quia ſcilicet, non habent eundem ſitum: diſcernuntur igitur per diuerſitatem ſitus, & loci. Ex quo habetis talem deſcriptionem, ne dum indiuiduis animatis eſſe applicandum, ſed etiam Indiuiduis inanimatis, & homogenæis.

60 Aſſertio Secunda. Indiuiduum ſecundo intentionaliter acceptum, exactè per dictam Definitionem panditur. Prob. Talis conſtat ex Genere, & Differentia. Ly enim prædicatur ponitur loco Generis. ly de vno ſolo. loco differentiæ, per quam differt ab alijs, quæ prædicantur de pluribus: ergo eſt optima.

61 Solum aduertatis hic, duplicem eſſe prædicationem, ſcilicet formalem, & identicam. Prior eſt illa, in qua prædicatum clarius eſt ſubiecto, vel quo ad rem, vel quo ad modum. Quo ad rem, dicendo, Petrus eſt albus; tale enim prædicatum notificat ſubiectum, quo ad accidens, quod habet. Quo ad Modum. Dicendo. Homo eſt animal rationale. Quia licet in re idem ſit, eſſe Hominem, & eſſe animal rationale; Quo ad Modum tamen magis notificatur homo per animal rationale. Poſterior, ſcilicet identica, eſt illa, in qua idem prædicatur de ſe ipſo: vt Petrus eſt Petrus. Modo de vtraque prædicatione intelligitur Definitio Indiuidui. De prima; quando Indiuiduum Vnius Generis prædicatur de Indiuiduo alterius Generis; dicendo; Petrus eſt hoc album; de ſecũda, quando idem prædicatur de ſe ipſo, vt ſupra exemplificatum eſt.

Inſta-

62 Inſtabis. Indiuiduum ſecundo intentionaliter captum prædicatur de pluribus, ſcilicet de hoc indiuiduo, de illo Indiuiduo: ergo hæc definitio non eſt bona, qua dicitur quod prædicatur de vno ſolo.

Reſpondeo. Verum eſſe antecedens de Indiuiduo Vago, & ſic dicitur Vniuerſale tantum in prædicando, & induit modum ſpeciei; non vero de Indiuiduo ſignato, quod de Vno ſolo prædicatur.

63 Contra. Petrus eſt Indiuiduum ſignatum, & tamen de pluribus hoc nomine vocitatis prædicatur, ergo nulla reſponſio.

Reſpondeo diſtinguendo antecedēs. Indiuiduum ſignatum prædicatur de pluribus ratione alicuius nominis Cōmunis; concedo; ratione naturæ ſuæ ſingularis; nego. Quo modo ſumitur Indiuiduum, cum de vno tantum dicetur prædicari.

64 Inſtabis Secundo. Definitio non eſt rei ſingularis, ſed tantum Vniuerſalis; at qui Indiuiduum eſt res ſingularis: ergo nequit definiri. Reſp. Diſting. Mai. Definitio non eſt rei ſingularis, vt ſingularis eſt; concedo; ſub aliqua ratione Vniuerſali; nego. Vnde Indiuiduum non definitur ratione ſuæ naturæ ſingularis, ſed ratione Indiuiduationis, ſecundum quam Conuenit cum alijs ſingularibus, & Indiuiduis. Hinc inferas duo in indiuiduo reperiri. Primum Materiale, & Formale Indiuidui. Materiale eſt res ipſa ſingularis, & ſic non eſt definibilis; formale eſt ratio Indiuiduationis, ſecundū quā Conuenit cum alijs, & ſic eſt definibile. Secundum, ipſam rationem Indiuiduationis eſſe reuera Communem, & poſſe prædicari de Multis inferioribus indiuiduatis.

65 Pro Complemento multiplicitatis Indiuiduorum aduertas. Indiuiduū aliud eſſe Phyſicum, & aliud logicum. Indiuiduum phyſicum eſt natura aliqua realis incommunicabilis pluribus inferioribus vt Socrates. Indiuiduum logicum eſt ipſa res ſingularis conſiderata ratione ſingularitatis, & indiuiduationis, quatenus poteſt prædicari de multis: vt de Socrate, de Platone, dicendo, Socrates eſt Indiuiduum, Plato eſt Indiuiduum. Præterea Indiuiduum ſcinditur in Subſtantiale, & Accidentale. Subſtantiale eſt ſubſtantia aliqua ſingularis: vt Plato. Accidentale eſt aliquod accidēs ſingulare: vt hæc ſcientia, hæc nigredo, &c. Vlterius Indiuiduū diuiditur in Demōſtratiuum, & Hypotheticum. Demonſtratiuum eſt quod per pronomen demōſtratiuum ſignificatur. vt hic Homo, Hæc imago, Hoc ferrum, &c. Hypotheticum eſt quod facta hypotheſi deſignatur: vt cum Chriſtum Dominum volumus ſignificare, illum vocamus Virginis Immaculatæ filium. Tunc enim damus Hypotheſim, Virginem genuiſſe Chriſtum Dominum. Satis de Indiuiduo.

DISCEPTATIO VI.

Vtrum differentia Inferior includat Genus, vel differentiam ſuperiorem, & è conuerſo?

SEnſus huius quæſiti eſt. An differentia Inferior, putà. Rationalitas includat in ſuo conceptu obiectiuo ſuum Genus ſcilicet animal, aut differentiam Superiorem ſcilicet ſenſibilitatem, vel è conuerſo, Genus includat in ſuo conceptu formali ſuas differentias, hanc diſceptationem agito, quia volo breuibus ab hac materia me expedire. Supponendo primo, triplicem eſſe differentiam ſcilicet Communem, Propriam, & Proprijſſimam. Communis eſt, quę Communiter facit differre, ſcilicet per accidens ſeparabile: vt homo albus differt ab Homine nigro. Secunda eſt, quæ facit differre per accidens inſeparabile: vt Sortes Simus differt à Platone Aquilo. Tertia illa eſt, quæ facit proprijſſimè differre id eſt eſſentia-

iter, & sic homo per rationalitatem differt à Bruto.

67 Suppono secundo. Differentiam non constitui in esse Tertij Vniuersalis, nec per ordinem ad sua propria inferiora; nec per ordinem ad Genus; nec per ordinem ad speciem; sed per ordinem quem dicit ad Inferiora speciei. Prob. totum hoc suppositum. Non per ordinem ad sua propria inferiora: quia differentia respectu huius, & illius differentiæ inferioris non prædicatur in Quale, nec incompletè, sed in Quid completissimè: quia nihil consideratur in hoc rationali vt sic: præter rationalitatem, & hecceitatem: ergo non constituitur in esse tertij Vniuersalis per ordinem ad sua propria inferiora. Non per ordinem ad Genus: quia Differentia non prædicatur de Genere essentialiter: ergo non constituit tertium Vniuersale per ordinem ad Genus. Cōseq. patet. nam Modus prædicandi differentiæ, vt est Vniuersale distinctum à cæteris predicabilibus, est prædicari essentialiter in Quale: ergo si respectu Generis non prædicatur sic essentialiter, per ordinem ad ipsum non constituet tertium Vniuersale. Antecedens prob. Ante aduentum differentiæ habetur completum Genus: ergo differentia non prædicatur essentialiter de Genere. Antecedens patet; nam Genus non includit in suo conceptu formali differentiam, nec è cōuerso, vt dicemus infra. Nec per ordinē ad speciem, quia differentia respectu speciei non se habet vt superius: ergo respectu ipsius non constituit tertium Vniuersale. Cōsequētia patet. Antecedens prob. quod se habet vt æquale respectu alterius nō se habet vt superius respectu illius; sed differentia se habet vt Quid æquale respectu speciei: ergo non se habet vt superius respectu illius. Mai. constat. Mi. prob. illa, quæ sic se habent, quod vnum non magis latè patet, quā aliud, æqualia sunt: sed differentia, & species sic se habent: ergo æqualia sunt. Ma. patet. Min. prob. De omni, de quo prædicatur Homo, prædicatur Rationalitas, & è conuerso: ergo differentia non magis latè patet, quam species, atque adeo in ordine ad ipsam, tertium Vniuersale non constituit. Quod constituatur tertium Vniuersale per ordinem ad inferiora speciei. Prob. Vniuersale est vnum in multis, & de multis: ergo debet respicere plura, tamquam quid superius ad ipsa; sed respiciendo indiuidua speciei, respicit plura, de quibus prædicatur essentialiter, vt superius: ergo per ordinem ad inferiora speciei constituitur tertium Vniuersale.

Suppono Tertio. Differentiam Tertiū prædicabile sic definiri, est Quod prædicatur de plurib. in Quale Quid. Quæ est optima. Cum Definiatur hic differentia in Communi ad Differentiam subalternam, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in Quale Quid; & ad differentiam infimam, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in Quale Quid. Ipsa vero differentia vtrique communis præscindit à differentibus specie, & numero. Quia quod diuisiuè se habet, neutrum formaliter includit, atque adeo rectè dicitur. Est quod prædicatur de pluribus in Quale Quid. His ergo suppositis, tanquam certis. Sit.

68 Assertio Prima. Genus in suo Conceptu obiectiuo non includit formaliter differentiam inferiorem; nec differentia Superior differentiam inferiorem. Ita Scotus 4.*d.*11.*q.*3.§. *Ad rationes sub Cc*. Vbi habet: *Quod etiam additur, quod differentia inferior includit Superiorem, hoc est manifestè falsum; quia tunc impossibile eßet per Genus proximum, & differentiam proximam diffinire; quia idem bis diceretur, &c.* Modo si differentia inferior non includit superiorem; multo minus differentia superior includet inferiorem: ergo, &c. Prob. Assertio. Habetur Conceptus adæ-

adæquatus Generis sine hoc, quod intelligatur includere differentiã inferiorem v.g. habetur conceptus adæquatus animalis absque hoc, quod intelligatur includere rationalitatẽ: ergo Genus nõ includit in suo conceptu adæquato obiectiuo differentiam inferiorem. Consequentia patet. Nam id non includitur formaliter in conceptu alicuius sine quo habetur conceptus adæquatus illius: ergo si habetur conceptus adæquatus Generis sine hoc, quod intelligatur includere differentiam inferiorẽ, iam Genus differentiam inferiorem in suo conceptu obiectiuo non includit. Prob. igitur antecedens. Conceptus formalis animalis, non est nisi. Substantia animata sensibilis; sed hoc totũ habetur sine hoc, quod intelligatur includere rationalitatem: ergo habetur conceptus adæquatus animalis sine inclusione rationalitatis. sed Animal est Genus, & Rationale differentia inferior: ergo habetur conceptus adæquatus Generis sine rationalitate. Firmatur ratio. Si animalitas includeret in suo conceptu formali rationalitatem: ergo animalitas, quæ est in Brutis ipsã includeret. Hæc consequentia patet, vel quia est eadem animalitas, vel quia sunt similes animalitates: ergo etiam Bruta includerent in suo conceptu formali rationalitatem, quod est falsum. Prob. consequentia, quod includit includens includit inclusum in includente; sed bruta includunt animalitatem: ergo si animalitas, quæ est inclusa includeret rationalitatem, ipsam etiam rationalitatem inclusam includerent, quod est absurdum, imò falsum: vt omnibus constat, & patet.

69 Dices. Hoc non sequi: quia diuersa est animalitas, quæ est in Brutis ab animalitate quæ est in homine, sicque animalitas, quæ est in Homine includit rationalitatem; cum autem illa non sit inclusa in Brutis, in Brutis non est inclusa rationalitas; includunt benè irrationalitatem: quia animalitas, quæ est in brutis, irrationalitatem includit.

Contra in primis, quod bruta bis essent animalia, seu bis includerent irrationalitatem; nam essent semel irrationalia: quia includunt immediatè ipsam irrationalitatem; & iterum irrationalia, quia includunt animalitatem, in qua est inclusa irrationalitas. Sequitur etiam, quod essent irrationalia, qua animalia, quod est falsum, quia qua animalia, nec rationalia, nec irrationalia sunt. Sequitur quoque, quod in animalitate Bruta non conuenirent cum hominibus; nam illa in aliquo non conueniunt, quod est disconueniens in illlis; seu non sunt aliqua similia in dissimilibus; sed animalitas Hominis, & Bruti disconueniunt, & sunt dissimiles: quia vna in suo conceptu formali includit rationalitatem, altera irrationalitatem: ergo Bruta non conueniunt cum Hominibus in animalitate. Est ergo dicendum, quod vel sit eadem formaliter genericè animalitas, & sic includat vtramque differentiam; nam idem, esto in diuersis sit, semper eadem includit; vel quod sunt similes animalitates; ex quo idem sequitur dicendum, nam similibus similia conueniunt sub eadem ratione, sub qua sunt similia: ergo, &c.

70 Dices. Animal qua tale includere rationalitatem, & qua tale irrationalitatem. Contra: quia animal qua tale, non est nisi animal rationalizatum, vel irrationalizatum; de quo verum est hoc dicere; sed nihil ad rem: nam quæstio est de Animali secundum se, quatenus fundat Genereitatem; dicere autem tale animal, non est nisi dicere, Hominem, vel Brutum. Quis autem dubitat, Brutum includere irrationalitatem, & hominem rationalitatem? Hoc esset ponere dubium, vbi dubitandi non adest occasio. Per idem probatur secunda pars Conclusionis, nam rationes probantes primam partem,

tem probant, & ſecundam.

71 Aſſertio Secunda. Differentia inferior non includit Genus, nec differentiam ſuperiorem. Ita Scotus *loc.c.* Prob. Si rationalitas includeret in ſuo conceptu formali animal, vel ſenſibilitatem. Rationalitas faceret differre hominem à Bruto, & non differre. Conuenire, & non conuenire, ſed hoc dici non debet: ergo &c. Sequela Mai. Prob. Quod facit differre iam patet: quod autem non faciat differre, conſtat ex hoc, quod includeret animal, vel ſenſibilitatem; id enim quod facit conuenire, vel non conuenire aliud, hoc facit per id, quod includit: cum autem per id quod includit conſtituatur, per id quod includit conſtituit; ſicque per id quod includit conuenire facit, vel diſconuenire. Tunc ſic arguitur. Quãdo includitur aliquid quod facit conuenire, id quod includit illud, per illud facit conuenire: ſed rationalitas per aduerſarios includeret animal, quod facit conuenire hominem cum Brutis: ergo Rationalitas faceret conuenire hominem cum Bruto: ergo rationalitas eſſet differentia, & non eſſet differentia. Differentia, quia faceret differre; non differentia quia differre non faceret. Sequitur etiam, quod ſi Quis definiret Hominem, dicendo. Homo eſt animal rationale, vitioſam afferet definitionem; bis nãque prædicaret animal de homine; ſemel explicite, dicendo homo eſt animal: ſemel implicitè, dicendo Homo eſt rationalis: quia dicendo explicitè includens, dicitur, implicitè incluſum; ſicque dicendo explicitè rationale, diceretur implicitè animal incluſum in rationali: quod tamen vitium eſt in aliqua definitione: quia quãdo aliquod ponitur implicitè, non debet poni explicitè: nec è conuerſo. Vnde iſtæ definitiones non eſſent bonæ. Homo eſt animal viuens rationale. Homo eſt viuens animal rationale. Prima bona non eſt, quia dicendo animal, dicitur implicitè, Viuens, & ideo non debet iterum explicitè poni. Secunda non eſt recta: quia ſemel diceretur Viuens explicitè, & denuo explicitè, addendo Animal.

72 Dices. Non eſſe inconueniens, rationalitatem ſecundum aliquid facere conuenire hominem cum Brutis, & ſecundum aliquid facere diſconuenire; nam ſic faceret conuenire, & diſconuenire ſecundum diuerſas rationes, quod minimè implicat.

Contra. Primo ſequeretur rationalitatem eſſe ſpeciem, non differentiam. Prob. id quod habet omnia ſpeciei, eſt ſpecies. Rationalitas eſt ſic; ergo. Min. Prob. Species hoc habet, quod includit Genus, & vltra aliquid aliud, per quod à cęteris differet Speciebus; hæc habet Rationalitas: quia includeret animal, quod eſt Genus, & vltra aliquid per quod differet à rationalitate: ergo haberet omnia Speciei. Secundo. Si Rationalitas aliquid aliud includit, & addit ſupra animalitatem per quod facit hominem differe à Brutis: ergo ſecundum iſtum gradum additum eſt differentia; nam per illud, per quod aliquid participat Conditiones alicuius, eſt illud. Sed rationalitas per illum gradum participat Conditiones differentiæ cuius munus eſt facere differre, ergo per illum gradum rationalitas eſt differentia. Tunc ſic. In illo gradu ſuperaddito, vel includitur formaliter Animal, vel non includitur. Si nõ includitur ergo rationalitas ſecundum illum gradum, ſecundum quem eſt differentia, non includit Animal: ergo, vt differentia animal non includit. Si includitur, ergo ſecundum illud gradum, Rationalitas non facit diſconuenire, quia nihil facit diſconuenire per id quod facit conuenire: ergo debet rationalitas addere alium Gradum per quem faciat diſconuenire, & tunc debet fieri eadem interrogatio.

gatio. An Animal in illo includatur, an non includatur. Si non includitur, habetur intentum, ſi includitur fit eadem inſtantia, vt cogantur Aduerſarij, vel ad admittendum proceſſum in infinitum; vel ad admittendum aliquem gradum, in quo non ſit incluſum formaliter Animal, qui gradus reuera eſt ipſa Rationalitas. Prob. vlterius Aſſertio. Quando duo concurrunt ad conſtituendum Vnum, vnum ex illis nõ conſtituit aliud: ſed animalitas, & rationalitas concurrunt ad conſtituendum vnum ſcilicet hominem: ergo vna non conſtituit alteram: ergo vna non includitur inconceptu formali alterius: nam id, quod includitur in conceptu formali alterius, conſtituit illud: ergo ſi animalitas non poteſt conſtituere rationalitatem, non poteſt includi in conceptu formali illius. Mai. Prob. ſi duo concurrentia ad vnum conſtituendum, ſic ſe haberent, quod vnum aliud includeret; vnum tantum, ſcilicet includens ſufficeret ad illud aliud conſtituendum, ſicuti eſt de animali, & de Viuente: nam ad conſtituendum hominem genericè, animal ſufficit, quia includit viuens: ergo ſi rationalitas includeret animalitatem, iam ipſa ſola rationalitas ſufficeret ad conſtituendũ hominem, quod dici non debet.

73 Ob. Primo. Philoſophum 7. & 8. *metaph*. Quibus in locis videtur aliqua dicere contra Nos. Dicit enim, quod in definitione parum refert ſi ponantur omnes differentiæ, vel vltima tantum: quia hæc includit omnes. Deinde aſſerit, vltimam differentiam eſſe totam rei ſubſtantiam, ideoque non licere ponere in definitione aliam Superiorem; quia comiteretur Nugatio: ergo differentia vltima ſcilicet ſpecifica includit differentias Superiores, & etiam ipſum Genus.

Reſpondeo hæc loca nobis non officere; nam in primo loco philoſophus aſſignat duplicem modum definiendi, ſcilicet per Genus ſupremum, & omnes differentias; qui modus definiendi improprius eſt, & ſuperfluus. Vel per proximum Genus, & vltimam differentiam, qui eſt modus rectus: ad quẽ modum non requiritur ponere alias differentias ſuperiores, nec alia ſuperiora Genera; quia hæc omnia in Genere proximo formaliter includuntur. Vnde in definitione Hominis, qua dicitur. Homo eſt animal rationale, non debet ſenſibile addi; non quia ſenſibile formaliter includatur in rationalitate; ſed quia formaliter includitur in animali: propter quod nugatio committeretur. Sufficit enim in aliqua definitione, quod immediata explicitẽ ponantur, mediata vero implicitè. Quod ſi dicat Philoſophus, includi in differentia inferiori Superiores; ſenſus eſt identicus, & realis, per realem identitatem: non autem formaliter, in cõceptu, ſcilicet, formali: vt Homo reſpectu riſibilitatis: non enim riſibilitatem in ſuo formali conceptu includit: nam quod eſt extra eſſentiam alicuius, eſt extra conceptum formalem illius: includit tamen illam realiter identicè. Quatenus habet identitatem realem cum illa, & ſic rationalitas ſenſibilitatem includit. In alio loco non eſt intelligendus Philoſophus totaliter, & formaliter, ita vt vltima differentia includat omnes gradus ſuperiores: ſed completiuè, quatenus ipſa vltimum dat complementum, & vltimatè diſtinguit.

74 Ob. Secundò. Eumdem Philoſophum ibidem dicentem. Ad inueniendam differentiam vltimam diuidere oportere differentiam ſuperiorem in duas differentias oppoſitas. Tunc ſic. Diuiſum includitur formaliter in membris diuidentibus; ergo ſi differentia ſuperior diuiditur in duas differentias inferiores, includitur formaliter in illis. Vlterius dicit, quod fixio pedis eſt quædam pædalitas: quæ prę-

dica-

dicatio, cum sit in abstracto est essentialis, & quidditatiua.

Respondeo. Neque hæc loca nostram Maculare assertionem: nam in primis; differentia superior non diuiditur formaliter in differentias inferiores, sed materialiter, & identicè ratione Generis, quod constituit; quod enim constituit aliquid quod diuiditur, ratione illius etiam diuiditur. Ad argum. respondetur, quod membra diuidentia sunt in duplici differentia; alia sunt per Quæ, alia sunt in Quæ, scilicet alia sunt, per quæ diuiditur diuisum: alia sunt in quæ diuiditur diuisum. In primis non includirur formaliter diuisum, bene tamen in secundis. Modo sensibile respicit animal tanquam diuisum, & species, & differentias, hominem, & Brutum, rationalitatem, & irrationalitatem. Rationalitas, & irrationalitas sunt membra diuidentia per Quæ; per quæ, scilicet animal diuiditur. Homo autem, & Brutum sunt membra diuidentia in Quę, in quę videl. animal diuiditur. Animal itaque ex quo est diuisum, non includitur in conceptu formali rationalitatis, & irrationalitatis, sed includitur in conceptu formali, & quidditatiuo hominis, & Bruti. Ad secundum dicitur: illam prædicationem, nō facere sensum formalem, sed sensum realem, & identicum; ex quo sensu prædicationis nostra non impugnatur Assertio. Prædicatio itaque ista. Rationalitas est animalitas, non est vera, nisi identicè.

75 Obijc. Tertiò. Rationalitas est substantia; quia ista est affixa Generi substantiæ, vt non possit applicari Generi accidentis: ergo rationalitas includit in suo conceptu formali substantiam, ergo differentia inferior in suo conceptu formali includit Genus.

Respondeo. Rationalitatem potius esse quid substantiale, quam substantiam, vel substantiæ aliquitatem. Vnde distinguitur antecedens, est substantia identice concedo, formaliter nego, idest, est quid realiter identificatum cū substantia, non quid includens formaliter ipsam: & sic negatur consequentia. Quare licet inter esse substantiā, & accidens non detur Medium, quia omne quod est, substantia, vel accidens est, est tamen medium inter esse formaliter substantiam, & formaliter accidens, quod est esse identice substantia, vel identice accidens, identicæ substantiæ sunt differentiæ, quæ sunt in Genere substantiæ; identicè accidentia sunt differentiæ, quæ sunt in genere accidentis. Neque inferas. Quod rationalitas possit applicari alteri à substantia, cum a substantia formaliter pręscindat, nam identitas realis, quā habet cum substantia, hanc impedit applicationem: etiam Risibilitas ex sola identitate reali: quam habet cum homine, alteri ab homine nequit applicari. Et si quæras. Quid sit formaliter Rationalitas.

Respondeo Esse. quemdam gradum determinatiuum Animalis ad esse hominis. Vel Rationalitas est tantum rationalitas. Sicut Auicenas inquiebat. Equinitas est tantum equinitas.

76 Ob. Quartò. Hæc est prædicatio formalis. Hoc rationale est Animal ergo animal etiam formaliter prędicatur de rationali: ergo includitur formaliter in conceptu formali Rationalis. Consequentia tenet. quia tunc prædicatio est formalis, quando prædicatum includitur in cōceptu formali subiecti: ergo si ista prædicatio, hoc rationale est animal, est prædicatio formalis, prædicatum, scilicet animal includitur in conceptu formali subiecti, scilicet rationalis. Antecedens. Prob. Quando prædicatur Superius de Inferiori prædicatur aliquod inclusum in Conceptu formali inferioris: sed quando prædicatur animal de hoc

ratio-

rationali, prædicatur aliquod superius de inferiori, scilicet de rationali, quia prædicatur aliquod magis latè patens, quam ipsum: ergo includitur in Conceptu formali ipsius.

Respondeo. Ad antecedens, quod duplicem potest habere sensum, ly Hoc rationale. Vel dicit nudam rationalitatem, adiuncta solum singularitate; & tunc dico, talem prædicationem non esse formalem, sed identicam, & realē; vel dicit ly Hoc, singulare, quod includit rationalitatem: vt Petrum, vel Paulum, tunc concedo, prædicationem esse formalem; sed sicuti non est prædicatio de ipsa rationalitate; ita non est inclusio formalis in ipsa; sed in eo, quod rationalitatem includit; quæ Prædicatio, quantum ad hoc, similis est huic, album est dulce; non enim verificatur dulcedo de albedine, sed de eo, quod habet albedinem. Ad probationem dicitur; quod non semper superius includitur in conceptu formali inferioris; sed aliquando tale dici solum ex maiori Communitate: vt est in Casu; nam Animal superius dicitur ad rationalitatem; non quia in ea formaliter includatur; sed quia magis Commune est, quam rationalitas; idem dicendum de sensibilitate.

77 Dices. Si rationalitas non haberet aliam differentiam Superiorem, quam includeret, esset differentia supræma, quod est falsum. Consequentia prob. à pari. Illud dicitur Genus suprēmum, quod non habet aliud Genus supra se inclusum; sic esset rationalitas: ergo esset differentia supræma.

Respondeo. Negando sequelam: quia differentia non dicitur supræma ex eo quod non habet Superiorem, quam includat; nam sic omnis differentia supræma esset; sed dicitur supræma; ex eo quod non supponat aliam differentiam in Constituto, cui subordinetur. Modo rationalitas supræma non est, sed infima: quia in Homine constituto alias differentias supponit. Nec paritas valet: quia Genera se includunt, & ideo attenditur ibi inclusio; ita vt illud sit supræmum Genus, quod aliud Genus non includat, non est ita de differentijs; quæ non se includunt; sed quod præstat in Generibus inclusio, præstat in differentijs suppositio.

78 Ob. quinto. Si Rationalitas non includeret in suo conceptu formali animal, vel sensibilitatem; esset omnino simplex, & purus actus: quod est falsum: quia esse purum actum tantum conuenit Deo.

Respondeo. Negando sequelam, licet rationalitas non habeat metaphisicam compositionem ex his; habet tamen compositionem cum his; Non habet quidem duos gradus ipsam metaphisicè componentes; habet tamen componere aliquod aliud simul cum alia parte. Nec sufficit ad hoc, vt aliquod sit purus actus carere compositione ex his, sed etiam compositione cum his, qua cum non careat rationalitas, non est dicenda purus actus; & propter hoc Purus actus est Deus, qui nullam compositionem admittit; est enim tam physicè, quam metaphysicè incompositus.

79 Ob. Vltimo. Non potest concipi rugibile, quin concipiatur sensibile, & viuens: ergo rugibile includit in suo conceptu formali sensibile. Tum quia rugitus est formaliter sensatio, & actus Vitalis: ergo debet prouenire à principio formaliter sensibili, & Vitali; sed rugibile est tale principium: ergo rugibile est formaliter sensibile, & vitale: ergo differentia inferior includit in suo conceptu formali inferiorem differentiam.

Resp. in primis negando consequentiam; nam non sequitur. Relatio non potest concipi, quin concipiatur terminus: ergo includit in suo conceptu formali terminum; sic non sequitur. Rugibile non potest concipi, quidem conci-

cipiatur ſenſibile, & viuens: ergo includit in ſuo conceptu formali ſenſibile, & viuens. Vnde eſt ergo illud non poſſe concipi vnum, quin concipiatur aliud? Eſt ex neceſſaria præſuppoſitione huius ad aliud; neceſſario enim præſupponitur Viuens, & Senſibile ad rugibile; ex quo, hæc concipi non poteſt, quin concipiantur illa. Deinde dicitur, quod non eſt neceſſe concipere ſenſibile, & viuens in recto, ſed in obliquo, ideſt non poſſum concipere rugibile, niſi concipiam, ipſum eſſe aliquod ſenſibile, vel aliquod viuens. Ad ſecundum dico, quod ſi conſideretur rugitus adæquatè eſt quidem formaliter ſenſatio, & actus vitalis; ſed ſic non eſt principium adæquatum rugibile, inadæquatum enim nequit eſſe principium adæquati; eſt ergo principium tota natura, leo, ſcilicet qua ſenſibilis, producit rugitum in ratione ſenſationis; qua viuens producit rugitum in ratione actus vitalis, & qua rugibilis producit rugitum, vt rugitum, ſecundum quam rationem, quæ eſt ratio inadæquata in ipſo, non includit formaliter rationem ſenſationis, vel actus vitalis, ſed tales rationes præſupponit.

DISCEPTATIO VII.

De Diſtinctione Proprij à ſuo ſubiecto.

HVcuſque per tractauimus de Vniuerſalibus prædicantibus eſſentialiter, modo ſuperet pertractandum de Vniuerſalibus, quæ eſſentialiter non prædicantur; & primo de Proprio, quia pertractato de eſſentialibus, pertractari debet de immediatis ad eſſentialia: vt eſt Proprium. Pro quo.

80 Primo Not. Proprium quadrupliciter ſũmi; 1. modo, pro eo quod conuenit omni, & ſoli, ſed non ſemper: vt ridere, competit omni homini, ſoli homini, ſed non ſemper: quia non ſemper Homo ridet. Similiter caneſcere in ſenectute, conuenit ſoli homini, & omni Indiuiduo hominis (ſupple compleſſionato) ſed non ſemper, quia tantum in ſenectute caneſcit, & licet aliqua bruta in ſenectute albeſcant, non tamen dicuntur caneſcere, ſed griſeſcere. Secundo. Pro eo, quod conuenit ſoli, ſed non omni: vt eſſe logicum, competit ſoli homini, ſed non omni, quia non omnis homo eſt logicus. Tertio. Pro eo, quod competit omni, ſed non ſoli: vt eſſe bipedem, competit omni homini, ſed non ſoli, quia cõuenit etiam Auibus. Quarto. Pro eo, quod conuenit omni, ſoli, & ſemper: vt riſibilitas, quæ competit omnĩ homini: nullus naqmue eſt homo, qui riſibilis non ſit: ſoli homini: quia nullum eſt excogitabile ens præter hominem, quod ſit riſibile; & ſemper: quia nullum eſt dabile inſtans temporis: in quo homo non ſit riſibilis. De hoc proprio ſumus acturi, & non de alijs: nam alia propria impropriè propria ſunt: hoc vltimum tantum propriè proprium eſt.

81 Secundo Not. Proprium in ratione proprij ſic ab Ariſtotele 1. *topicor. cap.* 4. definiri. Proprium eſt, *quod non indicat quid rei, ſoli autem ineſt, & conuerſim prædicatur*. Quæ definitio admittenda eſt, cum polleat conditionibus bonæ definitionis. Dicitur. Quod non indicat quid rei, vt colligatur, quod Proprium de quidditate non ſit, quia quod eſt de quidditate rei, quid rei indicat. Debet autem intelligi talis particula à priori, nam quod non eſt de quidditate poteſt à poſteriori quidditatem indicare iuxta illud de anima *c.* 2. Accidentia magnam partem conferunt ad cognoſcendum quodquid eſt ſubſtãtię. Dicitur, ſoli autem ineſt, quia Proprium à Communi differt, id enim eſt Commune, quod eſt pluribus communicabile: ergo proprium pluribus communicabile non eſt, ſed ſoli ineſt. Dicitur Conuerſim prædicatur, ad oſten-

ostendendam necessariam Connexionem, quæ est inrer proprium, & subiectum: ex qua valet mutua consequentia inter subiectum, & proprium. Ex qua particula etiã colligitur, quod Proprium semper debet inesse; quia si non semper inesset, non haberet necessariam connexionem. Exemplum huius proprij, potest esse risibilitas; quæ in primis non est intra essentiam hominis: sed immediate profluit ab essentia, proinde non indicat hominis essentiam, nisi à posteriori. Deinde risibilitas, soli homini inest, vt patet ex non assignando alio ente, cui insit. Rursus. Conuersim prædicatur, quia valet dicere. Est homo: ergo est risibilis: est risibilis: ergo est homo. Ex quo colligitur semper competere homini. Si enim aliquando non competeret, aliquando Consequentia illa, est homo: ergo est risibilis, falsa esset.

Dices. Risibilitas est proprium Petri, quia quod est Proprium Communis, est proprium contentorum, sub illo Communi, & tamen soli Petro non inest, neq; conuersim de illo prædicatur: quia estò valeat, hic homo est Petrus: ergo est risibilis, non tamen valet, hic homo est risibilis: ergo est Petrus: ergo talis particula non rectè ponitur.

Respondeo. Quod talis particula Veritatem habet respectu subiecti primarij, & adæquati, quod est species, respectu cuius tale Proprium definitur; non respectu inferiorum speciei, respectu quorum non definitur. His habitis.

82 Assertio Prima. Proprium est, ita necessario connexum cum suo subiecto, vt nec de potentia Dei absoluta possit ab illo separari. Prob. Conclusio, in qua passio demonstratur de subiecto est ita necessaria, & necessariæ Veritatis, vt per nullam potentiam possit esse falsa: ergo prædicatum est ita necessariò connexum cum subiecto, vt per nullam potentiam possit ab eo separari: tanta enim est connexio veritatis alicuius propositionis, quanta est connexio prædicati cum subiecto; in illa propositione. v.g. conficiendo hanc demonstrationem, omne animal rationale est risibile: omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis: ista Conclusio est necessaria: ergo necessaria est connexio inter risibilitatem, & hominem ergo, &c.

Dices. Talem propositionem esse necessario connexam radicaliter non vero formaliter, quatenus semper manet radix risibiiitatis, scilicet animalitas. Contra: ergo formaliter talis Conclusio contingens esset: ergo, sequitur Conclusio contingens ex propositionibus necessarijs. Quod si dicas. Nec primam propositionem esse necessariam; insto dicendo: ergo talis syllogismus non est demonstratio: quia secundum omnes, demonstratio est illa in qua, demonstratur passio de subiecto, & dicitur demonstratio potissima. Dicendum est ergo, talem syllogismum esse demonstrationem, proinde constare ex præmissis necessarijs necessariò inferentibus Conclusionem. ita vt eius veritas inuariabilis sit.

83 Dices. Esse quidem in tali Conclusione necessariam Connexionem, etiam formaliter, quia est in secundo modo perseitatis: non tamen quo ad existentiam. Vnde existente Homine sine risibilitate, non esset vera ista propositio. Homo existit risibilis: esset esset tamen vera ista. Homo est risibilis: quia cum sit Veritas necessaria ab existentia præscindit.

Contra. Necessitas connexionis prędicati cum aliquo subiecto oritur ex inhærentia necessaria illius cum illo subiecto: ergo si risibilitas non necessario inhæret, non est necessario connexa: licet enim propositiones necessariæ abstrahant ab existentia: tamen

hoc expostulant, quod existente subiecto, debeat existere cum tali prædicato, & explicatur, ampliaturque ad omne tempus, ideſt ſi fuit Homo, fuit cum riſibilitate; ſi eſt, eſt cum riſibilitate: ſi erit, erit cum riſibilitate. Vnde ſi iſta propoſitio poſſet aliquando eſſe vera: Homo exiſtit riſibilis, iſta non eſt neceſſaria. Homo eſt riſibilis.

Deinde ſic arguitur pro aſſertione. Si Proprium poſſet abſolute à ſubiecto ſeparari: ergo non differret ab aliquibus accidentibus, quæ propria non ſunt. v. g. riſibilitas non differret à nigredine, quæ eſt in Coruo: quia etiam iſta ſecundum curſum naturæ eſt inſeparabilis, ſeparabilis vero abſolutè per Dei potentiam; Vnde ſi nigredo tantum Coruo competeret, differentiam aliquam non agnoſceremus, & tamen differentia maxima eſt. Nec dicas, Hominem tantum habere debitum exigitum riſibilitatis: nam etiam Coruus deberet dici radicaliter niger, cum Coruus exigat à natura nigredinem.

Dices. In Homine tunc manere facultatem naturalem reſpectu riſibilitatis; Vnde ſi Deus ſepararet riſibilitatem, & deinde relinqueret hominē, ac permitteret curſum ſuæ Virtutis, ſtatim de nouo riſibilitas dimanaret: & per hoc differet riſibilitas quantum ad Connexionem à nigredine, quæ eſt in Coruo. Contra ſic. Etiam ego dicerem, quod in Coruo, ſeparata nigredine, remaneret Virtus, qua nigredinem de nouo produceret ſi permitteretur exercitium ſuæ Virtutis, quod dicere poſſum cum maximo fundamēto: quia dantur aliqua accidentia, quæ ſunt naturaliter ſeparabilia ab aliquo ſubiecto, & tamen ſeparatis, relicto ſubiecto in ſua Virtute, illa de nouo producit: vt eſt aqua calida, quæ ſuæ virtuti relicta de nouo producit frigiditatem: ergo idem à fortiori poſſum dicere de accidentibus naturaliter inſeparabilibus: natura enim maiorem concedit Virtutem reſpectu alicuius, vbi eſt maior exigentia reſpectu illius: & maior eſt exigentia, vbi eſt maior connexio, & maior eſt connexio, vbi eſt maior Inſeparabilitas.

84 Aſſertio Secunda. Proprium eſt ita connexum cum ſubiecto, vt nec potentia logica poſſit ab illo ſeparari, ideſt, nec per opus intellectus poteſt intelligi ſubiectum ſine Proprio, vel cum oppoſito eius. Ita Scotus *q. 32.* Vniuerſalium. Intelligitur hæc Concluſio de vera intellectione, nam de ficta Veritatem non habet; poteſt quidem intellectus intelligere hominem non intelligendo riſibilitatem, nam abſtrahētium non eſt Mendacium; non omne autem non intelligens hoc, intelligit non hoc. In ſenſu igitur præciſiuo admittitur Caſus: non autem in ſenſu diuiſiuo: ideſt intelligere hominem ſine riſibilitate, vel ſub oppoſito eius. Prob. Ex paſſione à poſteriori cognoſcitur natura, à quo profluit illa paſſio. Quia quod eſt quid poſterius facit agnoſcere à poſteriori; vnum quodque, quod aliquid præſtat, illud præſtat eo modo quo eſt, nec prius poteſt præſtare cognitionem à poſteriori, nec poſterius cognitionem à priori. Tunc ſic: ergo ex oppoſito paſſionis deducitur à poſteriori oppoſitum naturæ. Conſequentia. Prob. Quia quandocumque ex vno ſequitur neceſſario aliud, ex oppoſito illius neceſſario ſequitur oppoſitum alterius: vt Albedo, quæ nigredini opponitur: ex albedine ſequitur, neceſſario diſgregare viſū: erg. ex nigredine neceſſario ſequitur cōgregare viſū quod eſt oppoſitū ipſi: erg, ſi ex paſſione ſequitur neceſſario natura; ex oppoſito paſſionis ſequitur neceſſario oppoſitum naturæ: ita ſi intelligendo riſibilitatem in aliquo ente, infertur neceſſario: ergo eſt homo: intelligendo negationem riſibilitatis, neceſſario infertur negatio humanitatis; vel ſi intelligatur oppoſitum riſibilitatis, infertur

tur

tur oppositum humanitatis: ergo qui intelligeret hominem non risibilem, concomitanter intelligeret hominem, & non hominem; hominem vt supponitur: non hominem: quia intelligere hominem nō risibilem, est intelligere nō hominē, cum risibilitas sit idē Homini.

85 Et hæc est differentia Proprij ab Accidente inseparabili, quod subiectum potest intelligi sine accidente inseparabili: imo etiam sub eius opposito. Vnde potest quis intelligere Coruum non nigrum, vel album; quia licet erraret secundum quid, quatenus de facto coruus est niger; non erraret tamen simpliciter, quia non repugnat coruo negatio nigredinis, vel albedo. Subiectum autem proprij non potest cum opposito proprij, vel cum negatione proprij intelligi. Ex quo deducas, duplicem esse differentiam inter propriū, & accidens inseparabile. Vna est à parte rei; altera est in ordine ad Intellectum. A parte rei, quatenus accidens inseparabile est tantum inseparabile secundum quid, idest per potentiam naturalem; proprium vero est inseparabile simpliciter: quia per nullam potentiam separari potest. In ordine ad Intellectum: quia intellectus potest intelligere subiectum accidentis inseparabilis cum eius opposito, vel cum eius Negatione; non autem subiectum Proprij.

86 Contra hanc, & primam assertionem Ob. Prius qua prius potest saltem per diuinam potentiam esse sine posteriori; sed subiectum est prius passione: ergo saltem per diuinam potentiam potest esse sine passione. Mai. patet ex hoc, quia prius qua Prius non dependet à Posteriori. Mi. prob. id quod est à quo aliud, est prius eo, quod est ab ipso; sed subiectum est à quo passio: ergo prius est ipsa passione, ne dum prioritate à quo, scilicet originis; sed etiam prioritate naturæ, quæ est prioritas intelligentiæ, vel præsuppositionis. Ex quo aliud deducitur argumentum, ex Aristotele 5. *metaph.* Priora naturæ dicuntur illa, quæ possunt esse sine alijs, non tamen alia sine ipsis: ergo si subiectū est prius natura passione, potest esse sine illa, saltem per diuinam potentiam. Tum quia totum id potest Deus, quod non implicat Contradictionem; sed ex hoc quod separetur à subiecto passio non sequitur aliqua Contradictio: ergo Deus potest separare à subiecto Passionem.

Respondeo. Maiorem esse Veram, quando prius non identificatur realiter cum posteriori; non autem si realiter identificatur, vt est Proprium; inseparabilitas enim vel prouenit ex posterioritate naturali, & ex hoc subiectum non est inseparabile: quia prius est. Vel ex simultate naturali: vt sunt Paternitas, & filiatio, & neque ex hoc subiectum inseparabile est. Vel ex identitate reali, & ex hac talis prouenit inseparabilitas. Neque ex hoc inferas depēdentiam subiecti quod est prius à passione, quæ est quid posterius, nam si est dependentia, est tantum dependentia à posteriori, quæ congruentiori modo, & nomine, vocatur coexigentia; coexigit enim subiectum suam passionem. Ad aliud dicitur, quod duplex est prioritas naturæ; vna essendi; alia intelligendi, seu præsuppositionis. Prima. In eo consistit, quod prius esse potest sine posteriori, de qua Philosophus ibi loquitur, sed hæc prioritas naturæ non conuenit subiecto respectu passionis. Secunda. Est Prioritas, quatenus subiectum præsupponitur ad passionem, ita vt prius intelligi debet subiectum, quā intelligatur Passio, & possit intelligi subiectum, non intellecta passione, quæ prioritas stat cum inseparabilitate. Ad aliud dicitur, quod sequitur implicantia; nam in primis destrueretur Homo, & non destrueretur Homo; quod non destrueretur, præsupponitur, quod destrueretur. Prob. destructo aliquo, quod

est idem cum aliquo, destrueretur, & illud aliud: quia eadem res non potest destrui, & non destrui; at destructa passione destrueretur aliquod, quod est idem cum subiecto: ergo destrueretur, & subiectum. Deinde si destrueretur risibilitas, non destructo Homine, Homo esset Homo, & non Homo: esset Homo vt supponitur: non esset Homo prob. Hæc est consequentia infallibilis; Est risibilis: ergo est Homo: ergo etiam ista est infallibilis; non est risibilis: ergo non est Homo. Quando enim aliquod sequitur necessario ad aliud: negatio eius quod sequitur, sequitur ad Negationem eius, ad quod sequitur.

87 Ob. Secundo. Quandocumque aliquod pro aliquo instanti est sine alio, potest pro omni instanti esse sine illo: sed subiectum pro aliquo instanti est sine passione: ergo pro omni instanti potest esse sine passione. Deinde subiectum est causa efficiens propriæ passionis, quam Causam Deus potest impedire, ne agat; quia omne id Deus impedire potest, cum quo concurrit: ergo si Deus impediret Hominem, ne produceret risibilitatem, iam Homo esset sine risibilitate, atque adeo falsa Assertio.

Respondeo. Subiectum esse prius passione prioritate naturæ, quæ non consistit in hoc, quod subiectum aliquando sit, quando non sit Passio, nam ista est prioritas temporis: sed consistit in præsuppositione, ita vt cum fundamento in re possit intelligi subiectum prius ipsa passione. Neganda est igitur. Mi. propositio. Ad cuius probationem dicendum est, verum concludere de quo est prius tempore, seù duratione; non de illo, quod tantum est prius natura, quo pacto subiectum prius est passione. Ad aliud argumentum in primis dico, Deum non concurrere cũ subiecto ad risibilitatis productionem: quia talis productio non est reuera productio, sed emanatio, cum subiectum sit Causa tantum metaphisica passionis, & Concursus Dei est physicus. Nullum autem physicum immediatè requiritur ad productionem metaphisicam. In tantum igitur concurrit Deus ad esse Passionis, quatenus concurrit ad productionem subiecti, à quo est passio: & Passio in tantum dicitur à Deo dependere, in quantum pendet ab alio, quod pendet à Deo. Deinde etiam si concurreret ad productionem passionis, adhuc necessario concurreret, non absolutè, sed ex suppositione; ex suppositione scilicet, quod subiectum produceret. Neque hæc necessitas repugnat Deo, quia ipse sibi talem necessitatem imponit, producendo subiectum, ad quod cum necessario sequitur passio, necessario ad passionem concurrit.

88 Assertio Tertia. Passio non distinguitur realiter à subiecto, sed realiter identificatur cum illo, cum qua identitate reali admitti debet distinctio formalis. Ita Scotus. 1. *p. prob.* Vbi non habentur signa distinctionis realis, non habetur distinctio realis, sed inter passionem, & subiectum non habentur signa distinctionis realis: ergo Passio non distinguitur realiter à subiecto. Mai. patet Min. prob. Subiectum non est separabile à passione, nec è contra: Subiectum non est causa physica passionis. Nec passio, & subiectum subiectantur in diuersis subiectis: ergo inter subiectum, & passionem non sunt signa distinctionis realis. Consequentia patet ex eo quod non sint alia signa talis distinctionis.

Secunda pars. Prob. Quia absolutum quo absolutum non identificat sibi formaliter respectiuum: quia tunc formaliter esset ad se, & non esset ad se: sed subiectum passionis, vt plurimum est absolutum, & passio est quid respectiuum, est scilicet relatio transcendentalis, per quam subiectum respicit actum, quem elicere potest: ergo subie-

biectum non identificat ſibi paſſionem formaliter. Tum quia paſſio non eſt de conceptu formali ſubiecti; nam prædicatur in ſecundo modo de ipſo: ergo non poteſt habere identitatem formalem cum ipſo. Conſequentia patet, quia quod identificatur formaliter cum aliquo eſt de conceptu formali illius: imo multoties nec hoc ſufficit: nam aliquid eſt de Conceptu formali, & tamen diſtinguitur formaliter.

89 Inſtabis. Ex 9. *Metaph. t.* 13. Actus, & potentia ſunt in eodem genere: ergo riſibilitas verb.gr. quæ eſt potentia ad riſum, qui eſt accidens, eſt in genere accidentis: ergo diſtinguitur realiter ab homine, qui eſt in Genere ſubſtantiæ. Eadem autem ratio eſt de omnibus paſſionibus: ergo, &c. Tum quia ſuſcipit Magis, & Minus: quia Vnus Homo dicitur Magis riſibilis, quam alter: ergo eſt accidens diſtinctum realiter à ſubiecto.

Reſpondeo. Auctoritatem illam currere de Potentia, & Actu diuidentibus Ens, ſcilicet de potentia obiectiua, & actu entitatiuo, eſtque ſenſus: id quod eſt in actu entitatiuo, ideſt quod exiſtit à parte rei eſt in eodem Genere quando ſic exiſtit, ac quando eſt in potentia obiectiua in eſse ſcilicet poſſibili: non currit autem auctoritas de potentia operatiua, quæ cum ſit realiter ſubſtantia reducitur ad Genus ſubſtantiæ. Ad aliud negatur antecedens. Quod autem vnus facilius rideat quam alter, non prouenit ex maiori riſibilitate in vno, quam in alio: ſed ex peculiari temperamento Indiuidui: hoc autem temperamentum proprietas non eſt.

90 Ob. Secundo. Actus eſt nobilior potentia ipſum reſpiciente: ergo riſus cū ſit actus eſt nobilior riſibilitate, quę eſt potentia: ergo ſi riſus eſt accidens, riſibilitas etiam erit accidens. Prima, & Tertia conſequentiæ patent. Secunda. Prob. non poteſt accidens nobilius eſſe ſubſtantia; id enim quod dependet non eſt nobilius eo à quo dependet, quod habet nobilius eſſe, nobilius eſt: ergo ſi riſus eſt accidens, iam riſibilitas non eſt ſubſtantia, ſed accidens, aliàs accidens eſſet nobilius ſubſtantia.

Reſpondeo. Antecedens eſſe verum de potentia reſpiciente actum ſubſtantialem, non de potentia reſpiciente actum accidentalem: vt eſt in Caſu. Vel eſt ſenſus, quod reduplicatiuè, actus eſt perfectior, non ſpecificatiuè, ideſt id quod eſt actus, non eſt perfectius; vt tamen eſt actus eſt perfectius. Sicque ſi in materia prima reciperetur immediatè accidens; materia prima abſolutè, cum ſit ſubſtantia, perfectior eſſet illo accidente; illud tamen accidens, quatenus eſſet actus, perfectius eſſet materia prima, quatenus potentia.

91 Contra 2. *p.* ſic inſurges. Si riſibilitas formaliter diſtinguitur ab Homine, tunc præciſa per intellectum, vel homo intelligitur capax riſibilitatis, vel non; hoc ſecundum dici non poteſt: ergo primum; tunc quærendum eſt de illa capacitate, ex quo argumento, vel ſequitur proceſſus in infinitum, vel paſſionem non diſtingui formaliter à ſubiecto.

Reſpondeo. Sufficere ponere capacitate fundamentalem negatiuam. quatenus non repugnat homini in primo ſigno habere in ſecundo Signo riſibilitatem.

92 Percunctaberis. Quid ſit Proprium vt conſtituit Quartum Vniuerſale, ſeù Prædicabile? Reſp. Proprium rectè definiri, & conſtitui in ratione Quarti prædicabilis per eſſe prædicabile de pluribus in Quale accidentale, neceſſario, & inſtranſmutabiliter. Ita Scotus *q.*30. Vniuerſalium. Dicitur, Prædicabile de pluribus, quia ſemper aliqua pluralitas requiritur ad vniuerſalitatem. Ex qua particula colligitur, non in ordine ad ſpeciem conſtituere proprium quartum Prædicabile, ſi ſit pro-

proprium ſpecificum; nec in ordine ad Genus, ſi ſit Genericum, ſed in ordine ad inferiora Generis, vel Speciei. Hæc particula etiam habet rationem Generis, quia per eam conuenit Proprium cum cæteris Vniuerſalibus. Per hoc quod explicitè non additur (Numero vel Specie) attenditur, & ſignificat, proprium vt Quartum Vniuerſale, præſcindere à proprio, tam generico, quã ſpecifico. Dicitur. In Quale; per quam particulam differret à Genere, & Specie, quæ prædicantur in Quid. Dicitur. In Quale accidentale, vt diſtinguatur à Differentia, quæ prædicatur in Quale eſſentiale. Nec ex hoc inferas, proprium eſſe accidens, nam Accidens dupliciter ſumitur, vt contra eſſentiale, vno modo: alio modo, vt cõtra ſubſtantiale; primo modo Proprium accidens eſt: quia non eſt de eſſentia ſubiecti; non vero ſecundo modo: quia ſi vnum ſubiectum quid ſubſtantiale eſt, erit ſubſtantia. Vel vt omnia dubia tollam, dico, quod Proprium eſt accidens per ſe; accidens vero quintum Vniuerſale eſt accidens per accidens, ideſt per accidens conueniens; quæ accidentalitas proprij colligitur ex alijs particulis, quæ ponuntur indefinitione, ſcilicet neceſſario, & inſtranſmutabiliter, per quas differt ab accidente. Quanta vero ſit neceſſitas, & inſtranſmutabilitas, diximus ſuperius.

93 Ex hoc colligendum eſt, quod Proprium in ratione Vniuerſalis, non diſtinguitur ab accidente per conuertibiliter prædicari; nam reuera vt eſt Vniuerſale, non prædicatur conuertibiliter: vt enim eſt Vniuerſale reſpicit inferiora ſpeciei, de quibus ſeorſim prædicatur, cum ipſis tamen non conuertitur in prædicatione: quia licet valeat, eſt Petrus: ergo eſt riſibilis: non tamen vice verſa valet: Eſt riſibilis: ergo eſt Petrus; quæ Conuertibilitas nulli Vniuerſali competit, quia omne vt ſuperius comparatur; ſuperius autem cum inferiori nunquam conuertitur in ſubſiſtendi conſequentia, quia ſuperius magis latè patet, quam inferius. Fateor quidem, Proprium in ratione Proprij, vt reſpicit ſpeciem prædicari conuertibiliter, & per hoc ab accidente diſtingui, quod conuertibiliter non prædicatur; ſed hoc non conuenit ipſi in ratione Vniuerſalis: quia vt reſpicit ſpeciem Vniuerſale non eſt. Et ſi aliquando Scotus videatur diſtinguere Propriũ ab accidente per Conuertibilitatem; non eſt intelligendus de proprio in ratione Vniuerſalis, ſed de Proprio in ratione Proprij.

94 Ob. Primo. Proprium non eſt Vniuerſale: ergo male definitur per prædicari de Pluribus. Conſequentia patet; antecedẽs probatur. Si Proprium eſset Vniuerſale, eſſet Commune; ſed proprium non eſt Commune: ergo non eſt Vniuerſale. Mai. prob. quod eſt Vniuerſale, prius eſt Commune: quia quod habet id quod fundatur, habet id quod fundat; at Vniuerſalitas in communi re fundatur: ergo ſi proprium eſt Vniuerſale, erit Commune. Mi. prob. quia proprium, & Commune opponuntur: ergo quod eſt proprium non eſt Commune, cum oppoſita non ſint ſimul.

Reſpondeo in primis. Quod Proprium vt reſpicit ſpeciem eſt propriũ; & hoc pacto non eſt Commune, ſeu Vniuerſale: vt autem reſpicit Indiuidua eſt Commune, & Vniuerſale; & vt reſpicit iſta non eſt Proprium, niſi ſecundario; quod Proprium ſecundarium, ideſt reſpectu ſubiecti ſecundarij, non opponitur cum Communi. Deinde dico, quod Commune pluribus licet non poſſit eſse cuiuſcumque propriũ, poteſt tamen eſſe proprium omnium; quatenus ita competit omnibus illis, vt non competat alijs; ſicque Proprium reſpiciendo omnia Indiuidua vnius ſpeciei reſpicit illa, & vt omnia illius ſpeciei, & vt ſola illius ſpeciei; reſpi-

ciendo

ciendo illa vt omnia, cum ob omnibus participetur, & de omnibus prędicetur, dicitur Commune, & Vniuersale respectu eorum. Respiciendo illa vt sola, quatenus scilicet, illa sola indiuidua respicit, dicitur Proprium. Proprium itaque, & Commune secundum diuersas rationes possunt eidem Conuenire; nam hoc modo non sunt opposita; quia ad oppositionem non sufficit eidem conuenire; non sufficit respectu eiusdem; sed etiam requiritur secundũ idem, idest, secundum eandem rationem; quorum vnum, quando non adsit, oppositio non habetur: quia malum ex quocumque defectu.

95 Ob. 2. Id quod definitur, vt distinctum ab alio si non sit distinctum, male definitur, vt distinctum; sed Proprium non est distinctum ab Accidente: ergo male definitur si definitur, vt distinctum, sed per allatam definitionẽ, definitur, vt distinctum: ergo male definitur. Min. Prob. Prædicari in quale accidentale constituit tantum vnum Vniuersale: ergo Proprium non est distinctum ab Accidente (loquor in ratione Vniuersalis) Antecedens Prob. Prædicari in Quale essentiale constituit vnum Vniuersale: ergo, etiam vnum Vniuersale cõstituit prædicari in Quale accidentale. Tum quia accidens separabile, & inseparabile spectant ad idem Vniuersale: erg. etiam proprium, & accidens.

Respondeo. Negando Min. ad probationem etiam nego antecedens. Et concesso assumpto negatur paritas. Ideo enim prædicari in Quale essentiale tantum vnum Vniuersale constituit, quia tantum vnus Modus prædicandi in Quale essentiale reperitur. Prædicari vero in Quale accidentale est duplex scilicet transmutabiliter, & intransmutabiliter; proinde duplex debet constitui Vniuersale. Sicuti enim duplex modus prędicandi in Quid constituit duplex Vniuersale; ita duplex est modus prædicandi in Quale accidentale, duplex Vniuersale constitui debet. Ad aliud negatur consequentia, & dico, quod Maior est diuersitas inter Proprium, & Accidens, etiam inseparabile; quam inter accidens separabile, & inseparabile: quia illa inseparabilitas, quam habet illud accidens, nõ arguit aliquid intrinsecum in ipso, ratione cuius distinguatur ab accidente separabili: sed est solum ab extrinseco, quatenus Virtus naturalis nõ valet illud separare: distinctio itaque eorũ, est tãtum ab extrinseco. Per distinctionem autem ab extrinseco inter aliqua non debet poni distinctio ab intrinseco inter illa, cuiusmodi est distinctio Vniuersalium; Propter hoc illa duo accidentia ad idem spectant prædicabile. Distinctio autem, quæ est inter Proprium, & Accidens est ab intrinseco: quia proprium ratione sui inseparabile est. Vnde nec Deus potest ipsum separare, bene ergo ponuntur vt diuersa Vniuersalia.

DISCEPTATIO VIII.

Vtrum Accidens sit Vniuersale, & quid sit?

SVppono quæstionem non currere de Accidente respectu suorum inferiorum; respectu enim illorum vtique fundat Vniuersalitatem, non quidem peculiarem, sed Generis, vel speciei, iuxta diuersa inferiora, quæ respicit. Vnde color in Communi respectu albedinis, & nigredinis, quæ specie differunt, dicitur Genus. Albedo vero in Communi respectu huius, & illius albedinis numero tantum differẽtium, species est. De his vniuersalitatibus quæstio non procedit, sed de Vniuersalitate à cęteris contradistincta.

96 Assertio Prima. Accidens est Vniuersale à cęteris distinctum. Scotus *q.34.* Vniuersalium. Prob. Prima pars

Cui

Cui competit ratio alicuis, competit, & esse illud; sed accidenti competit ratio Vniuersalis; ergo etiam competit esse Vniuersale. Mai. patet. Min. prob. Accidens prædicatur de pluribus cum sui multiplicatione: vt patet, dicendo, Petrus est albus, Paulus est albus; sed Petrus, & Paulus sunt plura alba: ergo accidenti competit ratio Vniuersalis. Secunda Pars. Prob. Quod habet sufficientia distinctiua ab alijs, sufficienter distinguitur ab illis; sed accidens, vt Vniuersale habet sufficientia distinctiua ab alijs Vniuersalibus: ergo sufficienter distinguitur ab illis. Mi. Prob. Distinguitur à Genere, & Specie: quia hæc prædicantur in Quid; accidens vero in Quale. Distinguitur à Differentia; quia differentia prædicatur in Quale essentiale; accidēs vero in Quale accidentale. Distinguitur à Proprio: quia Propriū prędicatur instransmutabiliter, accidens vero transmutabiliter; ergo habet sufficientia distinctiua ab alijs Vniuersalibus.

97 Vrgebis primo. Si Accidens cōstitueret Vniuersale à cœteris distinctum, illud constitueret in ordine ad plura subiecta, sed hoc est falsum: ergo accidens non constituit Vniuersale à cęteris distinctum. Mi. Prob. Si Accidens constitueret Vniuersale in ordine ad plura subiecta, sequeretur. Deum posse ponere vniuersale à parte rei, hoc implicat, ergo Accidens nequit constitui vere Vniuersale in ordine ad plura subiecta. sequela. Mai. Prob. Deus potest ponere vnicam albedinē in pluribus subiectis; quo Casu, cum illa albedo, sine alia abstractione, prædicetur de illis pluribus, daretur Vniuersale à parte rei. Mi. Prob. Quod essentialiter est quid rationis implicat fieri quid reale; sed Vniuersale logicum (de quo disputamus) est essentialiter quid rationis: ergo implicat fieri quid reale: ergo implicat quod detur à parte rei.

Respondeo Neg. Mi. Cum sequela eius probationis, ad cuius probationē, nego in eo Casu dari Vniuersale; nam ad Vniuersale non sufficit prædicari de pluribus, sed etiam requiritur prædicari cum sui multiplicatione. Non sufficit ad participandum aliquid habere aliqua illius, sed requiritur, habere omnia; Posita vero eadem albedine in pluribus subiectis; prædicaretur quidem de pluribus, non prædicaretur tamen cum sui multiplicatione, proinde non esset Vniuersale. Vel esset inadęquate Vniuersale. Quod enim non participat omnia alicuius, sed tantum aliqua, est inadęquate illud; sicuti essentia diuina potest dici species inadęquatè ex hoc quod indicat totam essentiam eorum, de quibus prædicatur: Genus inadæquatè, ex hoc, quod prædicatur de pluribus specie differentibus; non autem adæquatè, quia non multiplicatur. Vel dicendum in tali Casu: illud esse Vniuersale theologicum, vel Supernaturale, quod non implicat dari à parte rei. Sicut essentia diuina est Vniuersale theologicum.

98 Dices, in tali Casu illam albedinem prædicari cum sui multiplicatione; ergo esset Vniuersale logicum adæquatè. Antecedens. Prob. In tali Casu valeret dicere de illis subiectis. Sunt plura alba: ergo prędicaretur cum sui multiplicatione, & sic daretur Vniuersalem logicam à parte rei.

Respondeo. Implicare dicere, quod illa albedo prædicetur cum sui multiplicatione: implicat enim, quod idem numero in pluribus multiplicetur numero in illis; negatur, itaque antecedens, ad probationem dicitur, quod valet dicere sunt plura alba, vt ly plura cadit supra subiecta, non provt cadit supra formam: Estque Sensus; Sunt plura, quæ sunt alba; in quo sensu etiā potest concedi, hæc propositio. Personæ diuinæ sunt plures Dij, idest, sunt plures, qui Deitatem habent.

99 Ob. 2. Vniuersale potest prædicari

cari de pluribus antequam à parte rei existat; sed hoc nequit conuenire accidenti: ergo accidens non est Vniuersale. Mai. enitet: quia ad Vniuersalitatem non requiritur actualis existentia suorum inferiorum: sed sufficit possibilitas eorum. Quod si requiritur actualis existentia, requiritur per illum actum apprehendentem talia inferiora. Mi. patet: quia accidens nequit cōuenire, antequam subiectum existat, & ipsum existat: ergo nequit prædicari ante existentiam subiecti, & sui; quod enim non conuenit alicui, non prędicatur de illo.

Respondeo. Quod licet prædicatio actualis de subiecto nequeat fieri sine existentia subiecti, & accidentis; potest tamen fieri aptitudinalis. Vnde hæc erit differentia inter accidens, & cætera Vniuersalia; quod in cęteris vniuersalibus potest fieri prędicatio etiā actualis sine actuali existentia eorum: Vnde nullo existente homine in rerum natura, hæc est vera, Homo est animal, Petrus est Homo, quia propositiones necessariæ præscindunt ab existentia, quandocumque prædicatum conuenit in primo, vel in secundo modo dicendi per se. In accidente vero nequit fieri prædicatio actualis, quando nō existit: quia Petro non existente, non est verū, Petrus est albus: potest tamen fieri in eo prædicatio aptitudinalis, quæ sufficit ad saluandam eius Vniuersalitatem.

100 Vrgebis 3. Album v.g. ad hoc vt fundet Vniuersalitatem in ordine ad sua subiecta debet abstrahi ab illis. Supponamus subiecta esse Petrum, & Paulum, tunc sic. Vel abstrahitur à Petro, & Paulo vt sic: vel à Petro, & Paulo vt albis. Non primo, quia sic non sunt inferiora albi, sed hominis; non secundo; quia tunc prædicatio sequens non erit accidentalis; nam dicendo, Petrus vt albus est albus, est prædicatio essentialis; prędicatum enim, quod accidit subiecto specificè sumpto est de essentia eiusdem subiecti.

Respondeo. Album ad hoc vt fundet Vniuersale nō debere abstrahi, nec à Petro, nec à Paulo vt sic, nec vt albis, sed ab ipsis vt denominatiuè, & accidentaliter albis. Illa enim ratio debet ab aliquibus abstrahi, in qua est fundamentum abstractionis, & abstractionis fundamentum est conuenientia eorū, à quibus fit abstractio, abstracto autē albo, de illis modo peculiari, prædicatur, proinde peculiare habet fundare Vniuersale.

101 Assertio 2. Accidens est quod adest, & abest subiecto præter subiecti corruptionem. Sic à Porphirio fuit definitum accidens, Ex qua definitione, alia colligitur definitio, scilicet Accidens est quod prędicatur de pluribus in Quale accidentale transmutabiliter. Quæ definitio est bona, vt intuenti liquet.

Solum hic notate, à Porphirio fuisse definitum accidens secundo intentionaliter captum: quia de Accidente reali agere ad Metaphisicum spectat. Tum quia non debet dici, quod vno modo definierit vnum Vniuersale, quo modo cętera non definiuerit, cum omnia Vniuersalia eodem modo in logica considerentur. Et licet videatur ipsum definire per terminos reales: sunt tamen intelligendi logicè. Pro adesse, debet intelligi *Affirmatio*. Pro abesse, *Negatio*; non quod simul, & semel, possit affirmari, & negari: sed quod habet potentiam simul ad affirmationem, & negationem, ita vt, quia accidentaliter affirmatur de subiecto possit sine præiudicio subiecti deinde negari; Nec hoc arguit aliquam vmbram oppositionis; aliud enim est habere potentiam ad opposita simul, & aliud habere simul potētiam ad opposita; vel aliud est habere simultatem potentiæ, & aliud potentiam simultatis: non hoc sed illud concedimus.

102 Dices. Dantur aliqua accidenria, quæ nequeunt adesse, sine subiecti corruptione; dantur aliqua quæ nequeunt abesse sine corruptione subiecti: ergo definitio non competit omnibus accidentibus. Antecedens Prob. Mors nequit adesse sine corruptione subiecti, & tamen Mors est accidens. Calor naturalis abesse nequit sine subiecti corruptione: ergo &c.

Resp. Quod illa particula (sine corruptione subiecti) non intelligitur quo ad existentiam; sed quo ad essentiam. Hinc licet subiectum in tali Casu, quo ad existentiam corrumperetur, non corrumperetur tamen quo ad existentiam, quod sufficit ad saluandam definitionem. Sic absente calore naturali corrumpitur Homo, quo ad existentiam, non quo ad essentiam.

103 Dices. Homo ex aduentu Mortis non esset Viuens: ergo destrueretur aliquod prædicatum essentiale, quod est esse Viuens.

Respondeo. Quod viuens dupliciter sumi potest; vno modo vt dicit actū vitæ; alio modo vt dicit radicem vitæ; primo modo non esset viuens, quo modo esse viuens non est de essentia hominis, secundo modo autem non destrueretur Viuens, quod est prædicatum essentiale Hominis; Vnde homo formaliter Mortus est radicaliter, & essentialiter Viuens.

104 Quæres. Per Quid constituatur Accidens in ratione Quinti Vniuersalis?

Respondeo vt dictum est in prima assertione, constitui in ordine ad sua subiecta alienæ naturæ. De quibus subiectis accidentaliter prædicatur. Satis de Vniuersalibus, tum in Communi, tum in particulari.



PAE-



PÆDIA SEXTA.

De Antepraedicamentis.



VIA Aristoteles Portentum ingeniorum, Alexandri Præceptor, dignus reuera discipulo tanto Magister (Verbis vtor Bussieres,) Magistro discipulus: quia (inquam) Aristoteles ante prædicamentorum tractationem, quorumdam terminorum præmittit declarationem, quæ ideò ante prædicamenta vocantur, seù prædicamenta in Communi; de his erit agendum, scilicet de Definitionibus Vniuocorum Aaquiuocorum, & Denominatiuorum. De duabus diuisionibus: duabusque Regulis. Quæ omnia ad collationem rerum in prædicamentis ponendarum, ordinantur. Vnde sit.

DISCEPTATIO I.

Vtrum. Quæ de Aequiuocis tradit Aristoteles sint Vera?

1 RESpondeo. Nedum Auctoritas Aristotelis, sed Ratio probat id, quod dicitur de Aequiuocis, esse Verum. Ad quod intelligendum notandum ex Scoto *q.5.* Prædicamentorum. Aequiuocum aliud esse æquiuocans, aliud æquiuocatum; illud spectat ad Vocem, hoc ad significata; hoc autem posterius hic definitur, & dicit duplicem relationem, vel habitudinem: vnam suppositionis ad æquiuocans, aliam æquiparantiæ ad aliud æquiparatum: vt Canis terrestris dicit habitudinem æquiparantiæ ad Canem Marinum; nam per primam relationem supponitur huic voci Canis; valet enim, Canis terrestris est Canis, per alteram æquiparatur alteri Cani, vt marino, qui simul, cum altero Cane terrestri, & Cęlesti consignificatur ab hac voce Canis. Hæc duplex relatio patet resoluendo nomen æquiuocatum, idest, æque vocatum; ratione enim primæ partis dicitur ad aliquid, quod est æque cum eo vocatū: vt canis marinus ad terrestrem; ratione secundę partis dicitur ad ipsum vocans, idest ad Nomen. Quod æquè vocat plura. Vnde propter relationem æquiparantiæ definiuntur similia, dissimilia in plurali: propter aliam relationem ponitur correlatiuum definiti, quod est. Vnum Nomen vocans plura..

2 Vnde dicitur. *Aequiuoca dicũtur, quorũ solũ Nomen Cõmune est, secundum vero illud nomen ratio substantiæ est diuersa,*

uersa; Rursus notãda, & põderanda sunt Verba, quæ in definitione ponuntur: Primo cũ dicitur Nomen. Hoc potest capi dupliciter; vno modo pro eo quod casibus inflectitur, & declinatur: vt hæc Musa, hic poeta, &c. Aliomodo pro quacumque Voce, & parte significatiua Orationis, & sic sumitur in Textu; nam ne dum in nomine, sed in Verbo potest cadere æquiuocatio: vt Fero, æquiuocum est ad Porto, & Dico. Lego æquiuocum est ad habere lectionem, & ad colligere. Secundo, cum dicitur. Commune. Hic non accipitur pro eo quod diuiditur secundã partes, vel secundum Vsum: vt liber, quo communiter vtimur omnes, & Prandium Commune, ex quo vnusquisque suam partem sumit, sed capitur Commune pro eo quod æque ab omnibus capitur, vt sonus Campanæ communis est: quia ab omnibus æqualiter percipitur, & sic hic sumitur. Tertio, secundum illud Nomen ratio substantiæ diuersa; nam si Aequiuocum consideretur sub alia habitudine erit Vniuocum: vt si Canis marinus, & Cęlestis sub ratione substantiæ, vel Corporis spectentur, vniuocantur. Quarto dicitur. Ratio substantiæ diuersa. Substantiæ Nomen non hic accipitur pro Prædicamento substantiæ, sed per naturam cuiusque rei, sicuti dicimus, substantiam Nigredinis cõgregare visum, quomodo etiam substantia reperitur in accidentibus. Siquidem in omni prædicamento est reperire quid. *Ex* 1. *topicor. c.*7. Et in accidentibus etiam potest reperiri Aequiuocatio. Illa vero dictio. Ratio. Non hic capitur pro vna Mentis portione, quæ dicitur intellectus; Nec pro ratione computandi, qua dicimus. Redde rationem pecuniæ expensæ. Nec pro aliqua similitudine, sed vt complectitur definitum, & definitionem, atque adeo etiam conceptum, ita vt sit Sensus. Aequiuoca habent vnã vocẽ ęquiuocantẽ communem tantũmodo, sed eorum descriptio, vel definitio est diuersa, si ad Nomen Aequiuocum comparetur.

3 Distinguuntur autem Aequiuoca, vt alia sint à Casu, alia à Consilio. A Casu sunt, quando temerè, vel fortuito est nomen impositum ad diuersa significandum: vt si quis Hic ortus Frãciscus appelletur, alius vero natus Romæ eodem dicatur Nomine. A Consilio autem sunt, cum aliqua habent nomen impositum ad plura significanda, & hoc consulto sit factum: idque multipliciter; vel enim talia æquiuoca à consilio sunt à memoria: vt si Pater imponat filio nomen Aui ad conseruandum eius memoriam; vel sunt à spe: vt cum alicui imponitur Nomen Sansonis, quia speratur futurus talis. Vel erunt secundum similitudinem: vt homo pictus, & Verus. In his igitur, quæ sunt Aequiuoca à Consilio habentia aliquam similitudinem, appellantur communiter Analoga. Quæ autem sunt æquiuoca à Casu, vel à Consilio secundum memoriam, vel secundum spem, sunt purè æquiuoca.

4 Obijcitur contra dicta. Aequiuocum æquiuocans non est Vnum nomen: ergo male dicitur Aequiuoca sunt, quorum nomen est Vnum. Prob. antecedens. Multiplicato eo, quod est formale in aliquo, multiplicatur, & ipsum; sed Ratio significandi est formale in termino æquiuoco: ergo hac multiplicata, multiplicatur, & ipsum: Confirmatur. Sicut modus specificus se habet ad partes orationis, sic ratio significandi se habet ad Nomen; sed vbi sunt plures modi specifici, illa vox dicitur plures partes: vt Amor est Nomen, & Verbum: ergo vbi sunt plures rationes significandi, illa Vox dicetur plura Nomina.

Respondeo. Nomen Aequiuocum Aequiuocans non est ducendum simpliciter pro nomine, sed dicendum Nomen multiplex, idest sub vno multi-

pli-

plicans; nam cum Vna est Vox, & vna ratio significandi, est terminus vniuocus; cum sunt plures rationes significandi, & plures voces, sunt diuersiuoca. Cum vero sunt plures Voces, & vna ratio significandi, sunt multiuoca, quæ à Grammaticis vocantur Synonima: vt Ensis, Gladius, Mucro, & Framea; cum vero sunt plures rationes significandi, & vna Vox eadem significans, dicuntur Aequiuoca ęquiuocantia; hoc est æqualiter plura sub vna voce nominantia. Ad argumentum, negandum est antecedens, quod adhibetur improbatur; Neque enim est verum in animalibus; siquidem composita ex materia, & forma, siuè sint substantialia, siuè accidentalia, non attenditur multiplicatio penes multiplicitatē formarum; sed secundum multiplicitatem Materiæ, vel suppositi: vt in homine licet sint plures formæ, non tamen dicitur plura entia, sed vnum Ens ob vnitatem materiæ, & suppositi: & in Patre licet sint plures relationes ad plures filios, & in artifice ad plures artes, hic nihilominus dicitur vnus artifex, & ille vnus Pater. Ob regulam illam sæpe à Scoto repetitam, & præsertim *in 3.d. 8.q.2. Ad multiplicationem Concretorū, non sufficit multiplicatio abstractorum, nisi multiplicentur, & supposita*. Ita in æquiuoco: cum Vox habeat rationem materiæ, & significatio rationē formæ: si hæc multiplicetur, cum illa maneat vna, dicitur Vnum Nomen. Ad Confirmationem dicendum, quod Nomen non debet appellari plures partes, sed potius pars multiplex: quia modi illi specifici sunt sub vna Voce.

5 Arguitur Secundo. Aequiuocorum solum Nomen est Commune: ergo nihil aliud, & per consequens superfluè ponit Aristoteles. Ratio substantiæ diuersa est. Resp. Primo, non sequi ex hoc, quod solum Nomen est Commune, quod ratio substantiæ sit diuersa; nam plus addit habere rationem diuersam, quam non habere rationem substantiæ communem. Et ideo ad vberiorem explanationem fuit necessario addendum, æquiuocorum etiam rationem substantiæ esse diuersam. Addit secundo Scotus, quod cum dicitur. Solum nomen est Commune Aequiuocatis: hoc refertur ad Aequiuocans. Cum additur. Ratio substantiæ est diuersa. Reffertur ad Aequiuocata, ac si diceret, æquiuocata habent nomen æquiuocās commune: sed Conceptus, vel definitio est diuersa, & ita non ad idem refertur nominis solius communitas, & diuersitas rationis substantiæ. Vel demum dicendum, quod æquiuocata habent rationem diuersam comparata ad Nomen Aequiuocans, æquiuocans autem Nomen nullam habet rationem: idcirco vtrumque explicandum fuit: quod nimirum Aequiuocata habeant æquiuocans nomen Commune: & cum hoc nullam habeat rationem, addendum fuit, quod æquiuocatorum sit ratio diuersa.

6 Arguitur Tertio. Si bona esset definitio, nullum esset nomen Vniuocum, sed omne æquiuocum. Prob. sequela dupliciter; tum quia omne nomen significat mentis conceptum, quia est similitudo illius accidentalis, & naturę: nihil autem est Commune substantiæ, & accidenti: ergo nulla vox, vel nomen habebit rationem Communem conceptui, & rei: sicut nullus conceptus, vel ratio substantiæ est communis homini picto, & vero, ex eodem Aristotele Prob. secundo eadem consequentia, quia Homo significat supposita de quibus vniuocè dicitur, & intentionem speciei; At speciei intentionali, & suppositis hominis non respondet eius conceptus, vel definitio: accidenti enim intentionali, & substantiæ nihil est commune vniuocum: ergo, &c.

Respondeo. Omissa ea responsione, quæ ponitur à Scoto *q.5.* Prædicamentorum, quæ ibi videri potest, quod

de ratione Aequiuoci est, vt æque plura significet, nec vnum subordinetur alteri; ex hoc enim dicitur æquiuocans, idest æquè vocans multa, & tunc neganda est consequentia argumenti. Ad priorem probationem dicendum, quod vox primo significat conceptum, sed per hunc significat vltimatè rem, & sic non æquiuocè, nam conceptus significatus ad rem subordinatur. Ad secundam probationem dicendum; quod nulla Vox, quæ significat rem realem simul consignificat secundam intentionem; neque enim animal ex impositione habet, vt significet Genus, vel homo speciem; sicut Canis marinum, & cælestem significat; sed significant simpliciter sua supposita, quibus vniuocantur; secundæ vero intentiones, animalis, & hominis, applicantur illi supposito significato vniuoco illorum; Quare negandum est simpliciter antecedens, cum probatione, quod videlicet homo supposita, & speciem æquè primo significet.

DISCEPTATIO II.

De Vniuocis.

7 Inquit Aristoteles *Vniuoca dicuntur quorum nomen est Commune, & secundum illud nomen ratio substantiæ est eadem.* Nunc. An definitio hæc sit rectè tradita, dubitatur. Sed respondendum est, exactam esse, quod ex ijs, quæ diximus in definitione Aequiuocorum (nam contrariorum est eadem disciplina) colligi potest. Primo autem Not. quod Vniuoca Vniuocata habent relationem duplicem; vnam suppositionis ad Vniuocum Vniuocans, sub quo sunt tanquam inferiora sub Superiori. Alteram Aequiparantiæ inter se; æquè enim vnum, ac alterum vniuocatum sub vniuocante continetur: de his ergo scilicet vniuocatis datur definitio sic explicanda. Vniuoca sunt, quorum vt conceptorum sub vniuocante est Nomen Vniuocantis Commune, & ratio substantiæ, & Vniuocatis eadem secundum illud nomen Vniuocans.

8 Iterum Not. de ratione Vniuocantis esse, ne dum vt habeat Nomē Commune æquè participatum ab Vniuocatis, sed conceptum vnum simpliciter, & per se distinctum ab vniuocatis inferioribus, in quo ab Aequiuoco Aequiuocante distinguitur; cuius quidem erat Nomen Commune æquiuocatis, sed nullum conceptum ab Aequiuocatis distinctum, dicebat.

9 Not. Tertio. Quod Ratio illa Vniuocantis, quæ est Communis omnibus vniuocatis, istis sit essentialis, vt mox dicemus; non tamen est adæquatè propria; sic enim omnia vniuoca essent eadem essentialiter. Namq; inadæquata, ac propria ratione conueniunt, illa sunt eadem essentialiter inter se, eo enim modo quo conueniunt in tertio, conueniunt inter se; sed duæ species vt Homo, & leo conueniunt in animali, & vniuocantur in eo, nec tamen sunt inter se essentialiter idem; Quare conueniunt quidem in substantia animata sensibili, quæ ratio est essentialis vtrique, sed in neutro istorum animalium est adæquatè propria.

10 Difficultas est. Num illud Nomen Commune, & ratio substantiæ eadem vniuocatis ita conueniat vniuocatis essentialiter: An vero ratio significata per Nomen commune Vniuocantis dicatur de Vniuocatis, siuè accidentaliter, siuè essentialiter? Et hoc vertitur in dubium ob prædicatum denominatiuum: vt album verb. grat. quod dicitur de Homine, & de Equo secundum eamdem rationem, alioquin esset Aequiuocum, & tamen ratio albi non est eadem essentialiter ambobus. Scotus *q. 6. huius libri*. Rationem Nominis Vniuocantis ita vniuocatis conuenire vult, vt sit illis essētialis, quod prob. Hæc enim

enim prædicatio Vniuoca reperitur inter entia vnius, & eiusdem prędicamenti, sicut ipse Aristoteles exemplificat de animali dicto de Homine, & Equo, & accidens non reperitur in prædicmento substantiæ: ergo non vniuocè dicitur de subiectis. Confirmatur ex Aristotele. *cap. de substantia*, qui tribuit secundis substantijs, & differentijs earum prædicari vniuocè de prima substantia. Adde etiam quod *ibidem*, inquit, *Album prædicatur de Corpore, rationem vero albi prædicari de illo est impossibile*; quod est intelligendum hoc modo, vt illa ratio albi non possit esse ratio Corporis. His ergo argumentis motus; concedo rationem Vniuocantis debere esse Communem Vniuocatis, atque etiam illis essentialem. Ad argumentum de Albo dicto de Homine, & Equo, dicendū est non vniuocè de illis dici. Cum infers, dicitur secundum idem Nomen, & secundum eamdem rationem. Respondeo. Quod illa ratio non est Vniuocatis essentialis, ac propterea nō vniuocè dicitur. Si dicatur. Inter Contradictoria non est dare medium; sed prædicari secundum eamdem rationem, & non prædicari secundum eamdem rationem, quorum primum pertinet ad vniuoca, secundum ad æquiuoca, sunt contradictoria: ergo album, & quolibet denominatiuum accidentale prædicabitur altero istorum modorum; sed non æquiuocè, ergo Vniuocè.

11 Respondeo. Ad Mai. inter Contradictoria simpliciter sumpta non dari medium; si vero sumantur cum aliqua determinatione, habent medium: vt Album, & non Album non habent medium, ac alterum illorum de quolibet dicitur; Si vero sumatur cum hac determinatione. Per se, vel Accidentaliter; non dicitur de quolibet; neq; enim Homo est per se, & essentialiter Albus: quia omnis homo esset albus; neque est per se, vel essentialiter non albus: quia nullo modo posset illi conuenire albedo. Ad rem nostram. Prædicari secundum eamdem rationem, vel non secundum eamdem rationem, cuilibet prædicamento conuenit, & ita album prædicatur secundum eamdem rationem, si habeat vnum conceptum, secundum quem de Homine, & de Niue dicatur. Nec propterea potes inferre: ergo vniuocè dicitur de vtroque; nam præter Vnam rationem, vel conceptū, quem debet habere Communem, vt vniuocè prædicetur, requiritur, vt illa ratio, vel conceptus essentialiter, & per se includatur in Vniuocatis. Hoc ipsum est, quod nonnulli dicunt, vniuocationem esse duplicem, quamdam, quæ distinguitur à denominatione accidentali: & hæc reperitur inter entia eiusdem Prædicamenti, quo modo Album de Homine, & de Niue, vniuocè non dicitur: Neque enim prædicatum est eiusdem prædicamenti cum subiectis: alio modo Vniuocatio distinguitur ab Aequiuocatione: & hæc tantum exigit, vt ratio substantiæ sit vna, siuè illa sit essentialis, & intrinseca, siuè accidentalis, & exstrinseca subiectis. Quo modo album potest dici Vniuocum, quod Scotistæ breuibus dicunt esse Vniuocum prædicatum, licet non vniuocè prædicetur.

12 Quæres. Num inter Vniuoca, & Aequiuoca dentur media Analoga?

Respondeo. Negatiuè cum Scoto 1. *d.*3. *q.*3. *& dist.* 8. *q.*3. *F. In Vniuersalibus q.*7. *& quæst.*8. *Elenchorum, asserentem, Analogiam non mediare inter Vniuocum, & Aequiuocum tanquam membrū ab illis distinctum; sed modo cum vno, interdum cum altero cohærere.* Prob. etiam. Inter contradictoria non datur mediū: sed Vniuoca, & Aequiuoca, vel sunt Contradictoria, vel saltem ad ipsa, sequuntur contradictoria: ergo inter ipsa non dantur media analoga. Mai. claret. Min. prob. Esse idem, & non esse idem sunt contradictoria: sed ad rationem Vniuocorum requiritur identitas, & ad ra-

rationem Aequiuocorum requiritur non identitas, vel ſaltem diuerſitas, ad quam ſequitur non identitas: ergo sũt Contradictoria. Deinde ipſa Analoga, vel habent eamdem rationem ſubſtantiæ, vel diuerſam; ſi primum, ſunt Vniuoca; ſi ſecundum, ſunt Aequiuoca: ergo non dantur Media Analoga.

13 Obijcies. Medium participat de extremis, ſed Analogum participat de Vniuocis, & Aequiuocis: ergo eſt Medium inter vtrumque. Mai. patet. Min. prob. Nam Analoga definiuntur. Quod ſint illa, quorum nomen eſt Commune, ratio vero ſignificata per Nomen, partim eſt eadem, partim diuerſa: at dum dicitur, partim eſt eadem participat de Vniuocis, & dum dicitur, partim diuerſa, participat de Aequiuocis: ergo Analogum participat de Vtroque, atque adeo erit medium inter Vtrumque.

Reſpondeo. Nos non teneri concedere illam definitionem: quia cum non fuerit tradita ab Ariſtotele, à quo tradi debuiſſet, ſi Analoga Media dari deberent, vt ſciremus, an ad Categorias ſpectarent, vel non, ſed fuit tradita ab Admittentibus Analoga media, quibus tamen credere non tenemur. Tamen quia ab omnibus acceptatur, ideo & nos illam acceptare ſumus contenti, ſic tamen illam explicantes: vt ſi ly partim eadem, partim diuerſa, capiatur copulatiuè. Negamus; ſi vero diſiunctiuè, Concedimus. Ita quod faciat ſenſum, quod Analoga ſunt illa, quorum Nomen eſt Commune; ratio vero ſignificata per Nomen, vel eſt eadem, vel diuerſa: Vnde ly partim eadem, partim diuerſa ponitur non ad dandum tertium Genus medians inter Vniuoca, & Aequiuoca, vel inter idem, & diuerſum: quia hoc eſt impoſſibile, cum ſint contradictoria: ſed ad oſtendendam indifferentiam Analogorum ad eſſe Vniuoca, vel Aequiuoca, pro vt eius ratio ſe habebit reſpectu eorũ à quibus conuenit. Vnde Analogum, vel eſt analogum Vniuocum, vel analogum Aequiuocum. Analogum Vniuocum, ſi ratio vna, & eadem conuenit Multis cum ordine vt prius dicatur de vno: quam de altero: vt animal, quod prius, id eſt nobilius, dicitur de Homine, quam de Bruto. Analogum vero Aequiuocum, ſi ratio ſit diuerſa, in Multis, ſeruata ſimilitudine vnius cum altero: vt Riſus de Homine, & prato florente. Quapropter duplex eſt Vniuocum, & totuplex Aequiuocum, ſcilicet Vniuocum purum, & Analogum. Ita Aequiuocum purum, & analogum. Vniuoca, & Aequiuoca pura ſunt illa à nobis ſuperius definita, analoga vero ſunt illa, quæ ſeruato aliquo ordine dicuntur de pluribus, quibus ſunt Communia: igitur corruit argumentum.

14 Dices ergo ſaltem inter Vniuoca pura, & Aequiuoca pura dantur Vniuoca analoga media.

Reſpondeo. Quod iſtantia tantum probat quædam Vniuoca diſtingui ab alijs negatiuè, quod eſt dicere, quædam ſunt vniuoca analoga, & quædam Vniuoca duntaxat.

Dices. Analogia ſuperaddit aliquod poſitiuum Vniuocis, & Aequiuocis: ergo debet conſtituere Genus diſtinctum ab illis.

Reſpondeo. Analogum reuera importare habitudinem realem vnius rei ad aliam: ſed quia iſta habitudo accipitur ab ipſa re, ſeù à proprietate rei; ideo reponitur in eodem Genere cum ipſa re, ideſt ſi res eſt Vniuoca, & habitudo eſt Vninoca, ſi Aequiuoca, & habitudo Aequiuoca.

Dices. Analoga habent definitionem diuerſam ab Aequiuocis, & Vniuocis: ergo ſunt diuerſa ab illis.

Reſpondeo. Negando Antecedens. Nam definitio analogorum eſt reducibilis ad definitionem Vniuocorum, ſi

ſint

sint Vniuoca, vel ad definitionem Aequiuocorum, si sint Aequiuoca. Vnde aduertite, quod Analoga inæqualitatis reducuntur ad Vniuoca; Analoga vero Attributionis, & Proportionis ad Aequiuoca reducuntur.

Dices. Scotus 1. *d.*8. *q.*3. *E.* docet. Vnitatem analogiæ, quam ibi vocat attributionis, esse vtique maiorem Vnitate Aequiuocationis, sed minorem vnitate Vniuocationis: ergo est Media.

Respondeo. Scotum ibi tantum velle. Analogum esse indifferens ad hoc vt sit Vniuocum, vel Aequiuocum, pro vt eius ratio se habebit respectu eorum, quibus conuenit.

15 Pro totali intelligentia huius materiæ Analogorum. Sciendum, Analogorum Tutores sic analoga describere. *Analoga sunt, quorum nomen est Commune, ratio vero significata per nomen non est omnino eadem, nec omnino diuersa*: vt sanum respectu animalis, pulsus, & Medicinæ. Omnia enim ista dicuntur sana, sed non eodem modo: Animal dicitur sanum propter sanitatem existentem in ipso formaliter. Pulsus dicitur sanus; quia sanitatem significat, Medicina dicitur sana, quia efficit sanitaté. Omnes species Analogiæ ad tres Communiter reducuntur. Prima est Analogia Inæqualitatis; secunda Attributionis. Tertia, Proportionis. Prima est quando Nomen est Commune, & ratio substantiæ est omnino eadem secundũ illud Nomen, sed tamen participatur ab illis inæqualiter, scilicet secundum prius, & posterius; quod communiter intelligi debet de prioritate, & posterioritate perfectionis: vt Corpus respectu Corporum Superiorum, & inferiorum; habet enim eamdem rationem in illis; sed perfectiori modo reperitur ratio Corporis in Corporibus Cælestibus, quam in istis Sublunaribus.

Secunda tunc est, quando Nomen est Commune, ratio vero substantiæ partim est eadem, & partim diuersa; est eadem quatenus ordinatur ad eumdem terminum Communem secundum diuersas habitudines: vt patet in allato exemplo de sano respectu Animalis, pulsus, & Medicinæ.

Tertia tunc est, quando Nomen est Commune, & ratio substantiæ secundum idem Nomen est proportionaliter eadem: vt Risus respectu hominis, & respectu prati florentis. Similiter Pes, qui dicitur de Pede animalis, & de radice Montis, & de base lectuali; nam inter hæc videtur esse aliqualis proportio, sicut enim se habet risus ad hominem; ita florere ad Pratum. Plurima alia vide in alijs.

DISCEPTATIO III.

De Denominatiuis.

16 INquit Aristoteles. *Denominatiua dicuntur, quæ ab aliquo solo differentia casu, secundum illud Nomen, habent appellationem*: vt à Grammatica Grammaticus, à Fortitudine Fortis. Hic Not. quod ad Denominatiuorum rationem quatuor exiguntur. Primum, quod habeant appellationem secundum Nomen ab aliquo, idest vt ab aliqua denominante Forma sortiantur denominationem: vt à fortitudine, quæ est forma denominans dicitur fortis, quod est denominatiuum; ac propterea ex hoc sequitur, vt denominatiuum sit Concretum. Secundum quod differant Casu, siuè determinatione à forma denominante; Casu (inquam) non secundum declinationem, vt alius sit Casus recti, aliud sit Casus obliqui; sed secundum Cadentiam, vel terminationem Vocis: vt fortitudo, & fortis, hoc modo differunt; hæc autem variatio debet esse in fine Nominis, & Dictionis, non in principio; si enim sit in principio, potest mutare totale significatum; quamuis conueniat in fine: vt si dicamus; Prudentia, & Sapientia, quæ con-

ueniunt in fine; sed diuersum est principium. Tertium, quod non sit alia Variatio in Nomine, & in dictione, nisi in terminatione; Vnde idem nomen debent habere forma denominans, & denominatiuum, variata tamen terminatione: vt Mansuetudo, & Mansuedo, Fortitudo, & Fortis. Quartum, quod forma denominans, vel id à quo sumitur denominatio, & id quod denominatur, sint alterius naturæ: vt fortitudo est alterius naturę ab homine forti: ergo sequitur, quod denominatio, vel Prædicatio denominatiui est accidentalis.

17 Rursus Not. Quædam dici Denominatiua secundum rem, & non secundum Vocem; hoc est, quæ conueniunt in significato, & non in voce: vt Virtus, & Studiosus; Studiosus enim dicitur is, qui est Virtutis particeps: nec tamen à Virtute deriuatur studiosus. Quædam autem dicuntur denominatiua secundum Vocem, & non secundum rem: vt studiosus à studio dicitur, nec tamen conueniunt quo ad rem: Studium significat diligentiam, studiosus est virtute præditus. Quædam vero dicuntur denominatiua secundum rem, & Vocem: vt potè quæ in voce, & significato conueniunt: vt Sapientia, & sapiens; & hæc definiuntur hic. Fatendum tamen est ex Aristotele *6. metaph. t.6.* quod omnis prædicatio accidentalis, & extrinseca dici potest denominatiua: is enim putat, cum accidentia sint alterius naturæ à substantia, denominatiuè de hac prædicari.

18 Inferendum est postremo, quod cum ex quarta Cōditione, Denominatiua debeant esse alterius naturæ à forma denominante, superiora in recta linea prædicamentali, non propriè prędicantur ad modum relatiuorum. Vt si dicatur. Homo est animalis, vel substantialis; imo nec in accidentibus, dicimus, albedo est colorata: inferiora autem de superioribus, cum sint extra naturam illorum, & sint illis extranea, possunt denominatiuè prędicari: vt color est albus.

19 Vnum occurrit quærendum in hac definitione ab Aristotele tradita, quod est. An Denominatiuum, vel Concretum idem significet, quod abstractum? Formam scilicet an aliud, scilicet subiectum?

Respondeo. Cum Scoto *q.8.* quod Concretum, vel denominatiuum, tum in rebus naturalibus, tum artificialibus, significat Primo formā; ex modo vero significandi connotat subiectum: absolutè autem potest dici, quod significat formam in Concreto. Hoc autem Scotus declarat, & probat. Declaratio autem est talis. Cuilibet modo intelligendi correspondet modus significandi: siquidem Voces sunt signa earum, quæ sunt in anima, passionum notæ. Ex Aristotele 1. perihermen. Contingit autem dupliciter intelligere accidens, vno modo intellectione præcisiua: hoc est præscindendo naturam illius ab essentia subiecti: est enim essentia subiecti distincta ab essentia accidentis, & è conuerso, alioquin accidens non esset per se in alio Genere à subiecto: alio modo contingit intelligi eandem essentiam accidentis, in quantum informat subiectum, vt scilicet actu inhæret ei: Primo modo intelligendo, correspondet modus significandi abstractus, & secundo modo, Modus significandi cōcretus: sed vtroque modo intelligendi intelligitur eadem essentia accidentis: ergo per vtrumq; Modum idem significatur, sub diuerso tamen modo significandi: quoniam per abstractum intelligitur forma, per Concretum eadem, licet hoc connotet subiectum. Per modum secundum intelligendi, intelligitur forma inhærere: quo modo non intelligebatur per primum Modum intelligendi. Probatio autem deducitur ex Aristotele *in hoc loco* dicente, quod *denominatiua differunt solo Casu à principalibus*, seù denominantibus: ergo non diffe-

differunt ſignificato; denominãtes autem formæ, vel abſtracta non ſignificant ſubiectum. Quia tunc non eſſent in aliquo Genere, nam dicerent Vnum per accidens, nimirum naturam accidentis, & ſubſtantiæ: ergo nec denominatiua ſignificant primo ſubiectum. Item inferius *cap. de ſubſtantia*, inquit, quod *album ſolam qualitatem ſignificat*. Item 4. *metaph. t.* 11. inquit. Hęc tria, Album, Muſicum, Homo, diuerſas res ſignificare, non eandem; ſed ſi Album, & Muſicum, quæ ſunt denominatiua ſignificarent primo ſubiectũ, cum hoc ſit vnum, & idem; nam idem Homo eſt albus, & Muſicus, non ſignificarent rem diuerſam, ſed eamdem. Item 1. *Perihem. cap.* 3. ait. *Nomen ſignificare, nihil aliud eſt, quam aliquid intellectui repræſentare*, ideſt, cauſare rei cognitionem in intellectu: ita vt, audito tali nomine, ſtatim intellectus rem ſignificatam concipit: ſed cum dico Album primo, & principaliter ingerit intellectui conceptum albedinis: ergo hanc ſignificat.

Poſtremò. Impoſſibile eſt, rebus diuerſorum generum Generaliſſimorum eſſe aliquam rationem ſubſtantiæ Cõmunem: ergo Nomen, quod ſignificat ſubſtantiam, & Accidens, non poteſt eſſe vniuocum. Si igitur Concretum æque primo, & accidens, & ſubiectum ſignificaret, eſſet ſimpliciter Aequiuocum. Hoc autem eſt perperam, tum quia propoſitio, in qua ponitur Concretum, non eſt ſimpliciter vera: tum quia in Concretis nulla eſſet contradictio: tum quia nulla paſſio, quæ dicitur in Concreto de ſubiecto, poſſet de eodem demonſtrari: quæ omnia ſunt abſurda.

20 Sed obijciet aliquis. Concreta vt talia ſunt, differunt ab abſtractis, vt abſtracta ſunt; ſed vt talia non differunt niſi per ſubiectum, quod à Concretis ſignificatur, & non ab abſtractis: ergo Concreta dicunt principaliter ſubiectum. Confirmatur. Si Concreta ſecondario conſignificarent, ſeù cõnotarent ſubiectũ, tunc abſtractum non differret à Concreto. Prob. ſequela: quia etiam accidens per abſtractum ſignificatum, ex eo quod naturaliter dependet à ſubiecto, illud neceſſario connotat, & per illud definitur: ergo Concretum, vt differt ab abſtracto, ſignificabit principaliter ſubiectum.

Reſpondeo. Concretum differre ab abſtracto: quia ex ratione ſignificandi connotat ſubiectum: quod non facit abſtractum; nam albedo, vt accidens eſt, dicit quidem dependentiam aptitudinalem ad ſubiectum; non autẽ ex modo ſignificandi connotat actualẽ inhærentiam cum ſubiecto, quod facit Concretum, & per hoc diſtinguuntur.

21 Obijciet ſecundò. Terminus idem ſignificat, quod ſupponit; ſed Concretum ſupponit pro ſubiecto: ergo illud ſignificat. Mai. Prob. Quia terminus ſupponens, ex hoc quod ſupponit, non habet nouum ſignificatum. Min. prob. ex 1. *poſt. c.* 35. Hoc eſt per accidens, Album eſt lignium; ſed illud, cui accidit album eſt ſubiectum: ergo ſupponit pro ſubiecto.

Reſpondeo. Aliud eſt, terminum ſignificare: aliud eſt, terminum ſupponere: primum competit termino ex nulla comparatione ad prædicatum: ſecundum vero, competit ei, per comparationem ad prædicatum. Vnde datur Regula logicalis. Taliter ſupponunt ſubiecta, qualiter permittuntur à prædicatis. Hinc fit, vt in ſuppoſitione ſimplici, terminus ſupponat pro natura in ſe: vt Homo eſt ſpecies. Species facit vt Homo ſupponat ſimpliciter; in ſuppoſitione autẽ perſonali, ſupponit pro ſingulari: vt Homo currit, & hoc ratione prædicati accidentalis: quod natum eſt primo conuenire ſuppoſitis, & per ſuppoſita naturę in Communi. Nunc dico, quod terminus abſolutè

acceptus idē significat, quod supponit, & in suppositione simplici significat naturā Cōmunē, & per eandē supponit. Si vero in ordine ad prædicatum aliquod, quod natum est conuenire supposito, vel subiecto, tunc supponit terminus substantiæ Communis pro inferiori: vt Homo currit; licet Homo significet naturam Communem, supponit tantum tamē pro aliquo indiuiduo; terminus autem accidentalis in ordine, & comparatione ad prædicatum, quod natum est conuenire subiecto, supponit pro subiecto, quatenus non subiectum primo significet, sed formā. Quare ad Maiorem breuiter respondendum est, cum dicitur. Terminus idem significat, quod supponit, si intelligatur primo, & per se, idest quod sit significatum termini cōmunis, & suppositio illius, falsum est, nam potest aliquid primo significare, & tamen non pro illo primo supponere, sicut in exēplo allato; Album est Musicum: Si Maior autem intelligatur, quod terminus idem significet, siue primario, siuè secundario. Concedenda est, & tunc ad Minorem. Album significat secundario subiectum, vel potius illud connotat, & pro eodem supponit.

Cōtra. Dictio exclusiua excludit quodlibet, quod est extra significatū termini. Sed dictio exclusiua addita termino concreto non excludit subiectum: ergo subiectum est per se significatum Concreti. Prob. Min. cum dico. Tantum album currit, non excluditur Corpus: imò necessario includitur, non enim ad formam, qualis est albedo, sed ad subiectum, pertinet Cursus.

Respondeo ad Mai. Sic esse intelligendam, quod dictio exclusiuā excludit quodlibet distinctū in subiecto à significato termini, non autem excludit quodlibet, quod est in eodem subiecto.

Explico. Cum dico. Tantum Homo currit. Excluditur quidem aliud distinctum ab Homine essentialiter, quod non est in homine: non tamen risibile, vel aliud, quod dicitur de Homine: ita hic; cum dico. Tantum album currit, excluditur quodlibet, quod non est in eodem subiecto, vt nigrum albo appositum: non autem excluditur Corpus, cui albedo inhæret. Quod si iuferas: ergo Corpus est de intrinseca ratione significationis termini. Nego consequentiam: nam nec risibile, nec album, est de intrinseca ratione Hominis, quorum neutrum tamen excluditur in ista propositione. Tantum Homo cnrrit.

22 Obijciet demum. Concreta nō prędicantur de formis, sed de subiectis: ergo non formas, sed subiecta significant. Antecedens patet. Quia non vere dicitur. Albedo est album, sed subiectum illius vere dicitur est album: ergo &c.

Respondeo. Negando consequentiam non enim est idem prædicari de aliquo, & significare illud; nam Aristoteles 4. *metaph. t.* 11. ait: Hæc tria non idem significare, Album, Musicū, & Homo: & nihilominus album, & Musicum de eodem Homine dicuntur: ergo aliud est significare aliquid, & dici de aliquo: Vnde Concreta significant formas, & tamen de illis non dicuntur.

DISCEPTATIO IV.

De Regulis Antepradicamentalibus.

23 DVAS Regulas tradit Aristoteles, quarum vtraque est examinanda. Vna est. Quando vnum prædicatur de altero, quæcumque de eo quod prædicatur dicuntur, de subiecto hæc omnia dicuntur: vt homo de quodam homine prædicatur: animal vero de homine: ergo, & de quodam homine animal prædicatur. Hanc Regulam

gulam aliqui sic extendunt, vt putent, quod dicitur in Quid de prædicato; dici etiam de subiecto: vt Homo est albus; album est coloratum: ergo Homo est coloratus. Alij etiam extendunt ad prædicatum quodlibet accidentale: vt Homo est animal; animal est album: ergo Homo est albus. Aliqui extendunt etiam ad prædicatum negatiuum: vt Homo est animal, animal non est insensibile: ergo Homo non est insensibilis: sed extensio est extra Mentem Aristotelis: nam Aristoteles hic tradit istam regulam: vt ex ipsa habeatur habitudo, & ordo eorum, quæ in eodem prædicamento reponuntur secundum sub, & supra; at Prædicata accidentaria non reponuntur in eodem prædicamẽto substantiæ, nec negationes per se: non ergo de his intelligit Philosophus. Aduersatur etiam hæc expositio Veritati; nam ex prima expositione posset sic argui. Homo est albus: albedo est color: ergo Homo est color: quod est falsissimum. In secunda expositione est fallacia consequentis: potest enim antecedens esse verum sine consequente: vt potest, animal esse album, & tamen Homo non erit albus. Similiter erit fallacia, si dicatur Homo est albus; album est Musicum: ergo Homo est Musicus, siquidem antecedens poterit esse verum sine consequente. Ex tertia vero expositione posset sic vrgere. Corpus est substantia; substantia non est composita: ergo Corpus non est compositum: vel substantia non est corporea, vel incorporea: ergo Corpus non est corporeum. Quare, & si in aliquibus consequentia valeat secundum istas expositiones, non tamen est consequentia formalis.

24 Dicamus ergo cum Scoto, quod Aristoteles intelligit de prædicatis essentialibus, siuè illud sit Genus, siuè species, siuè differentia, ita vt sit sensus. Quando aliquid prædicatur essentialiter, vel per se de subiecto; quidquid essentialiter, & per se dicitur de prædicato, dicitur etiam de subiecto; quomodo Animal essentialiter, & per se dicitur de Homine; & viuens per se, & essentialiter dicitur de Animali: ergo Viuens per se, & essentialiter dicitur de Homine. Similiter per se, & essentialiter de Homine dicitur Rationale, & de hoc sensibile per se, & essentialiter dicitur: ergo Homo est per se sensibilis. Quare dicẽdum cum arguitur. Homo est Animal; animal est Genus: ergo Homo est Genus; ne dum esse falsam argumentationem, quoniam variatur suppositio animalis, sed quod pertinet ad nostræ Regulæ expositionem; Genus per se, & essentialiter non dicitur de Animali.

Aliam Regulam assignat Aristoteles, quæ duas continet partes. Vna est. Quod diuersorum Generum, & non subalternatim positorum diuersæ sunt species, & differentiæ: vt Animal, & Scientia. Idest, Genera diuersa subalternatim non posita, habent differentias, & species diuersas. Secunda pars Regulæ est. Subalternatorum Generum eædem sunt differentiæ. Hæ autem indigent declaratione. Genera diuersa, & non subalternatim posita sunt ea, quæ sunt alterius, & alterius Prædicamenti, vt ipse Aristoteles explicat exẽplo, Animalis, & Scientiæ, quorum alterum in prædicamento substantiæ, alterum in prædicamento Qualitatis reponitur. Genera vero subalternatim posita dupliciter potest intelligi, vel cum vnum sub altero continetur, vt animal sub Viuente, Viuens sub Corpore continetur; alio modo cum ambo sub vno continentur; sed vnum sub altero non continetur: vt gressibile, & volatile; ambo sub animali sunt; neutrum tamen est sub altero. Ex quo probo secundum punctum, vel partem Regulæ, posse etiam verificari de Generibus subalternatis secundo modo dictis; nam gressibile, & volatile habent differentias constitutiuas animalis,

lis, Viuentis, & Corporis; sed non propriè dicuntur Genera subalterna, vel subalternatim posita quorum neutrum est sub alio, licet vtrumque sit sub tertio. Quare cum Aristoteles dicat. Subalternorum Generum, &c. diuersas esse differentias. Propriè intelligit de illis, quorum vnum est sub alio: vt Animalis eædem sunt differentiæ, quæ Viuentis, & Corporis. Loquor autem de Constitutiuis, de quibus propriè ex Sententia Aristotelis valet Regula.

25 Illud vero est hic animaduertendum, differentias superiorum esse etiã inferiorum, licet inadæquatè, vel non vltimatè; Neque enim differentia constitutiua animalis est vltimata hominis, nec differentia Viuentis est adæquata, & vltimata animalis; è conuerso vero differentiæ inferiorum non formaliter, vel essentialiter superioribus conueniunt: vt Rationale, quo Homo constituitur, essentialiter, vel formaliter ad Animal non pertinet, licet potentialiter sit illud.

26 Ex his facile est decidere quæstionem illam, qua quæritur. Vtrum aliquid idem possit esse in diuersis Generibus? Breuiter enim ex mente Scoti Resp. ex *primo topicorum*, quod idem est multiplex. Idem Genere, quæ scilicet conueniunt in Genere vno: vt Homo, & leo in animali. Idem specie: vt Sortes, & Plato in homine sunt idem. Idem proportione, sicuti sunt ea, quæ habent similitudinem in similiter essendo; sicuti color se habet ad albedinem, æque ac Animal ad hominem, & per consequens sunt idem proportione. Idem numero, quod dicitur idem accidente: vt Sortes, & albedo in eodem subiecto. Idem proprio: vt Homo, & risibilitas. Idem definitione: vt Homo, & animal Rationale. Hæc autem identitas numeralis in accidente est identitas secundum quid, nec potest ex illa inferri vnum specie, sicut vult Aristoteles 7. *metaph.* quod vnum numero infert vnum specie, quod intelligendum est de identitate Numerica, Proprio, ac Definitione.

27 Hinc Assero. Idem Proportione, & accidente, potest esse in diuersis Generibus: vt Color, & Animal, quæ sunt eadem proportione: Sortes, & Album, quæ sunt idem accidente, sunt in diuersis Generibus. Idem autem Specie, idem Genere, idem proprio, idem definitione, non sunt in diuersis Generibus. Prob. Quia ad essentiam eorum, quæ sunt idem specie, & Genere, & proprio, & definitione pertinent eadem species, eadem Genera, idem proprium, eadem definitio: alioquin non essent tali identitate eadem: at non possunt esse diuersa Prædicamenta: quia res diuersorum Prædicamentorum non sunt de essentia eiusdem; tunc enim substantia componeretur ex non substantijs, vel accidens componeretur ex non accidentibus: ergo quæ sunt tali identitate eadem, in eodem sunt Prædicamento.





PÆDIA SEPTIMA.

De Prædicamentis.



ABITA Ante prædicamentorum Cognitione, ipsorum Modo Prædicamentorum, iuxta eiusdem Aristotelis Methodum, cognitio superest inuestiganda, quam maiori breuitate, vt fieri possit, præstabunt sequentes desceptationes, Prædicamenta vero denario compræhenduntur numero, & hoc alio carmine vulgantur.

In Campo Magno Pugnat, Patiturque per Annos
Filius Existens per se. Stat Qualis in Armis.

In Campo Vbi denotatur. Magno Quantitas. Pugnat Actio. Patitur Passio. Annos Quando. Filius Relatio. Existens per se Substantia. Stat, Situs. Qualis Qualitas. Armis Habitus. De His omnibus agendum venit. Incipiamus à nobilissimo omnium, scilicet à substantia. Sit ergo.

DISCEPTATIO I.

De Substantia.

1 TOtam substantiæ Naturam redigam in Compendium, quibusdam propositis propositionibus ab Aristotele hic traditis: quarum singulas explicabo breuiter, proposita aliqua difficultate, vbi opus sit.

MANTISSA PRIMA.

Dubia circa Primam Propositionem Textualem occurrentia resoluuntur.

PRopositio Prima Textualis est hęc. Subintellecta diuisione substantiæ in primam, & secundam; definiendo primam sic inquit Aristoteles. *Dicitur substantia Prima, quæ propriè, principaliter, & maximè substare dicitur, & quæ neque in subiecto est, nec de subiecto dicitur*. Circa quam nonnulla occurrunt ponderanda.

Primum. Quid nã hic diuidatur? Ad cuius solutionẽ habendã, præmittendũ est, substantiam non vno modo accipi in scolis. Siquidem sumitur aliquando pro essentia cuiuscumque rei; & sic distinguitur ab eo, quod non est essentiale; alio modo sumitur, vt distinguitur contra accidens; quo modo ens scinditur in substantiam, & accidens. Tertio modo sumitur pro omni eo, quod siuè directè, siuè indirectè, siuè per se, siuè reductiuè ponitur in prædicamento substantiæ; quomodo differentiæ, partes, siuè essentiales, siuè integrales substantiæ, hoc nomine nuncupan-

cupantur. Poſtremò ſubſtantia ſumitur pro aliqua cōmpleta natura reponibili in prædicamento ſubſtantiæ directè, & in hac acceptione, dupliciter ſumi poteſt; vno modo, vt dicit conceptum cōmuniſſimum omnibus exiſtentibus in recta linea prædicamentali, quo ad prædicatum eſſentiale eorumdem, nunquam vero accidentale; & ſic eſt ſubſtantia abſtracta à corporea, & incorporea, quæ eſt Genus Generaliſſimum; ſecundo modo ſumitur vt includit quidquid in recta linea prędicamentali eſt à Generaliſſimo, vſque ad Indiuiduum. His ſtantibus.

2 Aſſertio. Per ſupradictam diuiſionē nō diuiduntur Voces. Vox enim, vel Nomen primæ ſubſtantiæ nequit propriè, & principaliter, & maximè ſubſtare. Neque nomen ſubſtantiæ eſt, quod neque in ſubiecto eſt, neque de ſubiecto dicitur. Nec Nomen ſignificans ſubſtātiam poteſt dici ſubſtātia prima, vel ſecunda. Nec diuiditur ſubſtantia, quatenus imbuit rationem Generaliſſimi. Quod enim diuiſiuè ſe habet, neutrum eſt partium diuiſibilium. Vel vt inquit Scotus 1.*d*.8.*q*.3.*E*. Cōceptus Communis duobus eſt neuter formaliter. Claret autem ſubſtantiam, quatenus eſt Generaliſſimum Genus, eſſe ſecundam ſubſtantiam, cum ſecundæ ſubſtantiæ ſint Genera, vel ſpecies: ergo ſubſtantia, vt genus Generaliſſimum, nō eſt diuiſum. Sed eſt Natura Communis per ſe exiſtens, & prædicans per ſe de omni poſito in linea prædicamentali, & ab omnibus his abſtracta. Prob. Nam cum diuiſum non ſit ſubſtantia, vt Genus Generaliſſimum, conuincimur ad dicendum eſſe naturam communem à prima, & ſecunda abſtractam, perſeitate prædicta de omnibus in linea ſubſtantię exiſtentibus, prædicantem.

3 Dices. Natura Communis Non abſtrahit ab Vniuerſalitate: ergo induit rationem Generis, vel ſpeciei; ergo non abſtrahit à ratione ſecundę ſubſtantiæ.

Reſpondeo, diſtinguendo Antecedens. Natura Communis non abſtrahit ab vniuerſalitate reduplicatiuè, nego: ſpecificatiuè, concedo. Hoc modo induit rationem Vniuerſalis Generici, ſed primo modo neutra eſt.

Secundum, quod prælibandum venit eſt contra primæ ſubſtantiæ definitionem, quam non nulli putant eſſe duplicem, vnam. *Qua proprie, principaliter, & maximè ſubſtare dicitur*; aliam; *Quæ nec de ſubiecto dicitur, nec in ſubiecto eſt*. Nonnulli putant eſſe Vnā; ita vt per hāc, Quæ propriè, principaliter, & maximè ſubſtare dicitur, circumloquatur Ariſtoteles, ſubſtantiam primam. Alij tandem fatentur, per hac verba. Proprie, Principaliter, & Maximè ſubſtare dicitur, idem ſignificari, & vnam eſſe magis expreſſiuam alterius, ſed Melius.

4 Dicendum. Subſtantiam Primam dici propriè ſubſtare ad differentiam accidentium, quæ propriè non ſubſtāt; nam Vnum licet ſit ſubiectum alterius proximum, & immediatum: vt ſuperficies albedinis: non eſt, nec poteſt eſſe ſubiectum vltimatum. Dicitur, Principaliter, ad differentiam ſecundarum ſubſtantiarum; quæ licet ſubſtent accidentibus; non tamen vt vniuerſales ſunt, ſed vt in ſingularibus, vel in primis ſubſtantijs exiſtunt: neque enim homo eſt albus, niſi quia hic homo eſt albus. Additur, Maximè ad differentiam vtriuſque, tum accidentis, tum ſubſtantiæ: vel ad differentiam Generum, quæ minus omnium ſubſtant. Quod vero additur. Nec de ſubiecto dicitur, nec in ſubiecto eſt. Ly de ſubiecto dici, ſignificat (in caſu) prædicari eſſentialiter de aliquo ſuppoſito, vel inferiori in recta linea prædicamentali: Eſſe vero in ſubiecto (in caſu.) ſignificat inhærere; ita quod prima ſubſtantia, nec habet aliquod inferius de

quo

quo dicatur, nec communicatur vt forma accidentalis subiecto.

5 Dices. Non ne quidam Homo, quidam equus primæ substantiæ sunt ex exemplo Aristotelis dato in Textu? Et tamen de subiecto dicuntur. Veræ sunt enim hæ. Petrus est quidam Homo, Bucefalus est quidam Equus: ergo falsa definitio cum explicatione.

Respondeo. Aristotelem dedisse exemplum circumloqutiuè, hoc est dictu. Intendebat circumloqui indiuiduum signatum, hunc hominem, hunc Equum. Vel dicas, quod per ly quidam Homo significatur substantia determinata, licet indeterminatè, idest significabatur hic, vel ille homo, licet non hic determinatè.

6 Huius occasione aduertas velim. Indiuiduum, Singulare, Vnum numero, Suppositum, Hypostasim, Personam aliquo modo differre, nec omnibus istis nomen primæ substantiæ conuenire. Siquidem, Indiuiduum, singulare, vnum numero substantijs, & accidentibus conueniunt. Singulare dicitur incomparatione ad Vniuersale, quod scilicet non habet inferius de quo dicatur. Vnum numero dicitur, ad differentiam vnius Genere, vel Specie; Hæc vero omnia tam Sorti, & Platoni, quam huic albedini conueniunt: Est enim hæc Qualitas indiuidua singularis vna numero: sed non ob id nomine primæ substantiæ est appellanda: in subiecto nanque est, vt accidens inhærens. Nec accidenti conuenit propriè, principaliter, & maximè substare: imo nec ipse Sortes, vt quoddam singulare est, vel indiuiduum, vel Vnum numero sortitur nomen primæ substantiæ. Ad hanc enim pertinet incommunicabilitas, loquendo de prima substantia in rebus creatis: sed singularis aliqua substantia, vel indiuidua, qualis est forma substantialis, communicabilis est materiæ, ac proinde nomen primæ substantiæ haud meretur. Suppositum ergo hypostasis, & persona sunt aliquod singulare in prædicamento substantiæ, directè, ac incommunicabile. Ad excludenda accidentia, quæ nec suppositum, nec hypostasis, nec persona, nec primæ substantiæ dici possunt. Dico aliquod singulare ad differentiam Vniuersalis. Dico in prædicamento substantiæ ad excludenda accidentia. Dico directè, ad differentiam eorum, quæ à latere continentur in prædicamento substantiæ. Dico incommunicabile, ad excludendas eas substantias, quæ & si sint singulares, communicari tamen possunt vt formæ, sicut est Anima rationalis: quę, tũ cũ sit substantia separata, tũ etiã coniuncta corpori, non est suppositum, vel hypostasis, nec propriè nomine primæ substantiæ censenda est, nam ad hanc incommunicabilitas spectat, quæ animæ, nec separatæ, nec coniunctæ conuenit. Conclcludendum ergo est, suppositum, & primam substantiam in Creaturis idem dicere, idemque significare Hypostasim grecè, quod apud nos suppositum. Persona vero vltra incommunicabilitatem est etiam naturæ intellectualis. Si quidem Persona est intellectualis naturæ indiuidua substantia, idest incommunicabilis substantia, atque adeo suppositum, hypostasis, & Persona nomine primæ substantiæ condecorantur.

Tertium. Quod venit ponderandum in Verbis Aristotelis, est. *Vtrum Prima Substantia sit magis substantia, quam Genera, & Species?*

7 Aduertas, substantiam posse dici à subsistendo ex D. Augustino 7. *de Trinitate cap*.7. sicut (inquit) essentia ab esse, ita substantia à subsistẽdo dicitur. Idemque confirmat Isidorus *primo Allegoriarum cap*.4. Est autem substantia, & subsistere per se, & independenter existere, & hoc conuenit rebus singularibus: nam subsistere sic dictum conuenit primo rei, cui conuenit operari, & existere: hæc vero sunt singularium ex

Ariſtotele 1.*metaph.* atque adeo primò conuenit ſingularibus. Item ſubſiſtere eſt terminus, vel modus naturæ productæ: at ſingularia ſunt, quæ producuntur, & talis modus ſingularibus primo conuenit. Hinc fit, vt ſuppoſita dicantur primæ ſubſtantiæ, quibus primo ſubſiſtere conuenit; Vniuerſalia vero ſecundæ ſubſtantiæ, quibus ſecundo conuenit ſubſiſtere, in quantum ſcilicet ſubſtant primis. Dicitur etiam ſubſtantia à ſubſtando, tum ex Ariſtotele hic, tum 5.*metaph. cap.*8. Idemque eſt ſubſiſtere, ac eſſe ſubiectum accidentium: Etiam hoc conuenit primo primis ſubſtantijs: ſecundo Vniuerſalibus, vel ſecundis ſubſtantijs, propter eamdem rationem. Cum enim ſubſtare ſupponat ſubſiſtere, ſi quidem nihil poteſt eſſe fundamentum reale vltimatum accidentis realis, niſi reuera ſubſiſtat, ideſt per ſe independenter exiſtat; & cum ſubſiſtere primo ſit primarum ſubſtantiarum, ſequitur ſubſiſtere primo conuenire eiſdem primis ſubſtantijs, & per eas ſecundis ſubſtantijs: Nunquam enim poſſet homo eſſe albus, quin primò hic Homo ſit albus.

8 Aſſertio. Prima ſubſtantia eſt Propriè, Principaliter, & Magis ſubſtantia, quam ſecunda. Aſſertio claret ex dictis, tam ratione ſubſiſtendi, quam ratione ſubſtandi. Ad obiectiones vero, quæ poſſent fieri, ſcilicet. Subſtantiæ primæ ſunt ſubſtantiæ ratione ſubſtantiarum ſecundarum: quia enim animal eſt ſubſtantia, homo eſt ſubſtantia, & hoc animal eſt ſubſtantia: ergo magis ſubſtantia eſt ſecunda quam Prima, iuxta illam Regulam. Propter vnum quodque tale, & illud Magis. Item Boetius *in libris de duabus naturis inquit, quod Genera, & Species ſubſiſtunt, & non ratione indiuiduorum.* Adde, quod Ariſtoteles 8. *Metaph.t.*2 *ait. Vniuerſale eſſe magis ſubſtantiam, quam ſingularia, & Genera quam ſpecies: ergo, &c.*

9 Reſpondeo. Ad hæc omnia, quod ſubſiſtere bipharià ſummi poteſt; interdum vt dicit actualem modum per ſe exiſtendi, ſiuè terminum naturæ intellectualis; quo modo concluſimus primã ſubſtantiam eſſe magis ſubſtantiam, quam ſecundam; Aliquando vero ſignificat naturam, & eſſentiam, quæ eſt radix talis modi exiſtendi, in quo ſignificato conſiſtit ratio eſſentialis ſubſtantiæ; & hoc, primo conuenit Vniuerſalibus. Et hinc patet reſponſio ad obiectiones. Aliter etiam poteſt dici; Ad primam negando antecedens, ſcilicet, quod ſubſtantia prima ſit ſubſtantia ratione ſecundæ: vt, ſcilicet ſubſtantia dicitur à ſubſiſtendo, & ſubſtando; imo ſubſtantia ſecunda eſt ſubſtantia ſic dicta ratione primæ; nam ſi in iſtis non eſſet, non ſubſiſteret, nec ſubſtaret. Ad ſecundam poteſt dici, Boetium eſſe loquutum Platonicè, non Ariſtotelicè. Plato enim Vniuerſalibus conceſſit ſuã ſubſtantiam à ſingularibus ſeparatam, quod tamen in Scola Ariſtotelis, & Veritatis non admittitur. Ad tertium etiam dicitur, Ariſtotelem eſſe loquutum iuxta aliorum placita, non propria.

10 Inſtabis. Si ſic: ergo ſubſtantia, quod eſt Genus ſupremum, & generaliſſimum erit minima ſubſtantia ſtante reſponſione. Concedo ſequelam, ſi intelligatur minus ſubſtantia vt intelligit Ariſtoteles, quæ ſcilicet minus ſubſtat; nam ea minus ſubſtat, quam ea quæ ſunt ſub ipſa. Tamen concedendum eſt, quod ſubſtantia Vniuerſaliſſima, & ſi minus contineat formaliter, quam inferiora, poteſtatiuè vero plura continet, quam quodlibet inferius.

(?)

MAN-

MANTISSA SECVNDA.

Dubium circa Secundam Propositionem Textualem occurrens expeditur.

11 SEcunda Propositio Textualis est hæc. *Secundæ substantiæ sunt Genera, & Species, sub quibus primæ substantiæ, idest indiuidua collocantur*; circa quam occurrit dubitatio.

Num Differentiæ possint inter Primas, & Secundas substantias connumerari? Nam, quod differentiæ, non sint Genera, nec Species, est certum. Similiter, nec habent rationem indiuidui, cum de pluribus prædicentur. Non ergo inter Primas, aut Secundas substantias debent numerari, cum primæ, & secundæ substãtiæ sint Genera, Species, Indiuidua. At breuibus expediendo sit.

12 Assertio. Differentiæ Neutræ sunt, hoc est, nec primæ, nec secundæ substantiæ appellandæ. Prob. Nam hæc diuisio substantiæ in primam, & secundam est diuisio substantiæ positæ in recta linea prædicamentali; quo modo, nec partes essentiales, nec integrales sunt in eadem, nec tamen negandum est differentias, vel partes essentiales, aut integrales substantiæ esse substantias. Tum quia, ex non substantijs non componitur substantia: at ista componunt substantiam: ergo sunt substantię. Tum quia in prædicamento substantiæ ponuntur, si non directè, saltem indirectè, & reductiuè. Quamuis etiam dici potest de differentia, quod dupliciter potest considerari, vel vt constitutiua speciei, & sic ponitur in recta linea, non ratione sui, sed vt in specie continetur; Vel vt diuisiua Generis, & hoc modo non collocatur in recta linea. Nec hinc inferas velim, quod differentia sit secunda substantia, ex eo quod vt in specie, reponitur in recta linea: nam ratio secundæ substantiæ pertinet ad substantiã completã, quod non est differentia.

MANTISSA TERTIA.

Dubium circa Tertiam Propositionem Textualem proponitur, soluiturque.

13 TErtia propositio Textualis est. *Non existentibus primis substantijs, impossibile est quid aliarum.* Hinc quærimus. Vtrum. Destructis Primis substantijs impossibile sit aliquid eorum remanere?

Huius dubietatis occasio ex hoc sortitur, quia videtur fallacia consequentis; ad destructionem inferioris colligere destructionem superioris. Primæ substantiæ sunt inferiora respectu secundarum: ergo destructis illis non destruuntur secundæ. Accidit etiam, quod destructo posteriori destruatur Prius; priores sunt substantiæ secundæ, posteriores primæ: ergo destructis primis, non destruuntur secundæ. Tamen sit.

14 Assertio. Supradicta Propositio est simpliciter vera. Prob. & declaratur. Dupliciter potest intelligi dicta Propositio. Logicè scilicet, & metaphisicè. Logicè si intelligamus, primam, & secundam substantiam esse quædam accidentia intellectualia correllatiuè dicta, sicut sunt prædicatum, & subiectum, subijcibile, & prædicabile; & tunc ex natura relatiuorum, destructa vna, destruitur, & altera; prima relatiuè dicitur ad secundam: ergo prima non existente, neque erit secunda. Metaphisicè sic. Destructis primis substãtijs, quo ad esse existentiæ realis, destruuntur secundæ, cum istæ non habeant existentiã realem, nisi in primis. Accidentia etiam realia insunt primis substantijs: ergo destructo accidentium substentaculo, destruuntur, & ipsa. Merito igitur inquit Aristoteles, destructis primis substantijs, impossibile est, aliquid eorum remanere. Illud tamen non est negandum, quod concedit

Porphirius. Destructis singularibus, remanere Vniuersale quo ad esse obiectiuum, vel esse cognitum. Nil enim vetat, habere esse cognitum Rosam in hieme, & si nulla singularis Rosa inueniatur.

15 Ad occasionem dubitandi dicẽdum, quod hic arguitur à destructione singularium sufficiẽter enumeratorum ad destructionem vniuersalium; qui locus Dialecticus tenet inductione, & dicitur à singularibus sufficiẽter enumeratis ad Vniuersale progressio. Ad secundum falsum est, quod Vniuersalia in ratione subsistendi, vel substandi, sint priora singularibus, imo hac ratione sunt posteriora.

16 Sed adhuc vrgebis. Non existẽte supposito, vel prima substantia, adhuc possunt aliqua alia eiusdem suppositi remanere: vt patet in Morte hominis. Desinit Petrus, & per consequens suppositum, vel prima substãtia, & tamen remanẽt anima, Corpus, & materia, quæ erant eiusdem suppositi: ergo supradicta Aristotelis definitio ruit, quo ad illam particulam. Nihil remanere.

Respondeo. Per primam substantiam intelligi, tum Indiuiduum, tum suppositum indiscriminatim substantiæ; & tunc sensus est; destructis singularibus substantiæ, vel suppositis eiusdem, destruuntur secundæ; vt in destructione Hominis; destruitur quidem singulare Hominis, & suppositum Hominis; non tamen singulare Animæ intellectiuæ: & ita destructo hoc Homine, destruitur secunda substantia, vt in homine subsistit. Non opportet autem, quod destruatur id, quod etiam sine Homine habet suam existentiam: vt est anima intellectiua, & materia, quæ habent suam existentiam, præter eam, quæ est compositi: vt meliori modo Deo dante in physica videbimus. Vel dicas, quod destructo homine isto, destruuntur partes eius, vt sunt eius; & ita licet anima, & materia in morte Hominis supersint, non tamen dicuntur Hominis partes, nec tunc sunt aliquid hominis.

MANTISSA QVARTA.

Quarta Propositio Textualis trutina Mentis ponderatur.

17 QVarta Propositio ponderanda est hæc. *Substantiæ nihil est Contrarium.* Pro qua sciendum est, dupliciter summi posse Contrarietatẽ. Vno modo communiter; alio modo propriè. Communiter dicitur Contrarietas, Maxima distantia duorum in eodem genere: vt dicebat Aristoteles 10. *metaphys. t.*4. Et hoc modo, duæ differentiæ sic contrariæ sunt. Contrarietas etiam Communis potest summi, pro contrarietate Contradictionis, qualis est inter Hominem, & non Hominem. Summi etiam potest pro contrarietate priuatiua; quo modo forma, & priuatio dicuntur contrariæ, 1. *phys.* Hisce omnibus modis nil vetat in substantia esse Cõtrarietatem. Summitur autem Contrarietas propriè pro Maxima distãtia duarum formarũ positiuarum ab eodem subiecto mutuo se expellentium: qualis est inter calidum, & frigidum, nec talis reperitur in substantia.

18 Assertio. Substantiæ nihil est contrariũ propria contrarietate. Prob. nam huiusmodi Contrarietas inter qualitates reperitur; substantia autem vt substantia est, est expers qualitatis: ergo &c.

Dices Igni contrariatur aqua, & tamen est substantia. Deinde Contrarium ex contrario corrumpitur; at substantiæ corrumpuntur: ergo habent Contrarium.

Respondeo. Ignem sub ratione substantiæ non Contrariari aquæ, sed quatenus afficitur accidentibus contrarijs aquæ:

aquæ: atque hinc oritur corruptio ratione contrariorum accidentium, quæ in ſubſtantijs reperiuntur.

Inſurges. Effectus ſunt Contrarij; ergo, & cauſæ ſunt Contrariæ.

Reſpondeo. Non eamdem eſſe in cauſis contrarietatem, quæ in effectibus: nam hi formaliter opponuntur, cauſæ vero tantum virtualiter. Hoc eſt dictum. Ignem, & aquam non eſſe formas ſe inuicem expellentes, ſed ex illis, tanquam ex cauſis produci caliditatem, & frigiditatem, quæ formaliter opponuntur.

Contra. Secluſa frigiditate ab aqua, & ab igne caliditate, adhuc in eodem ſubiecto eſſe nequeunt: ergo non ob aliud, niſi ob contrarietatem. Neganda eſt ſequela: ſiquidem arguitur à non cauſa, tamquam à Cauſa. Non enim, quia hæc duo in eadem materia eſſe nequeunt, eſt contrarietas; ſed quia vna materia duabus formis vltimatis informari nequit: quare informata ab vna, alteram pro tunc non poteſt ſuſcipere, vt melius ſpero in phyſicis dicturus.

MANTISSA QVINTA.

Propoſitio Quinta Textualis ſub dubio exponitur.

19 QVinta propoſitio, quæ in ordine examinanda venit iuxta Ariſtotelis textum, eſt. *Subſtantia non ſuſcipit magis, & minus.* Quæ propoſitio ſub dubio agitatur ab auctoribus, quibuſdam ſiſcitantibus. Num ſubſtantia ſuſcipiat magis, & minus, eo modo quo accidens intenditur, & remittitur? Pro quo aduertendum, quod accidens, puta, Album poteſt ſuſcipere magis, & minus dupliciter; vel extenſiuè, cum vna pars albedinis, quæ erat v. g. in brachio, dilatatur per totum Corpus: vel intenſiuè, cum eadem quæ erat in brachio intenditur, in eodem loco recipiendo nouos gradus homogeneos, quos vocant nonnulli indiuiſibiles, & indiuiduales. Cum igitur inquit Philoſophus, ſubſtantiam non ſuſcipere magis, & minus, intelligit hoc ſecundo modo, ſcilicet intenſiuè, nam ipſa ſecundum ſuam naturam ſpectata nõ ſuſcipit magis, nec minus; neque enim vnus homo dicitur magis homo alio homine, ſicut vnum calidum eſt altero calidius.

20 Quod ſi dicatur, Ariſtot. in hoc capite concedere, vnã ſubſtantiam eſſe magis ſubſtãtiã altera. Dicendũ, Ariſt. non ſimpliciter negare vnam ſubſtantiam alteri comparatam non eſſe magis ſubſtantiam; nam prima ex dictis eſt magis ſubſtantia, quam ſecunda; ſed negat, vnam ad ſe ipſam comparatam eſſe magis, vel minus ſubſtantiam more accidentium, quæ intenduntur: & remittuntur, quæ explicatius per aliquas Concluſiones oſtendemus.

21 Aſſertio Prima. Non eſt negandũ. Vnam ſubſtantiam eſſe aliam perfectionem in ratione aliqua eſſentiali. Prob. Vna ſpecies eſt altera perfectior: habent enim ſe ſicut numeri: ſed eſt, vna altera perfectior ratione differentiæ, quæ eſt ei eſſentialis: ergo vna ſubſtantia eſt altera perfectior in ratione aliqua eſſentiali.

Aſſertio Secunda. Non eſt negandum. Vnam ſubſtantiam eſſe alia perfectiorem in ratione ſubſiſtendi, & ſubſtandi. Prob. Prima ſubſtantia eſt magis talis, quam ſecunda ex eodẽ Philoſopho hic: ſed non eſt talis niſi ratione ſubſiſtendi, & ſubſtandi: ergo in ratione tali, vna eſt altera perfectior.

23 Aſſertio Tertia. Vna ſubſtantia eſt ſe ipſa perfectior, aut altera accidentaliter. Prob. Homo ſapiens eſt perfectior ſe ipſo ignaro, aut altero inſcio; ſed non eſt perfectior in ratione ſubſtantiæ: ergo in ratione aliqua acciden-

cidentali perfectior est.

24 Assertio Quarta. Eadem essentia nō habet latitudinem perfectionis, ita vt possit magis, & minus participari, vel possit dici in hac essentia magis talis, quam ipsa ad aliam eiusdem rationis, & essentiæ. Prob. Album participat magis, & minus naturam albedinis habentis latitudinem; at Aristoteles negat substantiam esse similem in hac re accidenti: ergo hoc modo non suscipit substantia magis, & minus. Explico: in Colore, vel Calore sunt multæ partes eiusdem essentiæ, quæ possunt vniri in eodem subiecto; & hæc dicitur esse latitudo talium qualitatum. Ex quo fit vt cum tales partes vniantur: tunc idem calor, vel color dicatur maior, vel minor, more accidentium, vt sunt.

MANTISSA SEXTA.

Vltima Propositio Textualis differitur.

25 Sexta, & vltima textualis propositio pro vt spectat ad nostrum institutum est. *Substantia eadem numero manens est contrariorum Susceptiua.* Pro cuius Notitia. Not. substantiam esse susceptiuam Contrariorum: non quod sibi sit Contraria, quia sic repugnaret prædictis: sed vt susceptiua contrariorum inter se: vt Caliditatis, & frigiditatis inter se repugnantium. Hæc vero proprietas substantiæ conuenit ea ratione, qua substantia est, licet possit ei repugnare qua talis substantia est: sicuti Quanto, vt sic conuenit posse diuidi in infinitum: tamen, vt Quanto naturali repugnat sic diuidi: & talpæ, vt animal est, non repugnat Visus, licet vt tale animal Visum habere non possit. Vnde fit, vt qui tenet, sicut & nos tenemus, intelligentias contineri in prędicamento substantiæ, non cogatur ad affirmandum, conuenire illis hanc proprietatem.

25 Assertio. Substantia est susceptiua Contrariorum. Prob. Potest recipere albedinem, nigredinem, frigiditatem, caliditatem: sed hæc sunt Contraria: ergo potest suscipere Contraria.

Obstabis. Si sic: ergo Angelus cum sit substantia potest recipere eadem Contraria: quod tamen est perperam, cum sint accidentia materialia, & nullum Materiale potest recipi in Spirituali, cum receptum sit in recipiente per modum recipienis.

Respondeo. Distinguendo Consequens: ergo Angelus potest recipere eadem Contraria, qua Angelus, vel talis substantia, nego. Qua substantia, Concedo. Vel dicas, quod si non potest recipere Contraria Materialia potest tamen recipere Contraria spiritualia. Vt Amor, Odium, quod sufficit.

Dices: ergo Contraria possunt stare simul.

Respondeo. Distinguendo consequens: vt Contraria nego, vt receptibilia in substantia Concedo, vt enim sunt receptibilia sub ista formalitate possunt stare Simul.

Dices. Ergo ista potentia reducetur ad actum, & per consequens stabunt simul.

Respondeo. Quod nunquam reducetur ad actum stante pugna contrariorum inter se. Num posſit Deus huiusmodi repugnantiam impedire. Docebo in physicis.

DISCEPTATIO II.

De Quantitate.

27 QVæ compendio redacta habet Aristoteles de Quantitate. Hæc sunt. Primum. Quantitatis aliud Continuum, aliud discretum. Secundum. Continuum est, cuius partes terminantur aliquo termino communi. Discretum vero, quod non habet partes termino communi copulatas. Tertium. Corpus, superficies, linea sunt Quantitates continuæ, nam earum partes habēt terminos Communes. Quartum. Tempus est Continuum, quia eius partes continuantur vnico instanti. Quintum. Locus est Quantitas continua; nam eius partes respondent partibus locati, vt ergo istæ habent terminum Communem, ita & illæ. Sextum. Numerus, & Oratio sunt Quantitates discretæ. Septimum. Alia ab his sunt Quanta per accidens, licet ab istis mensurentur: vt album, Actio, &c. Postea sequuntur Proprietates. Prima. Quantitati nihil est Contrarium. Secunda. Quantitas non suscipit magis, nec minus. Tertia. Maximè proprium est Quantitati vt secundum illam alia dicantur æqualia, & inæqualia. Hæc compendiosè de Textu Aristotelis graues continent difficultates, quarum tractatio, vel in Physicā, vel in Metaphisicam differtur. Fundamenta tamen attingam præcipuarum Quæstionum, ne omnino eas videar effugisse.

QVÆSITVM PRIMVM.

Quid, & Quotuplex sit Quantum?

28 SVppono Primo. Duplicem esse Quantitatem, Molis, & Virtutis. Quarum illa est Corporum, hæc omnium naturarum consistens in aliquo gradu virtutis; quo modo etiam dicimus, Magnum, & Infinitum esse Deum ob virtutis infinitatem; & hanc magnitudinem spiritualem, & non corpoream, & secundum hanc solet etiam fieri comparatio æqualitatis, & inæqualitatis; sic etiam dicimus, supposita diuina esse æqualia inter se ob æqualitatem naturæ, & omnipotentiæ; & Angelum alijs æqualē, & inæqualem dicimus ob paritatem, vel imparitatem Virtutis, quæ huius relationis est fundamentum. De hac metaphisica Quan. titate hic non disputamus, nec loquitur Aristoteles; sed de ea, quæ corporum est propria. Hoc ergo constituto.

29 Dicimus ex eodem Philosopho 5. *metaph. cap.* 13. *Quantum est, quod est diuisibile in ea quæ in sunt, quorum vtrumque, vel vnumquodque, vnum quid, & hoc aliquid aptum est esse.* Quæ ratio non est definitio, sed magis descriptio. Cum dicitur. Quantum est diuisibile in ea quæ insunt, debet intelligi, de inesse formaliter: ad differentiam eorum, quæ insunt in aliquo virtualiter, sicuti elementa in Mixto, quod in illa diuiditur, seù resoluitur. Non quod formaliter insint in eo, sed virtute: Partes autem, in quas Quantum diuiditur, formaliter sunt in eo secundum entitates partiales, & in actu existendi, licet non subsistendi. Deinde cum dicitur. Quorum vtrumque, vel vnumquodlibet, idest vtraque pars, vel singulæ partes, siuè duæ, siuè plures sint, aptæ sunt esse Vnum Quid, & hoc aliquid, idest per se quælibet pars potest manere vt quoddam totum ab alijs separatum: & hoc ad differentiam Compositorum, quæ licent possint resolui in partes; non tamen ita, vt singulæ per se manere possint, tanquam Vnum Quid; nam statim per se posita perit: vt diuiso Boue in materiam, & formam, necesse est, vt pereat forma, pereunte Boue: & quāuis in Morte hominis vtraque pars maneat: non tamen pars materialis manet vt vnum Quid, idest vt Vnum per se

To-

Totum, ſed erit pars alterius Compoſiti. Si teneatur,quod Anima recedente, noua forma informetur corpus: ſi autem defendatur, quod eadem forma Corporeitatis præexiſtente informetur, adhuc non habet vt verè dicatur, Hoc aliquid, quia non habet rationem Compoſiti perfecti, multo minus ſuppoſiti, cum ſit informabile vlteriori forma ſubſtantiali. Continuum vero cum diuiditur, habet partes, quæ ſunt Vnum Quid, & hoc aliquid, ideſt partes ſeparatæ à Continuo habent rationem alicuius totius per ſe ſubſiſtentis.

30 Ex hac definitione Quanti hactenus expoſita infero. Omne Quantum vt tale eſſe diuiſibile. Nec obſtat inſtantia de cælo, quod Continuum eſt, & tamen diuidi non poteſt. Nam licet cælum diuidi non poſſit ratione ſubiecti,vel Materiæ in qua forma talis,& talis Quantitas reperiuntur:tamen poteſt diuidi ratione Quanti,vt ſcilicet Quantum,vel ſaltem ſecundum mentis deſſignationem,qua poſſumus,alias,& alias partes in eo deſſignare, licet actu non diuidatur, quod ſufficit ad hoc vt ſit aliquid diuiſibile. Vel dicas, Cælum eſſe diuiſibile per potentiam ſupernaturalem,eſto non naturalem.

31 Nec etiam obſtat Inſtantia de Minima parte aquæ, vel ignis, quæ ſi diuidatur, non euaneſcit, ac proinde non videtur diuiſibilis, licet ſit Quanta. Nam cuilibet parti, vt Quanta eſt, non repugnat diuiſibilitas, licet vt eſt aliquod Quantum naturale diuidi non poſſit, ex eo quod per diuiſionem, perdat eas qualitates,quæ ad illius conſeruationem ſunt neceſſariæ.

QVÆSITVM SECVNDVM.

Quænam ſit ratio eſsentialis Quantitatis ſecundum quam æquè de Continua, & de diſcreta, in quas primo diuiditur, dicatur?

32 SVppono ex Ariſtotele 5. *metaph. c.*13. quod Quantitati conueniat diuiſibilitas in partes eiuſdem rationis. Eſſe finitam, & infinitam, æqualem, vel inæqualem, habere rationem menſuræ, nullum reperio aſſerentem, eſſe illas rationes eſſentiales Quantitatis; Aliqui tamen ſunt, qui putant,rationem menſuræ eſſe eſſentialem Quantitati, aliqui vero diuiſibilitatem; ſed neutrum eſt Verum. De ratione menſuræ loquitur Ariſtoteles 10. *metaph.* dum inquit. Menſura eſt id, quo Quantum cognoſcimus. Ad cuius intellectum;not.eſt, aliud eſſe quod menſuramus; & aliud eſſe id quo menſuramus. Alijs Verbis. Aliud eſſe ſubiectum, quod ſubiacet menſuræ, & aliud rationem menſuræ. Vnum paſſiuè, aliud vero actiuè. Primum eſt ſubſtantia Corporea, tam diſcreta, quam Continua; hæc enim ſunt, quæ menſurantur.Secundum eſt Quantitas ſimpliciter,quæ eſt ratio formalis, qua aliquid poſſit menſurari. Tertium vero, nempe id, quo menſuramus actiuè, eſt quoddam Quantum, quo vtimur, vt diuiſibili quoddam ad menſurandum aliquas quantitates: vt Vlna. Vtrumque pręſtat Subiecto Quantitas, tam ſcilicet ratione Menſuræ actiuę, quam paſſiuæ, diuerſo tamen modo; Omnis enim Quantitas eſt ratio menſuræ paſſiuæ; ita vt vbi fuerit, ſiuè latitudo, ſiuè longitudo,ſiuè profunditas, ſiuè ratio Quantitatis diſcretæ,id menſuræ ſubijci poteſt;ſed non omnis Quātitas eſt ratio menſuræ actiuæ,ſed Quātitas certa, & determinata. Si quidem de ratione menſuræ actiuæ eſt, vt ſit nota, Certa, & Fixa ideſt inuariabilis, alioquin non poſſet notificare magnitudinem; Hinc fit, menſuram debere conſiſtere in indiuiſibili; non quod Quantum, quo menſuramus, debeat eſſe indiuiſibile, ſic enim repugnaret Quanto; ſed ſenſus eſt, quod menſura actiua nō debet augeri,nec minui, quia tunc eſſet incerta, nec poſſet eſſe regula definita ad cognoſcendum. Eſt etiam alia differentia. Quod rationem menſu-

ſu-

surabilitatis, vel mensuræ passiuæ omnibus Quantitatibus Continuæ, scilicet & discretæ, ex æquo conuenire dicimus, sed rationem mensuræ mensurantis, vel mensuræ actiuæ magis dicimus competere Vnitati, quæ est principium numeri, & per illius reduplicationem mensuramus. Ex his definitio ab Aristotele tradita facile patebit. Loquitur enim de Mensura actiua cum inquit. Mensura est id, quo Quantum cognoscimus. *Paradigma sit*. Ignota est mihi extensio panni quanta sit; applico illi Quantitatem notam vlnæ, vel panni, & per hanc, vel semel applicatam, quod (dicunt) per accomodationem solam, si sit mensuratum æquale mensuræ, cognoscitur mensuratum; si vero mensuratum sit maius, per repetitionem mensuræ, iterum atque, iterum eamdem illi applicando, cognosco Quantitatem præexistentem. Vtrumq; autem mensurandi modum, vel per accomodationem solam, vel per repetitionem mensuræ complexus est Aristoteles ibidem dicens. Cognoscitur autem Quantum, vt Quantum, aut vno, aut duobus. Et Sensus est. Quantitas Continua, si sit adæquata mensuræ cognoscitur Vno, idest applicatione mensuræ semel facta; si vero sit maior; cognoscitur duobus, idest repetitione mensuræ. De discreta autem quantitate, id Aristoteles sequitur. Omnis autem numerus Vno, hoc est. Quantitas discreta cognoscitur, non accomodatione, sicut Continua, sed repetitione, aut numeratione, quæ fit reassumendo Vnitatem. Vnde ratio mensuræ, prius inest discreto, quam Continuo; & loquor de actiua; cum non mensuremus, nisi per Vnitatem, vel semel applicatam, vel iterum repetitam. Ex quibus omnibus fit.

33 Assertio Prima. Ratio mensuræ non est essentialis Quantitati, adeo vt per illam vniuocè de discreta, & Continua dicatur. Prob. Omnis ratio Generis æquè primo inest speciebus; sed ratio mensuræ non inest æqualiter continuis, & discretis; sed discretis magis, continuis autem non sic; nã ista in tantum induunt rationem mensuræ, in quantum participant rationem illorũ, vt ex proximè dictis liquet: ergo ratio mensuræ non est ratio propria Generis Quantitatis. Conf. Si sic sequeretur, quod cui maximè inest ratio mensuræ, maximè esset Quantitas; sicut cui maximè inest ratio substantiæ animatæ sensibilis maximè est animal; Vnitas autem maximè habet rationem mensuræ ex Philosopho *ibidem*: ergo Vnitas per se maxime erit species Quantitatis; quod tamen est falsum: quia non est in genere, nisi per reductionem, tanquam principium Numeri. Conf. secundo. Mensuram esse est denominatio extrinseca à mensurante proueniens ex actu rationis conferentis vnam rem cũ alia; sed talis denominatio non est de ratione essentiali alicuius: ergo ratio Mensuræ non est essentialis Quantitati.

34 Dices. Aristotelem docere hoc in loco, orationem esse speciem Quantitatis, quia rationem mensuræ participat. Necnon 4. Physicorum tempus definit, quod Quantitas est, per esse mensuram motus: ergo ratio Quantitatis consistit in ratione mensuræ. Resp. Aristotelem esse loquutum de participatione secundaria, non primaria, quę rei essentiam constituit; illa vero temporis definitio non est quidditatiua, sed descriptiua data per Quantitatis passiones, quarum vna est ratio mensuræ.

35 Nonnulli opinantur diuisibilitatem, vel partibilitatem esse rationem formalem Quantitatis; vt est Genus Generalissimum; nam hæc discretæ, & Continuæ ex æquo videtur conuenire. Contra Quos.

Assertio Secunda. Diuisibilitas non est de ratione essentiali Quantitatis. Prob. Nullus respectus formaliter est ratio essentialis alicuius absoluti, *ita* 4. *metaph.* ex Aristotele reputante pro in-

inconuenienti, quod omnia ſint ad aliquid, ideſt, quod abſoluta ſint formaliter reſpectiua: at diuiſibilitas dicit formaliter reſpectum: dicit enim aptitudinem ad diuiſionem: ergo non eſt de ratione formali Quantitatis. Firmatur ratio. Diuiſibilitas non eſt id, quod primo conuenit Quantitati: ſed eſt aptitudo conueniens illi ratione extenſionis; cuiuſcumque autem rei eſſentialis ratio eſt id, quod illi primo conuenit: ergo diuiſibilitas non eſt ratio eſſentialis Quantitatis. Mai. patet: ideo enim Quantitas dicitur diuiſibilis: quia habet partes diſtinctas: Si enim quæras, cur Quantitas habeat partium diſtinctionem. Non datur alia ratio: niſi quia eſt talis naturę: ergo diuiſibilitas non eſt ratio formalis, & eſſentialis Quantitatis.

36 Si quis tamen cōtendat, per Nomen hoc aptitudinale diuiſibilitatis intelligi rationem Quantitatis ignotā eſſentialem, quam nomine diuiſibilitatis circumloquimur. Cum eo non contendam, nam vt docui in q. de Praxi: Nec Philoſopho, nec Scoto, eſt nouum, per aptitudinalia nomina rationes rerum eſſentiales ſignificari. Quod fortaſſe idem Scotus *q.17. in hoc libro*, voluit dicere cum aſſerit. Quantitati tāquam Generi conuenire diuiſibilitatē. Sed preſtat in hac re diſtinctius, & proprijs vocabulis vti, vt mox faciemus.

37 Aſſertio Tertia. Ratio formalis Quantitatis, vt Genus eſt, eſt habere partes quantitatiuas. Prob. Diuiſibilitas in partes eiuſdem rationis eſt prima paſſio quantitatis conſequens per ſe rationem eius: ſed conſequitur eam ex hoc, quod habet partes eiuſdem rationis: ergo habere partes tales, vel quantitatiuas eſt ratio eſſentialis Quātitatis. Firmatur ratio. Cauſalis inhærentia, vel radicalis inhærentia alicuius paſſionis ad ſubiectum eſt formalis ratio ſubiecti: vt ratio, vel Cauſa cur Homo ſit riſibilis, eſt, quia rationalis eſt, & rationalitas, eſt ratio formalis hominis, ſed ratio, & Cauſa cur diuiſibilitas inſit Quantitati eſt habere partes, eo modo quo dictum eſt: ergo talis ratio eſt ei eſſentialis. Poſtremò. Ariſtoteles in hoc capite definit Quātitatem Continuam, & diſcretam per hoc quod eſt habere partes, ſcilicet copulatas, vel non copulatas termino communi: ergo hæc eſt ratio eius, vt vtrique Communis. Qua propter Quantitas in priori ſigno conſideratur, vt habet partes quantitatiuas: in poſteriori, vt diuiſibilis in tales partes. Quod enim conuenit prius alicui, potius debet dici eius eſſentia, quā illud, quod poſterius ipſi competit. Vnde notes ordinem in Subtilium ſcola ſeruatum. In primo ſigno, concipitur, Quantitas: vt habens partes ſecundum ſe. In ſecundo: vt diuiſibilis in eaſ dē. in Tettiò, vt habet eſſe finitum, vel infinitum. in Quartò, vt æqualis, vel inæqualis. in Quintò, vt induit rationem menſuræ actiuæ. Dempto primo, cętera ſigna paſſiones Quantitatis expendunt.

38 Dices. Ariſtoteles definiendo Quantitatem vſus eſt diuiſibilitate: ergo non eſt ſua paſſio: atque adeo diuiſibilitas in primo ſigno ponenda eſt.

Reſpondeo, Ariſtotelem non definiuiſſe, ſed deſcripſiſſe Quantitatem per Genus, & ſuam paſſionem. Et ſi inſtes. Definiuiſſe. Reſpondeo, Ariſtotelem intellexiſſe de diuiſibilitate radicali, non vero formali. Et quod ita ſit, claret ex eodem. Nam poſtquam dixerat. Quantitas ėſt accidens diuiſibile in eaque ſibi inſunt, ideſt, partes in ordine ad ſe: atque adeo dixit: ſibi itaq; diuiſibilitas, vt reciprocatur cum extenſione, eſſentia eſt Quantitatis genericè acceptæ.

39 Nec obſtat, quod linea, vel ſuperficies recipiat prædicationes Quantitatis in concreto, quod videtur eſſe alie-

alienum à Genere, quod non prædicatur denominatiuè de suis speciebus. Nam dicendum est, quod linea sicut superficies, & Corpus, quod habent, vt sint Species Quantitatis continuæ, recipiunt prędicationes Quantitatis in abstracto, & in Concreto. Si quidem Quantitas est ratio nō solum denominandi aliud, vt substantiam, sed etiam se ipsam, & suas species denominat: Est enim formaliter se ipsa extensa, & alijs extensionem tribuit: & ita, sicut substantia est Quanta, ita & linea per ipsam Quantitatem est Quanta.

Dico etiam, quod duo possumus de linea considerare: vnum est de substātia illius: aliud de passione: si substantiam quæras lineæ: respondetur quod est Quantitas, de qua ipsa, & alijs speciebus in abstracto prædicatur. Si passionem exigas: respondetur, quod est longa, & tunc Quantitas prædicatur de linea, & de alijs speciebus in Concreto, non vt Genus est, sed vt dicit rationem passionis. Sed maior difficultas exponetur in sequenti.

QVAESITVM TERTIVM.

Vtrum Ratio Partium à Quantitate tribuatur substantiæ?

HOC est dicere. An Quantitas faciat substātiam habere partes, & partes distinctas: ita vt per eam substantia in proprijs entitatibus habeat huiusmodi distinctionem? Circa hoc quæsitū non sunt Vnanimes Theologi, atque Philosophi. Nos autem sic statuimus.

40 Assertio Vnica. Ratio Partium à Quantitate non tribuitur substantiæ. Ita Scotus *2.d.12.q.2. & alibi*. Prob. Vnumquodque per quod habet esse, habet & distinctionem: siquidem principia essendi sunt principia distinguendi. ex *2.metaph.* licet non è conuerso: sed substantia materialis non habet a Quātitate esse: ergo, nec partes, nec distinctionem Vnius partis ab alia. Prob. secundò. Materia prius est terminus Creationis, quam recipiat Quantitatem: ergo prius intelligitur habere totam entitatem, & diuersas partes, quā eam recipiat: ergo non habet partium distinctionem à Quantitate.

Dices. Materia habere suas partes distinctas à Quantitate comproducta cum ipsa substantia. Contra: quia si sic. Substantiæ partes essent à nō substantia, scilicet à Quantitate, quæ est non substantia. Deinde partes substantiæ materialis sunt subiectum partium Quantitatis, sed subiectum est suo accidente prius: ergo non habet esse à Quantitate. Vlterius, tota Quantitate est prior tota entitas materię, sed totum necessario includit partes. Quid enim est totum, nisi aliquod constans ex partibus simul vnitis? ergo priores sunt partes materiæ, quam ipsa quantitas. Accedit etiam, quod si substantia materialis non haberet partes inter se vnitas, & distinctionem earumdē, nisi à quantitate, nulla foret ratio, cur talis substātia materialis nō esset spiritualis, qualis est rationalis anima. Nec valet dicere, quod diuidatur talis substantia materialis ad diuisionem quantitatis, & anima rationalis, quia caret partibus substantialibus, non potest diuidi ad diuisionem quanti: nam illo priori negato, negandum est hoc posterius.

Postremò. Aut pars substantiæ materialis, quæ est in Capite est eadem cum parte, quæ est in pede, aut alia: si primum, sic tota esset in toto, & tota in qualibet parte, atque adeo indiuisibilis, sicut anima rationalis: si secundum, habetur intentum.

Nec obstat, quod ratione quantitatis alterius in Capite, & alterius in pede, dicatur substantia materialis habere aliam, & aliam partem: tum quia vt proxime arguebamus, substantia ma-

terialis eſt prior tali accidente, ac per conſequens habet eſſe, & diſtinctum eſſe ab alio, quam à Quantitate; tum quia in homine habēte animam rationalem, & indiuiſibilem, alia Quantitas eſt in Capite, alia in pede, & tamen non eſt alia pars animæ, vt in pede, & animæ vt in capite, imo tota in toto, & indiuiſibilis.

41 Sed objicitur. Effectus formalis non eſt ſine cauſa formali; habere partes extra partes eſt effectus formalis Quantitatis: ergo ſubſtantia non habet hoc ſine Quantitate.

Reſpondeo ad Mi. partem eſſe extra partem, poteſt ſumi dupliciter; vel entitatiuè ſic, quod vna pars non ſit alia; & hic non eſt effectus Quantitatis, ſed à quo pars habet eſſe, ab eodem habet ſic diſtingui, eamq; diſtinctionem ſubſtantia materialis haberet, etiam ſeparata à Quantitate. Alio modo, partem eſſe extra partem, intelligitur quātitatiuè, ſic quod naturalis repugnantia ſit in vna parte eſſendi cum alia, & hic eſt effectus Quantitatis, per quam repugnat vt Corpus ſit cum alio Corpore, ita vt Quantitas ſit ratio impenetrabilitatis, cui eſſentialiter, & connaturaliter competit talis proprietas, & alijs ratione ſui; dat enim Quantitas ſubſtantię diſtinctionem Quantitatiuam, & ſitualem. Prima eſt, quod vna ſubſtantia ſit ſub diuerſis terminis quantitatis ab alia; alia eſt, quod vna ſubſtantia ſit extra ſitum, vel locum alterius. Diſtinctio vero entitatiua eſt vnius ſubſtantiæ ab alia, vel partium ſubſtantiæ inter ſe, quam non facit Quantitas.

42 Ob. Secundò. Partes habere ordinem in toto, eſt effectus Quantitatis: ergo ſine Quantitate ſubſtantia materialis has non poteſt habere. Antecedens Prob. Tum quia remota quantitate non videtur, quomodo partes inter ſe ordinatæ eſſe poſſint; tum quia in Sacramento Altaris, Corpus Chriſti, & ſi non habeat ordinem ad locum, qui ordo eſt ſitus, tamen partes eius integrales habent ordinem inter ſe ratione Quantitatis ex communi Theolog. ſententia 4. *d.*10. ergo hic eſt effectus Quantitatis.

Reſpondeo. Similiter, quod duplex eſt ordo partium inter ſe; vel entitatiuus; & hic non eſt effectus Quantitatis: imo ſine Quantitate, ſubſtantia materialis habet ſuam partem immediatè cohærentem alteri, & alteri mediatè. Et in Corpore Chriſti Domini, hic ordo non eſt á Quantitate, nempè ordo entitatiuus partium inter ſe. Alius eſt ordo Quantitatiuus, qui eſt, vt ratione Quantitatis partes illæ neceſſario ex naturali habitudine ſint habituræ ordinem ſimilem in loco, niſi impediantur: ita vt vna pars debeat correſpondere parti loci, & totum toti loco, & hoc dimentionaliter, ideſt, occupando locum: ita vt ratio Quantitatis ſit radix impenetrabilitatis alterius Corporis ad eam, & hæc eſt extenſio, quam tribuit Quantitas, vt effectum formalem.

43 Obijcies adhuc. Si ſubſtantia habet ordinem partium inter ſe, & diſtinctionem earumdem ſine Quantitate, ad Quid ergo Quantitas?

Reſpondeo. Ob multa, ſed ob hoc primum, quod habeat ſubſtantia extēſionem Quātitatiuam in ordine ad locum, vt pars parti, & totum toti loco correſpondeat. Deinde vt ſiat talis ſubſtantia naturaliter impenetrabilis, cum quacumque ſubſtantia quanta. Huiuſmodi autem impenetrabilitatis ratio, & radix eſt Quantitas.

44 Quod ſi petas. Subſtantia naturalis ſic à Quantitate ſeparata per diuinam potentiam, eſset ne in loco? Dico quod ſic definitiuè, non tamen extenſiuè: nec repugnaret in eodem loco eſse aliam ſubſtantiam, ſiuè materialem à quantitate ſeparatam, ſiuè materialem Quantam, eo modo, quo

duo

duo Angeli in eodem loco, vel Corpus cum Angelo ibidem esse potest, ex Scoto 2.*d*.2.*q*.7.

Hic tamen, quod puto not. est, sic essent definitiuè in loco materia, & Angelus; nā hic, ita est in toto loco totus, vt sit in qualibet parte totus Angelus, licet inadæquate; at substantia entitatiua materialis, cum habeat partes entitatiuas distinctas, quibus caret substantia spiritualis, vt angelica, est quidem in loco definitiuè sic, quod non esset alibi, sed vna pars præsentiam suam exhiberet vni parti loci, non toti loco, & hoc entitatiuè, non dimensionaliter, vel circumscriptiuè. Ex quo infero, inter substantiam spiritualem, qualis est Angelus, & inter substantiam materialem à quantitate separatam, esse differentiam, tam quo ad esse primum, tam quo ad esse secundum; quantum, scilicet ad operari, & quantum ad esse in loco; nam substantia materialis composita est ex partibus, ne dum essentialibus, sed materialibus, & integralibus, ratione quarum exigit Quantitatem corpoream, & molem; At natura angelica indiuisibilis est, & incapax Quantitatis. Deinde substantia spiritualis sic tota ita est in loco, vt sit tota in qualibet parte loci, est enim indiuisibilis; materialis vero substantia, separata à Quātitate sic tota est in toto loco substantialiter, vt pars entitatiua, & substantialis præsentialiter parti adsit; Nec tamen possumus inferre hanc præsentiam esse effectum Quantitatis, & non substantiæ; occurrendum est enim, hanc præsentiam substantialem, quam tribuimus substantiæ materiali à Quantitate denudatæ consequi talem substantiam materialem, qua talis est; Præsentiam vero Quantitatiuam, quæ est coextensio in loco, ita vt totum toti, & pars parti respondeat, dimensionaliter, & occupatiuè, dicimus esse effectum Quantitatis, nec congruit substantiæ materiali ab ipsa expoliatæ.

45 Sed vlterius vrgebis. Si substantia independenter à Quantitate possideret partes entitatiuas, sic erit dicendum de Qualitate, quod possideat partes qualitatiuas, cum, & ipsa diuisibilis sit, potest enim intendi, & remitti per additionem, vel ablationem graduum, sicque vltra partes entitatiuas, & quantitatiuas, erunt dandæ etiam qualitatiuæ, quas tamen nullus docuit. Concedo totum, est enim eadem ratio, & si nullus docuerit hoc fuit, quia non vrgebatur à tam leuibus difficultatibus.

QVAESITVM QVARTVM.

Vtrum Quantitas sit à substantia realiter distincta?

46 EX determinatione quæsiti hactenus dicti pendet resolutio præsentis. Quod Quantitas sit realiter à substantia distincta. Fuit expressa mens Aristotelis. Si quidem 3.*metaph.* *t*.17. expresè docuit quantitatem non esse substantiam; & 1. *physicor. t*.13. ait, substantiam, & quantitatem, non esse vnum, sed multa, & 7.*metaph. t*.8. ait, longitudinem, latitudinem, & profonditatem esse quantitatem, & non substantiam. Hic in prædicamentis distinguit substantiam à Quantitate, tanquam vnum Generalissimum ab alijs. Similiter 5. *physicorum*, distinguit generationem ab augmentatione ratione termini; terminus quippe Quantitatis est substantia; augmentationis Quantitas: ergo hæc ab ista distinguitur, & hoc quantum spectat ad Aristotelem, quantum vero ad Nos. Sit.

Assertio. Quantitas à substantia realiter distinguitur. Ita Scotus pluribus in locis, sed præcipuè 4 *d*.12.*q*.2. §. *Ad quæstionem*, vbi inquit. *Qui enim Quantitatem esse aliam essentiam absolutam ab essentia Quantitatis corporeæ, & Qualitatis, sicut dicit Communis opinio*. Ex hoc, quod dicit Communis opinio ap-

approbat talem diſtinctionem, & alietatem Quantitatis à ſubſtantia. Prob. ex miſterio noſtræ Fidei, quod cum ſit Veriſſimum, & neceſſarium, Veritati philoſophicæ ſuffragabitur. Eſt autem hoc, Sacramentum Altaris, vbi ſeparatur Quantitas à ſubſtantia: ergo hæc non eſt illa realiter. Antecedens eſt de fide. Conſequentia prob. quia idem non poteſt ſeparari à ſe ipſo, etiam per Dei potentiam. Nec ſatisfacit, qui dicit, in tali miſterio non remanere Quantitatem panis, hanc reputans, cum pane deſtrui, cum ſit eadem res cum ipſo, ſed manet ſecundum ipſum, quantitas albedinis; hi .n. Nominales cuilibet rei propriam aſſignant Quantitatem, & eam, re permanente, permanere, & ea deſtructa, deſtrui, arbitrantur. Sed Contra. Subſtantia panis in Sacramento Altaris ex Communi Theologorum Sententia, eſt ſubiectum accidentium; tum quia, cum eadem Quantitate Hoſtię nō poteſt eſſe alia; ſed id non poteſt prouenire ex quantitate albedinis: ergo ex Quantitate ſubſtantiæ, quæ deſtructa eſt. Min. prob. nam partes albedinis, tam inter ſe, quam cum alia Quantitate panis non repugnat eſſe, quia ſimul ſunt cum pane in eodem Situ: ergo albedo non habet aliam Quantitatem, quam eam, quæ eſt ipſius ſubſtantiæ. Tum quia ſi diuerſæ eſſent Quantitates panis, & albedinis: ergo ante Conſecrationem Quantitates ſe penetrarent in eodem ſitu, & loco. Confirmatur. Repugnat cum vna ſubſtantia Corporea, vel cum parte Quantitatis integrantis eſſe aliam; ſed id non prouenit ratione ſubſtantiæ, cum videamus in ſubſtantia materiali multas res extenſas ita eſſe inter ſe coniunctas, vt intimè ſe penetrent, ſimulque ſint in eodem ſpatio: ergo talis repugnantia prouenit ratione Quantitatis diſtinctæ à ſubſtantia, & Qualitate.

47 Ob. Habere partes extra partes competit realiter Quantitati; ſed etiam ſubſtantia corporea habet partes extra partes ſecundum ſe, ex Scoto: ergo ſubſtãtia Corporea erit realiter Quantitas. Mai. patet, cum diuiſibilitas ſit ſaltem paſſio Quantitatis. Min. etiam conſtat, quia ſi per poſſibile, vel impoſſibile ſeparetur à Socrate Quantitas, adhuc Pes Socratis diſtaret à Capite, atque adeo eius ſubſtantia corporea habebit partium extreitatem.

Reſpondeo. Mai. eſſe veram de partibus quantitatiuis, non entitatiuis, quas haberet Socrates in data hypotheſi.

Contra. Quando Quantitas recipitur in ſubſtantia, vel recipitur tota in tota ſubſtantia, & tota in qualibet parte; vel pars in parte, & tota in toto, non primo, quia hoc tantum ſubſtantiæ ſpiritualis, & accidentium ſpiritualium eſt proprium; ſi ſecũdo: ergo ſubiectum ex ſe habet partes extenſas; nam ſubiectum ſupponitur ad formas: ergo, & partes ſubſtantiæ ad partes Quantitatis; ſed nulla res poteſt habere partes extenſas ſine Quantitate: ergo, &c.

Reſpondeo. Quantitatem inhærere totam in tota ſubſtantia, & partem eius in partibus ſubſtantiæ; adhuc tamen non requiritur, quantitatem identificari ſubſtantiæ; ſed hanc habere partes entitatiuas receptiuas partium Quantitatiuarum.

QVAESITVM QVINTVM.

De Quantitate Continua, Eiuſque Speciebus.

48 QVantitas Continua eſt cuius partes copulantur ad vnum terminum Communem; quod verb. gr. eſt principium vnius, & finis alterius: vt partes lineæ copulantur ad puncta; partes ſuperficiei ad lineam; Punctus autem, & linea dicuntur, Termini Cōmunes, non per prædicationem, ita quod Puncta de linea, & lineæ de ſuperficiebus prædicentur; ſed dicuntur Com-

Communes per continuationem, quia vnus, & idem punctus continuat lineam præcedentem cum ſubſequente; & linea continuat partes ſuperficiei cum ſubſequente. Putant autem Philoſophi dari puncta continuantia, & terminantia; Continuantia ſunt ea de quibus diximus; terminantia vero ſunt, quæ ſunt finis lineæ ab alia ſeparatæ. Huius Quãtitatis continuæ tres hic aſſignat ſpecies Ariſtoteles (nam de alijs inferius dicemus) ſcilicet Lineam, Superficiem, & Corpus. Eſt autẽ linea longitudo ſine latitudine, & profunditate, cuius extremitates ſunt duo puncta. Non tamen eſt illud inferendum, quod linea ex punctis componatur, quamuis in linea ſint puncta continuantia, & terminantia. Superficies eſt latitudo cum longitudine ſine profunditate, cuius extremitates ſunt duæ lineæ. In qua re philoſophandum eſt, ac in lineis, vt enim in iſtis ſunt puncta continuantia, & terminantia: ita in ſuperficie ſunt lineæ terminantes, & continuantes: & quamuis linea interdum ſit lata: in ſua tamen ratione formali non includit latitudinem: ita ſuperficies, licet interdum ſit profunda, profunditas tamen non eſt de ratione ſuperficiei.

49 Ex his definitionibus illud infertur, quod nec linea poſſit eſſe ſine punctis, nec ſuperficies ſine lineis propter dependentiam, quam linea habet ad puncta, & ſuperficies ad lineas. Corpus vero eſt profunditas cum latitudine, & longitudine, cuius extremitates ſunt duæ ſuperficies. Hinc illud infero, vt linea ſine punctis, & ſuperficies ſine lineis, ita nec Corpus ſine lineis, & ſuperficiebus eſſe poteſt, cum neceſſario includat longitudinem, & latitudinem, quarum illa ad lineam, hæc ad ſuperficiem pertinet. Explicant autem Mathematici has tres quantitatis continuę ſpecies, fingendo animo, ductu puncti ad punctum effici lineam: ductu lineæ in latis effici ſuperficiem: ductu ſuperficiei in latitudinem, effici corpus. Explicant etiam philoſophi ſpecies iſtas ſecundum triplicem poſitionum differentiam. Vna enim poſitionum differentia eſt: Surſum, & deorſum: & huic reſpondet longitudo; Altera eſt, Dextrum, & Siniſtrum, & huic reſpondet latitudo. Tertia eſt Ante, & Retro. Huic reſpondet profunditas, igitur longitudo ad lineam, latitudo ad ſuperficiem, profunditas ad Corpus pertinẽt. Hinc ſit.

50 Aſſertio Prima. Linea, Superficies, Corpus mathematicè ſumptum ſub ratione trinæ dimenſionis, ſunt veræ ſpecies Quantitatis Continuæ. Ita Scotus, & Ariſtoteles in Textu. Prob. Illæ dicẽdæ ſunt ſpecies alicuius Generis, quæ includunt ipſum Genus formaliter, & ad inuicem diſtinguuntur; at ſupradictæ ſunt ſic: ergo &c. Mai. eſt clara. Mi. prob. quo ad primam partem: quia talia habent extenſionẽ, & diuiſibilitatem partium, terminoq; communi copulantur: ergo includunt Genus. Secunda pars. Prob. Linea poteſt eſse ſine ſuperficie, & ſuperficies ſine Corpore: ergo ad inuicem realiter diſtinguuntur.

51 Ob. Omne Corpus Quantum eſt eſſentialiter trinæ dimenſionis: ergo longitudo, latitudo, & profunditas non ſunt diſtinctæ ſpecies: ergo nec linea, nec ſuperficies, nec Corpus. Prob. vtrũque conſequens. Ex diuerſis ſpeciebus non poteſt fieri vna eſsentia: ergo ſi Corpus Quantum, & mathematicum includit eſsentialiter iſtas tres, non poſſunt dici diuerſæ ſpecies.

Reſpondeo. Quod ex rebus diuerſis ſpecie ordinatis ad conſtitutionem alicuius tertij, poteſt fieri tale tertium eſſentialiter; quod patet de Corpore phyſico, & anima rationali. Vnde non valet iſta Conſequentia. Homo eſsentialiter conſtituitur ex anima, & Corpore: ergo Corpus, & anima non diſtinguuntur ſpecie: nam Corporeum, & Spi-

& Spirituale diuidunt ſubſtantiam,tanquam differentiæ oppoſitæ.

Contra. Superficies nil aliud eſt, quam plures lineæ ad inuicem coniunctæ, & Corpus nil aliud eſt, quam plurium ſuperficierum,ac linearum aggregatio: ergo non poſſunt facere vnum per ſe ſpecificum: plura enim eiuſdem rationis ſimul coniuncta non conſtituunt vnum per ſe: vt patet de acceruo lapidum.

Reſpondeo. Quod plures partes eiuſdem rationis de facto faciunt in continuo vnam per ſe; in ligno enim reperiuntur plures partes eiuſdem rationis, & tamen nemo dicit, lignum eſse ens per accidens. Exemplum autem de acceruo lapidum non ad rem facit; nam ille aceruus non habet ſuas partes continuas,ſed diſcretas.

Hic eſset quęrendum. Vtrum Punctus,linea, & ſuperficies,ſecundũ quod indiuiſibiles sũt,ſint entia realia, & poſitiua,& a Corpore diſtincta; ſed quia hoc ſapit philoſophiam, omittimus illic videndum. Supereſt tamen,vt breuiter de Loco, Motu,ac Tempore,quæ inter Quantitates ſolent annumerari, diſseramus. Et quantum ad locum pertinet, difficultas eſt, an ſit ſpecies Quantitatis à cęteris diſtincta?

52 Aſsertio Secunda. Locus non eſt propria Species Quantitatis à reliquis diſtincta. Ita Scotus 5. *metaph.q. 9.* vbi ſoluens vltimum argumentum ad oppoſitum, quod probat, diuiſibilitatem non eſse rationem Quantitatis: *ſi ſic, cuicumque ineſſet hæc ratio, illud eßet per ſe Species Quantitatis; hoc falſum eſt de loco, quia non numeratur hic inter Species Quantitatis*, reſoluit, locum non eſse de genere Quãtitatis, & ideo non diuiditur, niſi ad diuiſionem ſuperficiei, & ſic diuiditur per accidens. Prob.etiam ratione ſic. In loco conſiderari poſsunt,vel illa ſuperficies corporis continentis ambiens locatum, vel relatio continentis ad Contentum, aut circumdantis ad circumdatum; ſed in quocumque ex iſtis ſtatuatur ratio loci, non conſtituit diuerſam ſpeciem à ſupradictis: ergo &c. Mi. Prob. Nam ſi conſtituatur in Superficie: ergo locus non erit ſpecies diſtincta à ſuperficie; ſi conſiſtit in aliqua ex illis relationibus; multo minus erit ſpecies quantitatis: ergo locus non eſt ſpecies Quantitatis.

53 Ob. Auctoritatem Ariſtotelis in prædicamentis *cap.* de Quantitat. Qui nnmerando ſpecies Quantitatis continuæ, ſubdit iſta verba Rurſus locus cõtinuorum eſt: ergo &c.

Reſpondeo Philoſophum eſse locutum de mente Antiquorum opinantiũ, locum eſſe Quantitatem, & dimenſiones quaſdam à corporibus ſeparatas, quas Philoſophus ipſe recenſet 4. *phyſ.* Et 5. *metaph.* Hanc materiam diligentias examinans, nullam loci mentionem facit inter ſpecies Quantitatis.

Dices. Contrarium tenet Scotus *q. 23.Prædicam.*

Reſpondeo, Scotum taliter ſequi Ariſtotelem, qualiter ipſe Ariſtoteles loquitur. Quare cum Ariſtoteles ad mentem aliorum loquatur. Sic Scotus, atque adeo ipſe Doctor in *q.* metaphiſicali citata ait. Quæ Philoſophus dicit in prædicamentis de loco, non ſunt Vera, nec loquitur ſecundum intentionem propriam, ſed famosè ſecundum opinionem aliorum.

54 De Motu autem eſt alia difficultas. Num ſit Quantus quantitate per ſe,& formaliter,an potius per accidẽs?

Pro quo notand:quod aliqua dicuntur Quanta per ſe,aliqua per accidens: Per ſe id dicitur Quantum,quod habet Quantitatem formaliter diſtinctam à quantitate alterius; vt linea eſt quanta quantitate diſtincta à Quantitate alterius, ſcilicet à Superficie; nam illa per ſe habet longitudinem à latitudine ſuperficiei ſeparatam. Quantum per accidens eſt, id quod habet Quantitatem

tem, quæ formaliter eſt alterius, & per illud ſibi ineſt, eo modo Qualitates inhærentes ſuperficiei ſunt Quantæ quãtitate, quæ eſt formaliter ſuperficiei. Dixi autem per accidens, nõ per aliud; nam hæc duo multo diſtinguuntur; poteſt enim fieri, vt aliquod ſit Quantum per aliud effectiuè, quod cauſetur ab alio, & tamen ſit Quantum per ſe, & non per accidens: vt ſi ponamus ſubſtantiam producere Quantitatem; in eo caſu Quantitas eſſet per ſe talis, nõ per accidens, & tamen eſſet per aliud talis, ideſt ab alio effectiuè; quo etiam modo in ſingulis rebus diſtinguere poſſumus: vt Homo deambulans per ſolem eſt niger: per aliud eſt talis effectiuè, quia ſic eſt effectus à Sole; eſt tamen, non per accidens, ſed formaliter niger, ideſt nigredine formaliter in ipſo inhærente; itaque non eſt idẽ; per aliud, & per accidens.

55 Aduert. Secundò. Quod Continuitas Motus, & diuiſibilitas eius ex duplici poteſt ratione oriri, vel ex diuiſibilitate ſubiecti, quod mouetur; vel ex magnitudine, ſiuè ſpatio, ſuper quod fit Motus. Ita Scotus 2. *d*. 2. *q*. 9. *V*. De primo loquitur Ariſtoteles 2. *de generat. t*. 2. *cum ait. Motum eſſe continuum propter id, quod mouetur; & 6. phyſicorum t*. 31. *ait. Motum diuidi ſecundum diuiſionem Mobilis*.

De Secundò loquitur. 5. *metaph. cap*. 13. cum ait: loquendo de tempore, & de Motu. *Hæc autem quanta, & continua dicuntur, quia illa diuiſibilia ſunt, quorum hæ ſunt paſſiones*. Quamuis etiam hæc auctoritas poſſit intelligi de prima ratione, ſic quod velit dicere, quod Motus ſit Quantus, quia ſubiectum eſt Quantum. Vtramque harum rationum, ſi præciſe, & per ſe vtraque conſideretur, ſufficere ad diuiſionem Motus, putat Scotus in loco cit. Si enim ſubiectum eſſet indiuiſibile, cuiuſmodi eſt punctus, vel Angelus, & moueretur ſuper ſpatium diuiſibile, adhuc motus continuus eſſet, & ſucceſſiuus; non ratione mobilis, cuius vna pars ſit in termino à Quo, & altera in termino ad Quem; ſed ratione ſpatij pertranſiti, cuius partem per motum primo attingeret, & deinde aliam, & ſic conſequenter. His poſitis.

56 Aſſertio Tertia. Ariſtotelicè loquendo. Motus eſt quantùs per accidens, quantitate, ſcilicet, vel ſubiecti, vel magnitudinis, aut ſpatij pertranſiti. Scoticè vero defendendo, Motus eſt per ſe quantus.

Prob. prima pars. Nam Ariſtoteles in prædicam. & 5. *metaphyſ. loc. cit*. vult, quod Motus ſit quantus ratione Magnitudinis, & Tempus ratione motus. Prob. etiam ratione. Motus localis Corporis, ideo ſucceſſiuus eſt, quia partes Corporis, quod mouetur, non poſſunt ſimul eſſe in loco proximo & remoto; vel quia ſpatium pertranſitum eſt diuiſibile, & Mobile, licet indiuiſibile, prius pertranſit vnam partẽ, quam aliam; ſed ratio ſucceſſionis eſt prior ratione Quantitatis Corporis, & deinde deriuatur ad partes Motus, quæ partibus mobilis adhærent; Secunda etiã prouenit ex partibus ſpatij diuiſibilis, ſuper quod fit Motus, & ab eo deriuatur ad partes Motus facti ſuper ipſum: ergo talis extenſio in Motu, vel Quantitas eſt per accidens, & ratione alterius; eo modo, quo cætera accidentia ſubiectata in Quanto quanta dicuntur.

Secunda pars. Prob. Nam Scotus. 5. *Metaphyſ. q*. 9. Aſſertor fuit Contrariæ ſententiæ; docet enim motum eſſe per ſe quantum, & ex his rationibus mouetur. Quod habet partes eiuſdem rationis diſtinctas realiter à partibus alterius, habet propriam quantitatem diſtinctam à quantitate alterius: ſed Motus, & Tempus, & Magnitudo ſunt ſic inter ſe: ergo habent quantitates diſtinctas. Min. prob. Tum quia partes Temporis, & Motus non poſſunt

esse simul, cum sint successiuæ; partes autem magnitudinis in omni instanti sunt simul, cum sint de genere permanentiam: ergo Motus, Tempus, & Magnitudo habent partes realiter distinctas inter se; atq; adeo Quantitas vnius à Quantitate alterius distinguitur. Tum quia partes temporis, & motus sunt, prius, & posterius; sed partes magnitudinis omnes sunt simul: ergo hæc, & illa Quantitas distinguuntur. Secundo sic. Passio Quantitatis, ex 5. *metaph. t.*13. est maius, & minus; tunc sic. Quod habet proprium maius, & minus distinctum à maiori, & minori alterius, habet propriam quantitatem distinctam à Quantitate illius, sed Motus habet proprium maius, & minus distinctum à maiori, & minori magnitudinis: ergo sunt distinctæ Quantitates. Mi. prob. nam magnitudine existente eadem, motus est maior, si transeat mobile tardum: & minor, si transeat mobile velox: ergo habent aliud, & aliud maius, & minus, Motus, & Magnitudo. 3. Continuum est cuius partes copulantur ad aliquem terminum communem: sed ad aliud indiuisibile copulantur partes Motus, nempe ad Mutatum esse: & ad aliud indiuisibile copulantur partes magnitudinis, scilicet ad punctum: ergo alia est continuitas Motus, & alia Magnitudinis.

Nec eorum ratio probantium, motum, & tempus esse Quanta per accidens, videtur solida. Nam cum dicunt. Motus est Quantus per aliud: ergo per accidens. Consequentia non tenet; siquidem quodlibet creatum est tale per aliud, quia est ab alio effectiuè: non tamen est tale per accidens. Sicut nec valet. Musca est substantia ab alio: ergo non est substantia secundum se. Potest enim, & est ex se formaliter tale, licet non à se, eo modo quo Scotus. 1.*d.*2.*q.*7. *asserit de filio Dei, qui ab alio*, nimirum à Patre habet necessitatem essendi, & ita non à se, & tamen formaliter est ex se ens necessarium. Deinde super spatium discontinuum potest esse motus continuus: vt patet de motu facto super Cordas Citharę pulsatæ, & de lapide descendente per aerẽ, & aquam ad fundum Maris: quæ duo elementa non sunt continua; nihilominus motus factus per illa, est continuus: ergo Continuitas Magnitudinis non dat Continuitatem Motui. Ad Aristotelem vero Scotus respondet ex reuerentia tanto Philosopho debita, cum dicit, Tempus, & Motum esse Quanta per aliud. Respondeo (inquit) de ratione Continui esse duo; Vnum diuidi in partes semper diuisibiles; aliud habere Vnitatem, ex hoc quod partes eius copulantur aliquo termino Communi: Quo ad primum, potest concedi, quod Motus consequatur Magnitudinem, ita quod Motus diuidatur ad diuisionem magnitudinis, & tempus ad diuisionem Motus: Sed quo ad Vnitatem, non requiritur tanta Vnitas in magnitudine, sicut in Motu: nam hic potest esse vnus omnino, esto quod magnitudines sint alterius rationis: vt supr. diximus de eo, quod mouetur per duo elementa, cum tamen efficiat vnum Motum Continuum.

De Tempore est alia difficultas. Num scilicet sit Quantitas. Difficultatem faciunt hæ rationes. Tum quia Quantitas Continua est diuisibilis in ea, quæ sibi insunt: partes autem temporis non sunt, quia fuerunt, vel erunt: non est ergo Quantitas. Tum quia ex Aristotele 5.*metaph. cap.* 3. Tempus est Quantitas per accidens, quia per accidens est diuisibile. Tum quia Tempus est Numerus Motus; Numerus autem est Quantitas discreta: ergo, &c. Tamen sit.

57 Assertio Quarta. Tempus est formaliter Quantum. Ita Scotus 5. *metaph. loc. cit.* vbi æqualiter discurrit de Motu, & de Tempore. Prob. Quod habet ex se, & ex sua natura partem ex-

extra partem est per se Quantum; at Tempus est sic: quoniam temporis partes sunt præteritum, & futurum, quæ nulli alteri competunt: Tum etiam: quia partes spatij sunt permanentes, partes vero temporis Continuæ: ergo huius Quantitas non est illius. Tum etiam, quia ratio Mensuræ, quæ est passio Quantitatis, per se conuenit Tempori: ergo est per se Quantum: est etiam longum, & breue per se: ergo est etiam per se Quantum. Quod autem sit Quãtitas Continua, ex eo prob. quia partes illius copulantur termino Communi, cuiusmodi est instans: ergo est Quantitas Continua: atq; adeo Assertio Vera.

Ad ea, quæ faciunt difficultatem, dicendum breuiter, quod partes Temporis non sunt actu actualitate præsentialitatis, sed Continuationis, & copulationis, idest copulantur ad aliquod, quod actu est, idque sufficit ad Quantitatem Continuam successiuam. Vel dicendum ad eamdem Maiorem, quod definitio illa Aristotelis sit Quantitatis continuæ permanentis. Ad secundum, quod tempus est Quantum per accidens causaliter, cum habeat suam Quãtitatem effectiuè ab alio, vt à Motu: formaliter autem est per se Quantum. Ad tertium, quod Tempus est numerus Motus, ideit mensura Motus: ratio autem Mensuræ quantitati Continuæ minimè repugnat.

QVÆSITVM SEXTVM.

De Quantitate Discreta, eiusque Speciebus, & primo de Numero. An sit per se Quantus, dicatque vnam per se Entitatem?

58 QVantitatem discretam, diximus esse, cuius partes termino communi haud copulantur. Hinc Quãtitas discreta dicitur, quia discretis partibus, & inunitis constat. Huius duæ communiter numerantur species. Numerus scilicet, & Oratio: de quarum vtraque magna est Controuersia inter Philosophos, an sint per se Quanta, dicantque Vnam entitatem per se. Prius igitur de Numero dicamus, pro quo.

59 Not. ergo, quod dupliciter cõsideratur Vnitas. Quædam est prædicamentalis, & Quantitatiua: & quædam est quæ conuertitur cum Ente: illa est in Genere Quantitatis: hæc vero est transcendens, & passio Entis: vtraque tamen est principium Numeri. Siquidem Vnitas prædicamentalis est principium numeri de Genere Quantitatis. Alia vero Vnitas est principium Numeri transcendentis. Numerus prædicamentalis causatur ex diuisione Continui: Transcendens autem ex diuisione Essentiarum.

60 Not. Secundo, quod Vnum, siuè sit Transcendens, siuè Quantitatiuum est quid distinctum formaliter ab eo cuius est, & est quid positiuum. Primum diffusè a Nostratibus tractatur 4. *metaph.* & breuiter suadetur: Tum, quia esset Nugatio dicere, Ens Vnum, cum sint idem: Tum quia prædicaretur de se in abstracto, si nulla distinctione inter se distinguerentur, & tamen est falsa propositio. Entitas est Vnitas. Secundum vero, scilicet, quod Vnum sit quid positiuum. Prob. De Vnitate Quantitatiua, de qua modo agimus: Tum, quia Negatio nõ habet rationem Mensuræ, cum hæc debeat esse certa, inuariabilis, minima, ex 10. *metaph. c.*23. sed Vnum habet rationem Mensuræ ex eodem Aristotele: ergo Vnum non dicit quid negatiuum. Tum, quia Positiuum non componitur ex negationibus intrinsecè: sed numerus constat ex Vnitatibus: ergo Vnitas non dicit simplicem Negationem.

61 His stabilitis. Duæ sunt positiones Celebres, quarum vtramq; Scotus. 1. d. 24. his Verbis significat. *Aut ponitur, quod Numerus habet Vnitatem for-*

malem, reſpectu cuius formalitatis vnitates ſunt materiales, & ſunt materia illius formæ: aut ponitur, quod Numerus eſt tamen vnus aggregatione Vnitatis, ſicut acceruus lapidum. Quid horum ſit Verum, aliàs videbimus. Hæc Scotus. Vbi duas innuit poſitiones. Priorem ipſe 5.*metaph.q.9.* amplectitur, ſed non omnes Scotiſtæ ſequuntur, ſed ſecundam poſitionem amplectuntur. Nonnulli ex noſtratibus, prioris poſitionis Tutores, mouentur ex hoc. Tum quia Ariſtoteles ponit numerum inter ſpecies Quantitatis diſcretæ. Tum quia, eſſe Æquale, & Inæquale, tam continuę, quam diſcretæ Quantitati conuenit. Tum quia eſt Menſura. Tum quia habere partem extra partem Quantitati diſcretæ omninò conuenit. Tum quia numerus eſt obiectum ſcientiæ realis, & Arithmeticæ, & per conſequens quid reale, & Vnum. Poſterioris poſitionis Defenſores ab his mouentur. Tum quia in numero non reperitur Vnitas ſubiecti, vel rerum numeratarum: vt per ſe patet. Nec Vnitas formalis; nam hæc, vel eſt Vnitas ſimplicitatis, vel compoſitionis: non poteſt autem in numero eſſe Vnitas formalis ſimplicitatis: quia talis Vnitas non poteſt eſse in ſubiectis adeo diſtinctis, ſicuti ſunt res numeratæ. Neque Vnitas Compoſitionis: quia ad hanc requiritur: vt vnum habeat rationem formæ, & reliquum rationem materiæ: ſed Vna Vnitas reſpectu alterius non habet rationem formæ, vel materiæ: ergo Numerus ex his conflatus non eſt Vnum per ſe. Deinde vltima vnitas reſpectu aliarum Vnitatum non dicit, niſi ordinem ad alias: ſed talis ordo non ſufficit ad Vnitatem per ſe: ſicut nec Exercitus dicitur Vnus per ſe ex tali ordine: ergo Numerus non dicit Vnitatem per ſe. Accedit etiam, quod nec talis Vnitas ordinis poteſt reperiri in numero: nam Vnitas quæ aſſumitur vltimo loco poteſt aſſumi priori loco in numerando, & quæ ſecundo poteſt aſſumi tertio, & ſic deinceps: ergo Vna vnitas non habet magis ordinem ad alteram, quam alia quæcumque. Deinde de ratione Numeri non eſt Vnio partium, imò negatio talis Vnionis: ergo Numerus nullam habet Vnitatem. Prob. Antecedens. De ratione Numeri eſt actualis diſcretio vnitatis; ſed hæc concludit negationem Vnionis: ergo de ratione Numeri non eſt Vnio partium. Quod etiam ex Philoſopho patet hic vbi inquit. Quantitatis diſcretæ partes non copulantur termino Communi: atque demum Ariſtoteles 10.*metaph. c.3. Numerum eſſe (inquit) Multitudinem Vnitatum.* Et Auerroes 3.*phyſ.com.68. Numerum eſſe (inquit) accerumm Vnitatum.* Hæc, & multa alia argumenta Huius congerũt Fautores opinionis, & multa ad rem hanc ſpectantia videri licet apud ipſos. In hac Controuerſia ſecernam Certiora, aut minus incerta ab incertis. Vnde ſit pro Nobis.

62 Aſſertio Prima. Numerus Quantitatiuus eſt in rebus ab ijſdem diſtinctus. Prob. Prima pars. Omnis realis multitudo eſt in rebus: at Numerus eſt realis multitudo, cum ex realibus Vnitatibus conſurgat: ergo eſt in rebus. Item Numerus conſurgit ex diuiſione Continui. 3.*phyſ. cap.67.* ergo realiter eſt in Quanto Continuo. Ariſtoteles etiam. 5.*metaph.t.2.* & 6.*metaph.cap.1.* oſtendit entia Mathematica, inter quæ ſunt Numeri, non eſſe à rebus naturalibus ſeparata: Et *t.2. de anima cap.6.* & 3.*cap.1.* inter Senſibilia Communia ponit Numerum: ergo Numerus eſt in rebus Quantis, & ſenſibilibus. Secunda pars etiam prob. Omne accidens abſolutum eſt diſtinctum à ſubſtantia: ſed Numerus eſt accidens abſolutum: ergo eſt diſtinctus à ſubſtantia. Tum quia, Numerus eſt quoddam ſenſibile per ſe: ſubſtantia autem non eſt talis: ergo, &c. Tum quia aliter ſubſtantia eſſet Quantitas.

63 Nec

63 Nec obstat, quod per diuinam potentiam non videatur posse separari numerus à re numerata: Nam adhuc separato numero à tribus substantijs continuis, videtur esse ternarius numerus: Ex quo est aliquod indistinctum à re numerata. Dicendum est enim, quod si per diuinam potentiam separarentur tres Vnitates quantitatiuę à tribus suppositis substantialibus; illa non essent tria formaliter, sed fundamentaliter tantum.

64 Assertio Secunda. Si Modus loquendi Aristotelis, & Veterum Auctoritas sit attendenda, magis videtur dicendum, quod numerus dicat Vnitatem quamdam formalem ex vnitatibus resultantem, & non tantum aggregationem. Si vero rationes attendantur, quæ certè in Philosophia, secus ac in Theologia maiorem vim habent, quã Auctoritas, mihi videtur probabilior illa positio, quæ numerum ponit esse aggregationem Vnitatum. Si quis tamen aliam velit defendere, dicat, Numerum esse vnum formaliter à sua forma specifica, quæ est propriè discretio existens in quinque Vnitatibus, si sit numerus quinarius, tanquam in sua materia: ita vt quinque Vnitates sint materia vera quinarij; & propria discretio existens in quinque illis vnitatibus, est forma specifica illius Quinarij.

65 Quod si quæras. Quo nomine erit nuncupanda huiusmodi forma? Resp. Sicut in multis rebus philosophicis dici consuescit, non esse formam nominatam, per illam tamen qualis, qualis sit conueniunt Quinario, ratio partium, diuisibilitas, ac passiones aliæ Quantitatis.

66 Si objjciatur. Ex illis Vnitatibus non fit vnum per se, sicut nec ex subiectis illarum fit vnum per se. Respondeo. Quod ex illis vnitatibus non fit vnum Continuum per se; fit tamen vnum discretum per se; licet ex subiectis talium Vnitatum non fiat vnum per se; nam maior potest esse Vnitas in accidentibus, quam in subiectis: vt etiã patet in secundis intentionibus Generis, & Speciei, quæ applicantur diuersis rebus, cum tamen ipsæ non habeant tantam diuersitatem: & albedo in Cigno, & in pariete est specie indistincta, cum subiecta sint, & specie, & genere distincta, vt notissimum est.

67 Nec obstat, quod Accidens habeat suam Vnitatem à subiecto; nam Verum est de Vnitate materiali; non de formali. Vnde non est absurdum, accidens habere maiorem Vnitatem formalem, quam suum subiectum.

Ad ea, quæ objjciũtur superius, dicendum est, quod talis Vnitas in numero, non est Vnitas ratione subiecti, vel Materialis: sed Vnitas formalis. Cum quæritur. Aut simplex, aut Compositionis, dicendum est, quod est Vnitas Compositionis, cum probatur oppositum, quia vna vnitas non est forma alterius. Resp. Id non requiri: nam etsi philosophus dicat, ex materia, & forma fieri vnum per se; non tamen putat, omne vnum per se debere habere formam partialem informantem alteram partem. Si quidem in artificialibus est forma: vt Domus, vel Cathedra, cum tamen omnia constituentia tale artificiale se habeant vt materia: ita singulæ Vnitates in numero quinario se habent vt materia, in quibus est forma Quinarij: quæ est propria discretio existens in quinque illis vnitatibus. Ad aliud, cum dicitur in istis vnitatibus non esse Vnionem, sed potius oppositum: ergo ex illis Vnitatibus non resultat vnum per se. Neganda est sequela: Nam vt de ratione formali Continui est partium Vnitas copulatarum ad terminum Cõmunem: ita de ratione Quantitatis discretæ est vt Vnitates, quæ se habent sicuti materia, sint à se inuicem discretæ. Hoc enim exigit forma Numeri, discretionem scilicet partium Materialium. Cum dicitur. Vnum accidens, non potest

teſt eſſe in diuerſis ſubiectis: ergo Vnitas Numeri non poteſt eſſe in diuerſis Vnitatibus materialibus. Dici poteſt, Verum eſse antecedens de accidente Continuo, non de diſcreto. Huius ratio exigit ipſarum partium materialium diſcretionem. Vel dicas. Vnum accidens numero eſse in diuerſis ſubiectis poteſt intelligi dupliciter: vno modo, quod ſecundum ſe totum ſit in diuerſis ſubiectis, alio modo, quod ſit in diuerſis ſubiectis ratione ſuarum partium, ſecundum quod vna eſt in vno ſubiecto, & alia in alio. Et ſic idem accidens poteſt eſse in diuerſis ſubiectis. Quod facili negotio oſtendi poteſt. Si vna, & eadem Quantitas eſset in ſubſtantijs diuerſis, tunc albedo Quantitati inhærens, eſset in diuerſis ſubiectis, ſicut & quantitas, ratione ſuarum partium. Ita in Caſu. Poſtremò ad Auctoritates Philoſophi, & Commentatoris dicentium, Numerum eſse multitudinem Vnitatum. Verum eſt materialiter, vel effectiuè, non formaliter: quo modo dicimus; totum eſse partes ſimul ſumptas non formaliter, ſed cauſaliter: quia, ſcilicet ex partibus ſimul ſumptis fit totum: ita dicendum in Caſu.

68 Si quis oppoſitam ſententiam de Vnitate numerali eligat, coactus rationibus, quæ huic parti videntur magis fauere, Is breuiter dicat, nullam ex vnitatibus quantitatis reſurgere Vnitatem realem formalem, quæ numero Competat, ſed eam eſſe Vnum aggregatione. Et ad ea quæ obijciuntur. Reſpondebit, Ariſtotelem loquutum fuiſſe, ſecundum Communem vulgi opinionem de Numero, nam vt dicitur. *Loquendum vt plures, Sapiendum vt pauci*, ac proinde de eo loqutum fuiſſe, ac ſi eſſet vera ſpecies quantitatis, cum tamen non ſit. Quod autem Arithmetica habeat Numerũ pro obiecto, non inde concluditur, Numerum debere eſſe vnum per ſe: ſufficit enim quod multæ Vnitates concipiantur mente, & vnum quid, præcipuè, quod Propoſitiones Numerorum, quæ ab Arithmetico conſiderantur, etiam numero Vnitatem rationis habenti, competere poſſent.

QVAESITVM VII.

De Oratione. Quid ſit, & an ſit Species Quantitatis?

69 NON minor, quam de Numero eſt difficultas de Oratione. Num ſcilicet ſit Vera quantitatis Species? Nomine autem Orationis, non intelligimus Vocem complexam ſignificatiuam, nec vocem prolatam ab animali per organa corporea, cum intentione ſignificandi: ſed intelligimus ſenſum articulatum, vt eſt in prolatione, & in fieri, qui menſuratur ſyllaba longa, vel breui, & ad hoc non exiguntur multæ dictiones, ſed vna tantum ſufficit, vt dicatur Oratio. Nec requiritur, vt ſit ſignificatiua, ſiue enim ſignificet, ſiue non, ſuam poteſt habere quantitatem. Eſt ergo Oratio in hoc ſenſu capta, menſura quędam partiũ quantitatis diſcretæ ſucceſſiuæ. De hac igitur eſt litigium. Num ſit Species quantitatis? Scotus hic, eiuſque Diſcipuli, nonnullis demptis ob auctoritatem Philoſophi, partem ſequuntur affirmatiuam. Alij autem tuentur oppoſitum his rationibus moti. Tum quia partes Orationis ſic dictæ nullam habent inter ſe Vnionem, cum vna ſyllaba ab alia ſit diſtincta. Tum, quia vna non eſt pars alterius. Tum, quia non videtur vna forma quãtitatis poſſe eſſe in tot ſubiectis, cuiuſmodi ſunt multæ ſyllabæ: quæ rationes Communes faciunt difficultatem, etiam in Numero, ſed ſunt ſpeciales etiam rationes in hac materia, nimirum, longitudo, & breuitas Orationis fit ex longitudine, & breuitate ſyllabarum; ſed cuius-

cuiuslibet syllabæ quantitas est quantitas Continua: ergo Oratio est aggregatio multarum Vnitatum continuarum. Adde etiam, quod longitudo, & breuitas syllabarum, vel pendet ex significatione: Quomodo Populus, vt significat arborẽ, habet priores syllabas longas: vt significat Gentem, habet easdem breues. Vel pendet ex solo placito Maiorum, vsuque aliorum: ergo non habet Oratio ex se talem quantitatem. Hæc, & alia à Fautoribus opinionis negatiuæ afferuntur. Pro nobis sit.

70 Assertio. Si attendamus rationes. Oratio non est vera species quantitatis discretæ à Numero distinctæ. Si Auctoritatem autem spectemus est species quantitatis discretæ à Numero distinctæ. Hanc, qui vult sequi sic probet; tum quia ita hic habet Aristoteteles. Tum quia syllaba mensuratur breui, vel longa: ergo huius est aliqua mensura per se; hæc autem non potest esse nisi quantitas: ergo Oratio ex syllabis huiusmodi constans habet propriam Quantitatem: hæc autem quantitas proportionaliter ad ea, quæ dicebamus de Numero, erit propria discretio existens in singulis syllabis, veluti in materia inadæquata: toti autem Orationi inerit, tanquã materiæ adæquatę. Quod autem sit Quantitas discreta. Prob. Nam partes orationis ad nullum terminum communem copulantur: ergo eius Quantitas est discreta. Consequentia tenet. Antecedens. Prob. Partes Orationis sunt syllabæ, harũ vero quælibet est ab alia distincta, discreta, & diuisa. Nec actus proferendi huiusmodi syllabas continuat: nam alia morula exigitur in prolatione vnius syllabæ, ac alterius. Nec significatum Orationis continuat syllabas: quia est extraneum ab Oratione, de qua loquimur, habere significatum. Tertio, quod hæc discretio, & Quantitas orationis sit alterius speciei à discretione, & Quantitate Numeri: Prob. Quia hæc oratio continet sub se, veluti species specialissimas omnes species pedum in Carmine: vt Dactilus, Spondeus, Anapestus, Coriambus, & cętera huiusmodi sunt species Orationis. Horum vero pedum proportio se habet ad alios æque, ac vnius numeri proportio ad alium: ita vt sit vnus in proportione dupla, vel tripla ad alium: sicuti Spondeus se habet in proportione dupla ad dissillabũ, cum ille ex duabus longis: hic ex duabus breuibus constet: ergo cum habeat Oratio varias species à numero distinctas, erit Species à Numero distincta.

71 Huius Opinionis Sectatores ad proposita argumenta aduersus ipsos poterunt sic respondere.

Ad primũ. Non requiri, quod partes Orationis aliquam habeant inter se Vnitatem, adhoc vt illarum sit Vna Quantitas: vt enim de Numero dicebamus, Vnitates Materiales, & si nullam habeant inter se Vnitatem, & Vnionem, possunt tamen esse materia formæ Numeri, vel discretionis numericę; ita syllabæ in dictione, & si nullam habeant Vnitatem, possunt tamen esse Materia illius Quantitatis, quæ est Dictionis. Et tota ratio, Cur non requiratur Vnio in vnitatibus numeri, & syllabis Dictionum; est quia Forma, Numeri, & Orationis discretio quædam est exigens partes suas dissitas.

Ad secundũ. Eodem modo respondendũ est, scilicet, hanc formam discretionis in Numero, & in Oratione non exigere, vt vna Vnitas sit pars alterius vel vna syllaba forma alterius: sed ex his omnibus vna forma discretionis resultare potest, quæ est Quantitas in Numero, & Oratione, licet specificè vna forma ab alia sit distincta.

Ad Tertiũ. Nihil vetat, vnam Quãtitatem discretam posse esse in diuersis subiectis, eo modo quo esset de numero

ro faſſi ſumus.

Ad Quartũ. Dicendum ad Minor. quod Quãtitas ſyllabæ ſpectata per ſe eſt quidem Continua; ſed vt ordinatur cum dictione eſt ratio conſtituendæ Quantitatis diſcretæ. Vnde ſyllaba in Oratione ſe habet, vt vnitas in Numero arithmetico; ex pluribus autem vnitatibus efficitur Quantitas diſcreta: & ita ex pluribus Quantitatibus ſyllabarum efficitur vna Quantitas diſcreta Orationis.

Ad vltimum dicendum, longitudinem, & breuitatem ſyllabarum non pendere ſimpliciter ex ſignificatione, vel ex ſolo placito aliorum, ſed ex natura ipſius vocis, attẽta ratione litterarũ, vel in ſe, vel in ordine ad alias ſyllabas; quę in eade dictione ponũtur, & ſic prout eſt corpulentia, vel extenſio Vocis, dixerunt, illam eſſe longam, vel breuem Fauctores huius opinionis.

72 Sed qui tenent ſententiam oppoſitam breuiter ſe expediunt dicentes, Orationem non eſſe propriè ſpeciem Quantitatis, cum per ipſos non dicat Vnum per ſe. Ad Ariſtotelem dicunt, illum ex Communi vulgi opinione fuiſse loquutum, cuius ſignum eſt, quod 5. *metaphyſ. cap.* 13. nullam Orationis mentionem facit, vbi Species quantitatis recenſuit. Quod dicitur, Orationis aliam eſse lõgam, aliam breuem; reſpondent, non alia longitudine, vel breuitate eam eſse breuem, quam proprij, & intrinſeci temporis, vel durationis eam menſurantis. Nec tamen talis quantitas eſt diſcreta ſpecies quãtitatis, ſed eſt ipſa rei Duratio.

QVAESITVM VIII.

De Proprietatibus Quantitatis.

73 PRima Proprietas quantitatis eſt. Quantitati nihil eſt contrarium. Idque eſt Commune quantitati cum ſubſtantia. Ad cuius Intelligẽtiam, ſuppoſita diſtinctione de Cõtrarietate, de qua diximus de ſubſtantia, dicimus hic, non eſse Contrarietatem propriè dictam, quæ eſt diſtantia duarum formarum, quæ natæ ſunt fieri circa idem, & mutuo ſe expellere ab eodem. Et ratio eſt: quia ad Contrarietatem propriè dictam pertinet, vt formæ tales, quæ ſunt ſpecie diſtinctæ, mutuo ſe expellant; ſed nulla ſpecies quantitatis expellit aliam: ergo in ea non eſt Contrarietas. Min. Prob. cum linea ſit principium ſuperficiei, & hæc principium Corporis: ergo mutuo non ſe expellunt.

Si obſtes. Diuiſibile, & Indiuiſibile opponuntur. Linea eſt indiuiſibilis ſecũdum latitudinem, ſuperficies ſecundum eandem eſt diuiſibilis: ergo eſt Contraria lineæ.

Reſpondeo. Si diuiſibile, & Indiuiſibile ſumantur formaliter, opponuntur priuatiuè, non contrariè: ſi verò ſumantur materialiter, vel pro ſubſtracto, & fundamento, nullo modo opponuntur.

74 Contra. Contrariorum Motuum contrarij ſunt termini; Augmentatio, & diminutio ſunt Motus Contrarij: ergo Magnum, quod eſt terminus augmẽtationis, & Paruum, quod eſt terminus diminutionis, opponuntur contrariè formaliter. Mouet hanc difficultatem, & videtur ſoluere Philoſophus in hoc loco dicens, quod Magnum, & Paruum non contrariè, ſed relatiuè opponuntur; ſi quidem idem reſpectu diuerſorum poteſt eſſe Magnum, & Paruum; quare non repugnat appellare talia potius Quantitatis affectiones, quam Quantitates; Sicuti nec æquale, & inæquale dicuntur Quantitates.

Sed vrgebis. Augmentatio, & Diminutio non tendunt ad Magnum, & Paruum, vt relationes, ſed vt formæ abſolutæ ſunt; ſed Augmentatio, & Diminutio ſunt Motus Contrarij: ergo termini abſolutè ſumpti, vt Magnum, &

Paruum sunt Contrarij. Optimum argumentum, hinc aliter respondeo ex Philosopho, quod Contrariorum Motuum non oportet Contrarios semper esse terminos contrarietate propriè dicta, sed sufficit latitudo, vel distantia ipsorum terminorum, ratione cuius, adiuncto modo tendendi in terminos, possunt esse motus contrarij. Vnde Motus intrinsecè sunt se ipsis contrarij; extrinsecè verò contrarietas petitur a terminis, sicut ab ipsis sumitur eorum distinctio. Potest autem intrinsecè esse distinctio motuum, absque extrinseca terminorum. Motus enim circularis, & motus rectus, & motus obliquus longè inter se distant, & tamen idem terminus indistinctus, & idem Vbi potest acquiri per illos motus. De qua re fusè Scotus 1.*d.*1.*q.*7.*& alibi*. Ita augmentatio, & diminutio se ipsis contrariantur, quamuis maior, vel minor Quantitas, quę requiritur per tales motus, non contrarientur. Vel secundo dicendum, quod Augmentatio, & Diminutio opponuntur priuatiuè potius, quam Contrariè, pro vt in Augmentatione noua Quantitas sine alterius deperditione, in diminutione vero omittitur Quantitas sine alterius acquisitione; amissio vero Quantitatis acquisitioni opponitur priuatiuè.

Vel forte non male diceret, qui de Contrarietate distingueret, quod, scilicet sumatur propriè pro repugnantia aliquorum virtute propria se expellentiam ab eodem subiecto, & hoc modo terminus augmentationis, & diminutionis non sunt Contrarij; alio modo large pro repugnantia quorumcumq; non se permittentium in eodem subiecto, & hoc siuè Virtute propria, siuè non: & hoc modo possumus dicere, quod perfectum, & imperfectum contrariantur: & sic termini augmentationis, & diminutionis opponuntur, sicut perfectum, & imperfectum, cum tamen Quantitas acquisita per hunc, & illum Motum, alterum virtute propria non expellat, ac proinde non contrariantur contrarietate propriè dicta.

75 Secundæ Proprietatis, quæ est, Quantitas non suscipit magis, & minus, non ea est ratio, quod forma eam habeat intentionem, & remissionem, quæ habet contrarium, cumque Quantitas non habet contrarium, sequitur, quod non suscipiat magis, & minus. Hæc (inquam) ratio non est vniuersaliter vera: nam lumen, Visio, scientia suscipiunt magis, & tamen non habent admixtum aliquod Contrarium. Potest ergo dici, quod Quantitas, cum consequatur materiam, quo ad latitudinem intensiuam, æque se habet ac materia, quæ non suscipit magis, & minus. Potest etiam reddi ratio ex parte effectus formalis Quantitatis, qui est extensio partium subiectiuè. Ad hunc autem effectum impertinens est extensio, imo non potest intelligi, quomodo talis effectus habeat locum: nam seclusa extensione, quomodo potest intelligi, quod res pedalis sit magis quanta, quã semipedalis. Suscipit ergo Quantitas maius, & minus, & non magis, & minus. Suscipere autem maius, & minus est suscipere maiorem, & minorem extensionem. Suscipere autem magis, & minus est in sua entitate perfici, seu intendi: quæ intentio fit per plures partes perfectionales in eodem loco, & situ se penetrantes: quo modo Quantitas non suscipit magis, & minus, sed benè Qualitas.

76 Nec obstat, quod Aristoteles 5. *metaph. cap.*15. dixerit, graue, & leue esse affectiones Quantitatis: graue autem, & leue suscipiunt magis, & minus: ergo, & Quantitas. Resp. Aristotelem esse locutum ad mentem illorum opinantium, grauitatem, & leuitatem nihil aliud esse, quam multitudinem superficierum, cum tamen grauitas, & leuitas sint Qualitates.

76 In Tertia Proprietate Quantitatis,

tis, in qua dicitur. Proprium eſt, ſecundum æquale, vel inæquale dici. Not. Sicut Quantitas eſt duplex, molis ſcilicet, & Virtutis, ſic æqualitas poteſt fundari in vtraque. Vnde Quædam eſt æqualitas, quæ ſolum inuenitur in rebus Quantis, & altera, quæ poteſt inueniri in omnibus rebus. De priori hic loquitur Ariſtoteles, quæ eſt æqualitas propriè, non de ſecunda, quæ translatiuè, vel metaphoricè dicitur talis.

77 Secundo Not. Quod hic non intelligitur de actuali æqualitate, ſed de aptitudinali: non enim oportet, quod ſi tantum ſit vnum Quantum in Vniuerſo, quod illud actu dicatur æquale, vel inæquale alteri, cum aliud ex hypotheſi non ſit: ſed Quantitas hoc illi tribuit, vt ſit aptum natum dici æquale, vel inæquale.

78 Not. tertio. Quod ſecundum Quantitatem dicimur æquales, vel inæquales fundamentaliter, non formaliter: formaliter enim æqualitate, quæ eſt relatio, dicimur Aequales. Quantitas autem eſt fundamentum æqualitatis, & inæqualitatis. Itaque Petenti, quo dicimur Aequales? Reſpondendum eſt: ſi de formali principio ſit loquutio, æqualitate dicimur æquales, ſicuti ſimilitudine ſimiles: ſi de fundamento: quantitate dicimur Aequales, ſicuti qualitate ſimiles.

79 Ad has Quantitatis Proprietates. Ariſtoteles 1.*phyſ.t.*15. *&* 3.*phyſ. t.*29. addit. Quantitati conuenire eſſe finitam, Vel infinitam, quod duobus modis poteſt intelligi ex Scoto 2.*metaph.q.*6. Vel de infinito in potentia, vel in actu. Si primum. Senſus eſt. Quantitati conuenire finitatem actu, infinitatem vero in potentia. Nec obſtat, quod potius deberet dici, copulatiuè, non disiunctiuè, ſic nimirum, proprium eſt Quantitati eſſe finitam, & infinitam: cum eadem Quantitas, quæ actu finita eſt, ſit infinita in potentia, eo quod poteſt in infinitas partes diuidi. Dicendum eſt enim, quod ponuntur ſub diuiſione illa membra, ad ſignificandum, ſumi in diuerſis ſenſibus. Siquidem finitas ſumitur in actu, & infinitas in potentia. Illud tamen hic eſt not. quod infinitas talis in potentia, & ſi diſcretæ, & continuæ Quantitatibus competere poſſit: diſcretæ tamen ita conuenit, vt ſemper in additione mutatur Species: vt ſi ternario addatur vna Vnitas, & Quaternario alia, & ſic de alijs, variabuntur Species Numerorũ: At Quantitati Continuæ manenti in eadem Specie poteſt fieri additio. Si autem intelligatur de infinito in actu, ita vt ſit ſenſus. Quantitatis proprium eſt eſſe actu infinitam, vel actu finitam: dicendum tunc, quod ex mente Philoſophi non repugnat magnitudini, vt talis eſt Quãtitas, infinitas. 2. *enim phyſicor.* agens de magnitudine, & tempore, ait. Vnumquodque aut finitum, aut infinitum eſſe, eſt neceſſe. Vnde conceſſit in tempore, & motu infinitatem, quamuis in cęteris neget, & ita infinitas non repugnat omnino Quantitati ex mente Ariſtotelis. Sed de hoc melius in phyſicis.

DISCEPTATIO III.

De Relatione.

80 SVmma Capitis huius hæc eſt. Primum. Ad Aliquid ſunt illa, quæ hæc ipſa, quæ ſunt, aliorum eſſe dicuntur, vel quomodolibet alter ad alterum: vt maius minore maius. Secundum. Relatiua habent Contraria: vt Virtus opponitur Vitio: non tamen conuenit omnibus: nam Duplo nihil eſt contrarium. Tertium. Relatiua ſuſcipiunt magis, & minus: nam Vnum dicitur ſimilius altero: non tamen Conuenit omnibus, quia non duplo. Quartum. Relatiua dicuntur ad Conuertentiam: tam illa quæ dicuntur ſecundum diuerſum Nomen: vt cum dicimus. Pater filij Pater, & hic è contra: quam

quæ

quæ habẽt diuersam cadentiam: vt cum dicimus, scientia scibilis Scientia; & è conuerso. Scibile scientiæ scibile. Quintũ. Contingit nõ fieri Conuertentiam, quando vnum non refertur ad suum proprium Correllatiuum: vt si dicamus: Auis ala auis; non è contra. Ala auis Ala: quia multa habent alas, quæ non sunt Aues; Sumendũ est ergo propriũ Correllatiuum, quod est, Alatum ala alatum, & è contra Ala alati ala. Sextum. Relatiua sunt simul natura, idest cum vnum existit, & alterum; nec tamen conuenit omnibus; nam scientia refertur ad scibile, & si nõ existeret scientia, esset scibile. Septimum. Definitio supra tradita reicitur; quia conuenit alteri à definito; siquidem, partes substantiæ aliorum esse dicuntur. Propria ergo definitio est. Relatiua sunt illa, quorum totum esse est ad aliud referri. Vltimum. Vnum relatiuum non potest cognosci sine altero. Hæc summatim ex Textu Aristotelis.

DVBITATIO I.

Num Ratione aliqua possit demonstrari, Relationes reales dari à parte rei?

81 VT quæ inferius sunt dicenda pateant, præmitto multas distinctiones Relationis. Relatio duplex est; quædam realis, altera rationis. Realis est, quę inest rebus, pręter opus intellectus, adeo vt suum esse non sit suum intelligi; & tres Conditiones exigit. Prima quod extrema sint realia. Secunda, quod sint realiter distincta. Tertia quod oriatur inter extrema ex natura extremorum, non per actum collatiuum intellectus. Relatio vero rationis est quæ fit, per actũ comparatiuum alicuius potentiæ. Hæc autem sunt secundæ intentiones. Istaque autem latius patet; nam quædam dicitur Relatio rationis, cui deficit vna Conditio requisita ad relationem realem: vt distinctio Entis ad non Ens. Cum hic ambo extrema non sint realia positiua, nec talis distinctio per consequens, quæ est relatio, dicetur Realis propriè; similiter Identitas eiusdem ad se, dicitur Relatio rationis, cum extrema non sint realiter distincta. Dicitur etiam Relatio rationis cum conuenit rebus, non vt existunt, sed vel vt fuerint: vt Adam fuit prior Noe: vel vt erunt: vt Antechristus erit prior Iudicio. Dicitur etiam relatio rationis, quæ conuenit rebus, quæ nullo modo existunt, sed fictæ sunt: vt relationes, quæ possunt Conuenire Chimeræ.

82 Rursus Relationis Realis quædam est aptitudinalis, quædam actualis. Illa non est nisi aptitudo, vel inclinatio ad aliquid, requirens terminum tantum in aptitudine, & prędicatur de suo fundamento per se in secundo modo, identificata cum eo; cuiusmodi est risibilitas in homine. Actualis vero requirit, fundamentum actualiter existere, atque terminum: vt Paternitas, & Filiatio; & de fundamento contingenter prædicatur.

Huius verò duplex est species; quædam est intrinsecus adueniens, quæ necessario ponitur, positis fundamento, & termino, etiam in quacumque distantia: vt Paternitas, & Filiatio, insurgunt in eo, qui genuit, & in eo, qui genitus est, necessario: etiam si sint remotissimi. Alia est extrinsecus adueniens, quæ positis fundamento, & termino necessario non insurgit, sed requiritur aliquod extrinsecum: vt in actione ignis in paleas requiritur debita approximatio.

83 Item Relationum, alia mutua. alia non Mutua; priores dicuntur, quæ ad inuicem dicuntur, siue realiter, siue secundum rationem. Exemplum priorum: vt Pater, & Filius; posteriorum,

Genus, & Species; non mutuæ autem ſunt, quorum alterum relatiuum refertur ad alterum, ſed non è conuerſo: vt Creatura ad Deum, eſt relatio realis non mutua: quia eſto creatura referatur ad Deum, non tamen Deus ad Creaturam refertur.

84 Iterum. Quædam ſunt relatiua æqualis comparationis, ſiuè æquiparãtiæ, quorum extrema referuntur ſub eadem appellatione: vt æquale, ſimile &c. Alia vero ſunt inęqualis comparationis, ſeu diſquiparantiæ; quorum extrema non referuntur ſub eadẽ appellatione: vt Seruus, Dominus, Pater, Filius &c. non enim dicitur Pater patris Pater, vel Dominus Domini Dominus. Verum enim vero Scotus 3.*d*.1.*q*.1. Relatiua diſquiparantiæ intellexit ea, quæ non mutuo referuntur, cuiuſmodi eſt (De hac enim ibi loquitur) Relatio creaturæ aſſumptæ ad Verbum, & Verbi ad naturam; quarum prior eſt realis, altera rationis, eamque vocat relationem diſquiparantiæ.

85 Denuo. Relatiua Quædam ſunt ſecundum eſſe, quædam ſecundum dici; ſecundum eſſe ſunt illa, quorum natura tota ſita eſt in eo, quo referuntur ad aliud: vt Pater, & Filius. Secundum dici ſunt ea, quæ potius concipiuntur in ordine ad aliud, cum tamen dicant entitatem abſolutam: vt ſcientia, habitus, quæ referuntur ad obiecta, vel concipiuntur in ordine ad obiectum.

86 Poſtremo. Quædam ſunt relationes prædicamentales, quæ determinatè fundantur ſuper rem vnius prædicamenti: vt ſimilitudo, æqualitas, &c. Quarum prior ſuper vnam Qualitatem, poſterior ſuper vnam Quantitatem fundantur. Quædam eſt tranſcendentalis, quæ determinate non fũdatur ſuper rem vnius prædicamenti; qualis eſt Relatio Creaturæ ad Deum. Neque enim fundamentum huius relationis eſt aliquã entitãs indiuidualiter, vel ſpecificè diſtincta ab alio, ita vt illi tantum competat, & non alteri, cum quælibet res eo ipſo, quod à Deo eſt, relationem tranſcendentalem habeat ad Deum. Huius relationis tranſcendentalis multiplex poteſt aſſignari Genus: vt ea quæ conuenit Enti in quantum Ens, vt ſcilicet abſtrahit ab omnibus prædicamentis, & paſſionibus eorum, tranſcendentalis relatio poteſt dici; qualis eſt habitudo ordinis, & diuiſionis, quæ eſt inter ens, & paſſiones eius. Ad eandem tranſcendentalem relationem reuocantur relationes Identitatis, & diuerſitatis. hæ enim conſequntur omne ens. Item relationes originis inter Perſonas diuinas: vt Paternitatis, Filiationis, Spirationis actiuæ, & paſſiuæ, & relationes communes ſimilitudinis, & æqualitatis inter eaſdem perſonas, trãſcendentales ſunt. multæque aliæ. Hæc autem tranſcendentalis à prædicamẽtali in multis differt; primo quia tranſcendentalis relatio aliud non eſt, quam ipſa res, quę refertur, vel ordinatur; idem eſt enim dicere materiam, & ordinem ad formam, quæ eſt relatio tranſcendentalis in ea; ſed non eſt idem dicere, hominem, & relationem ad Filium. Secundo per relationem tranſcendentalẽ res non refertur ad terminum, ſed ad finem, vel efficiens, ſicut potentia ad obiectum, vel habitus ad idem. Deinde tranſcendentalis relatio non facit rem vere relatiuam, ſed relinquit illam in eſſe abſoluto; vt potentia, & ſi ad obiectum, & habitus ad actus referãtur, ſunt tamen in prædicamento Qualitatis, vel potentia, ſi ſit eadem realiter cum anima, quod modo non diſputo, eſt in prædicamento ſubſtantiæ.

87 Poſtremò. Quædam relationes fundantur ſuper vnum, & Multa ex Ariſtotele 5. *metaph.c.*15. vt relatio Similitudinis, Aequalitatis, & identitatis fun-

fundantur super Vnum, Eadem enim sunt quorum substantia est vna. Similia sunt, quorum Qualitas est vna. Aequalia sunt quorum Quantitas est vna. Super Multa vero fundatur relatio Aequalitatis Numeri, cuiusmodi sunt proportiones cum ipsis, & hoc est primum Genus Relationis. Quædam fundantur super actionem, & passionem, siuè potentiam actiuam, & passiuam: vt Paternitas, & filiatio. Quædam fundantur super mensuram, & mensuratũ: intelligendo per mensuram, non eam quæ est propria Quantitatis, nam sic pertinet ad primum Genus relatiuorũ: sed extendendo nomen Mensuræ ad mensuram perfectionalem, quo modo scientia vt mensurata refertur ad scibile, vt ad mensuram: scibile tamen ad scientiam non mutuam habet relationem. His positis distinctionibus propositam, iam dubitationem, resoluemus.

88 Assertio. Non desunt rationes naturales probantes dari à parte rei Relationes reales, quæ non nisi à proteruo elidi possunt. Probatur Primo. Datur Prædicamentum reale relationum: ergo dantur relationes reales. Sequela probatur; non enim collocari potest in prædicamento reali per se ens rationis. Antecedens prob. *ex 6. metaph.* vbi ens diuiditur in ens in anima, & in ens extra animam, & hoc in decem genera, quæ testibus omnibus Interpretibus, sunt decem prędicamenta. Item 5. *metaph. cap.* 15. *Scientiam, & Sensum (inquit Philosophus) referri ad scibile, & sensibile*, non hæc ad illa, sed hæc nõ referuntur ratione: ergo Sciẽtia, & Sensus referuntur ad scibile, & sensibile realiter. Deinde, dantur denominationes reales relatiuæ: ergo, & relationes reales. Antecedens prob. De Simili, de Aequali, de Patre, quæ omnes sunt denominationes reales relatiuæ. sequela prob. quia realis denominatio non est, nec potest esse à forma rationis. Et Conf. quia modus significandi sequitur modum intelligendi, & hic modũ essendi; sed aliqua significantur relatiuè, & hæc sic intelliguntur: ergo ita sunt; sed si relatiuum erit reale: ergo ab aliqua relatione reali; nõ enim est effectus formalis sine causa formali. Deinde multa sunt præter opus intellectus relatiua: ergo habent relationem præter opus intellectus. Antecedens prob. Nullo enim intellectu considerante. Pater est verè Pater. Deinde. Generantur, Corrumpuntur, multiplicantur relationes, generatis, nec non corruptis fundamentis: ergo veræ relationes sunt in fundamentis. Antecedens prob. existente pariete albo, ille dicitur similis huic, & realiter, non ratione: ergo per formam nouiter inexistentem; illa autem non est Qualitas, nam hæc prius in illo erat: ergo est relatio. Conf. Non potest aliquid transire de Contradictorio ad Contradictorium respectu alicuius prędicati noui sine accessione alicuius nouæ rei; sed paries albus, producto altero, dicitur nouiter similis, & per consequens fit de non simili simile: ergo per nouam formam in eo existentem; huiusmodi autem nulla videtur esse, nisi relatio realis similitudinis: ergo, &c. Deinde ædificatis alijs parietibus albis, ille prior paries, albus dicitur pluribus similis: ergo alia, & alia similitudine reali; Destructis pariter alijs parietibus, priore pariete remanente in sua substantia, Quãtitate, & Qualitate, non dicitur alteri æqualis, aut similis: ergo transit de Contradictorio ad Contradictorium, idest de simili, & æquali in non simile, & non æquale: ergo non potest esse nisi per deperditionem alicuius formæ in eo prius existentis: talis non est substantia, nec Quantitas, nec Qualitas, cum ex suppositione remaneant: ergo erit relatio ęqualitatis, vel similitudinis, quę prius erat in illo.

89 Ex Scoto 2. *d.*1. *q.*5. aliæ possunt

erui

erui rationes id ipsum probantes, quæ sunt; quod destructis relationibus realibus, destruitur ratio Vniuersi: tum substantialis, tum accidentalis compositio: destruitur Causalitas causarum secundarum: ac destruitur realitas sciẽtiarum Mathematicalium. Primum. Prob. Vnitas Vniuersi, ex Aristotele 12. *metaph. t.* 52. consistit in ordine partium ad se, & ad primum; sicut vnitas exercitus in ordine partium eius inter se, & ad Ducem: sed ordo hic non dicit aliud nisi respectum: ergo eo sublato, tollitur ratio Vniuersi. Quamobrem aduersus hos id dici potest, quod Philosophus ibidem ait, scilicet. Inconexam faciunt Vniuersi substantiam. Secundum prob. Quia Nihil est Compositum sine Vnione partium; sed nullum reale Compositum, maxime, quod non est artificiale, dependet ab eo, quod est ens rationis: ergo Vnio, quæ est relatio, non dicit ens rationis.

90 Nec obstat, quod Compositum substantiale dicetur dependere à relatione, quæ est accidens. Nam non est dependentia eius à relatione, tanquam à causa efficiente, vel finali, sed tanquam ab alio necessario prærequisito. Quo modo quæcumque Composita præexigunt vnionem, quæ est relatio. Tertium prob. Quia causatio effectus realis non requirit ens rationis in causa; sed non possunt causare causæ secundæ sine approximatione: ergo approximatio, quæ est relatio, non potest esse Ens rationis. Vltimum prob. Ex scientijs mathematicis demõstratur passio relatiua de subiecto, qualis est; vt alia exempla omittam, æqualitas trium angulorum duobus rectis: ergo est realis relatio, cum æqualitas ex omnium consensu, sit relatio. Scio ab aliquibus posse dici; Nec ordinem, nec Vnionem, nec approximationes esse relationes, sed ipsasmet sic vnitas, ordinatas, esse causas. Sed præterquam quod Vniuersali Phylosophorum opinioni repugnat: rationi etiam euidenti contrariatur. Aequidem prius partes non dicebantur ordinatæ: deinde dicuntur ordinatæ: prius non vnitæ, deinde vnitæ; prius non approximatæ, deinde approximatæ: ergo per mutationem aliquam in eis factam. Patet sequela, non enim fit de Contradictorio ad Contradictorium respectu alicuius prędicati trãsitus sine accessione nouæ formæ, cum sit in eis mutatio: ergo aliter se habent nunc, quam prius; est enim hæc definitio mutationis; hujusmodi autem aliter haberi, non potest intelligi sine eo, quod aliquid, mutato adueniat, vel in eo deperdatur: ergo hæ, de quibus diximus, relationes, dicunt ens reale: ab ijs, de quibus educuntur fundamentis, distinctum.

91 Scio, ad ea, quæ superius dicta sunt, responderi à nonnullis, formam absolutam, vt albedinem, denominare parietem album, & similem: sed ad denominandum parietem album, nil aliud requiri, nisi vt forma subiecto inhæreat: ad denominandum eumdem similem, requiritur aliquid, tanquam causa sine qua non, nimirum alius paries albus Quare non per relationem similitudinis, sed per formam absolutam dicitur subiectum simile. Sed hæc responsio est gratis conficta, quod prob. Forma, eo ipso quo inhæret subiecto, dat illi esse, & illud denominat, nullo alio prærequisito: hoc est enim denominare subiectum, quod est informare ipsum: sed informat, nullo alio prærequisito: ergo denominat idem, nullo alio etiam prærequisito, & per consequens, sine alio pariete erit vnus paries albus, & similis, si albedo est causa talis denominationis. Deinde. Vnius formæ, vel causæ formalis, vnus est adæquatus effectus formalis; sed Qualitatis absolutæ effectus formalis adæquatus est facere subiectum quale, qualitate scilicet correspondente suæ Causæ: ergo eadẽ Qualitas non facit subiectum simile. Et Cõfir-

firmatur. Quod paries dicatur albus, & similis, sunt duæ denominationes, quarum prior est absoluta, posterior relatiua: sed prior est ab albedine, quæ est Qualitas absoluta: ergo secunda erit à forma non absoluta, scilicet à similitudine distincta ab albedine.

Quod autem dicitur, præexigi consortium alterius parietis albi: vt prior dicatur similis per albedinem. Id (inquam) est impertinens: nam Causa sine qua non, vel necessario aliquid prærequisitum exigitur ante productionem effectus, ad hoc vt Qualitas afficiat subiectum, & ipsum denominet: non requiritur tamen alius paries albus: ergo nec ad denominandum: quamobrem ab alio paries dicitur albus, & ab alio similis. Igitur, &c.

92 Hæc argumenta Homini non proteruo sufficere debent; quod si demum hæc illum non conuincunt, accedat ratio ex principijs Theologiæ, eaque est. Dantur relationes reales in Deo ex Fide; sed ratio propter quam dantur, reperitur etiam in Creaturis secundum suam rationem formalem: ergo etiam in Creaturis reperiuntur relationes reales: Mi. Prob. Ratio propter Quam dantur in Deo relationes reales est: quia reperitur in Deo ratio principij, & principiati, vel Generatio actiua, & passiua: hæc etiam sunt in Creaturis: ergo in eisdem reperiuntur Relationes reales. Conf. quia cum eadem est ratio ponendi aliquid in Deo, & Creaturis, nec repugnat Deo ob imperfectionem, nec Creaturis ob nimiam perfectionem, in vtroque ponitur: sed ratio principij, & principiati, vel Generationis actiuæ, & passiuæ, est ratio sufficiens ponendi relationes, non imperfectionem inuoluit: vt à Deo remoueatur: nec nimiam perfectionem includit, vt excludatur à Creatura: ergo in vtroque ponitur.

93 Nec obstat, quod in Deo talis ratio Principij sit infinita, in Creaturis vero finita: nam vt omittamus hanc difficultatem. Num ratio principij ad intra, vel Generantis, formaliter loquendo, dicat perfectionem, de quo aliàs: Illud tamen est certum, quod relatio consequitur huiusmodi rationem principij, vt principium est, non vt infinitum.

94 Nec similiter obstat, quod tales relationes ex Cōmuni sententia Theologorum, sint constitutiuæ Personarū: in Creaturis autem non participant hanc rationem. Nam id impertinens est in quantum Relationes: ijs enim nec per se conuenit constituere, nec per se constituto aduenire. Quare vbi est fundamentum eiusdem rationis, saltem trascendentalis, ibi etiam relationes reales erunt. Quamuis etiam relationes prædicamentales, & si non constituant personas in esse personarū, sicut diuinæ, constituunt tamen relatiuum in esse relatiuo: vt Paternitas in Petro; quamuis Petrum non constituat in esse Petri, constituit tamen in esse Patris; & per consequens habent relationes prædicamentales, cum diuinis, quamdam proportionem.

95 Quæres. Quæ nam sint illæ relationes, quæ in hoc prædicamento reponuntur? Respondeo quatuor exigi Conditiones, vt aliqua relatio hic ponatur. Prima, quod sit Realis, ad excludendas relationes rationis; In prædicamento enim reali; quale est hoc, non nisi entia realia debent poni. Secunda, quod sit finita; ad excludendas transcendentales relationes: quæ vel in ente vt ens est, vel in Deo ponuntur. Hæ enim relationes, vt semel dicam in via Scoti, propriè dicuntur Transcendentales; nam aliæ, quæ vel vagentur per diuersa prædicamenta, vel non constituunt relatiuum, propriè dicuntur relationes secundum dici: quales sunt relationes habitus ad actus, potentiæ ad obiectum. Tertia, quod sit relatio actualis à fundamēto distincta realiter: nam

nam relationes aptitudinales in eo prędicamento reponuntur, in quo earum subiecta, propter identitatem realem, quam habent in eis: vt risibilitas est reductiuè in prædicamento substantiæ. Quarta vt sit relatio intrinsecus adueniens; nam extrinsecùs aduenientes relationes, ad cætera sex prædicamenta spectant. Omnes ergo relationes, quæ his quatuor potiuntur conditionibus, in hoc ponuntur prædicamento.

DVBITATIO II.

Num Relatio terminetur ad absolutum, & definiatur per illud. An potius ad respectiuum?

96 VErbi gratia: Num substantia Filij, an filiatio, sit terminus Paternitatis. Ita est sensus huius dubitationis, quam mouemus, tum de relationibus mutuis, tum non mutuis. Vnde suppono, quod relatio prædicamentalis sit accidens, cuius totum esse est ad aliud. Ex definitione Aristotelis superius tradita, & secundo loco quæsita; nam prior definitio, ratione vltimæ particulæ in ea positæ, conuenit etiam relationi secundum dici. Hæc autem modo assignata, est tantum relatiuorum secundum esse. Cum dicitur. Accidens. Declaratur Genus relationis, quod licet sit omissum à philosopho, intelligi tamen debet, ex eo, quod prius diuisit Ens in substantiam, & accidens, & substantiam posuit in vno prædicamento, & accidens diuisit in nouem. Per alias particulas distinguitur relatio à reliquis accidentibus, tum absolutis, quorum esse non est ad aliud, tum relationibus secundum dici; quarum aliquas appellat transcendentales includentes absolutum: Quapropter totum esse illarum, non est ad aliud. His positis.

97 Assertio Prima. Relationes non Mutuæ terminantur ad absolutum. ita Scotus in 1.*dist.30.q.vnica*. Patet. Quia in termino relationis non mutuæ nulla est relatio; non realis: vt constat, ex hoc. n. dicuntur relationes nõ mutuæ; non rationis; quia ante operationem Intellectus, relatio realis debet habere suum formalem terminum: ergo terminus formalis in relationibus nõ mutuis est aliquod absolutum, non respectiuum. Deinde. Terminus Quo, & Quod non potest esse posterior relatione terminata; imo debet esse prior; sed respectus rationis, si sit in altero relatorum, est posterior relatione reali alterius terminata: vt patet 5.*metaph.* vbi dicitur; quod aliqua referuntur ad alia, quia illa referuntur ad ipsa. Et ponit exemplũ de scibili respectu scientiæ: ergo respectiuum non potest esse terminus alterius relatiui. Confirm. nullus respectus rationis potest esse terminus quo, vel Quod alterius relationis realis, sicut nec dependẽtia realis; sed respectus nõ mutuus, est respectus rationis: ergo non potest esse terminus relatiui realis.

98 Assertio Secunda. In Relationibus mutuis terminus Quo est aliquod absolutum. Ita Scotus. *loco citat.* Prob. Relatio Principij ad id terminatur, quod est primario, & per se principiatum; sed principiatum per se, & primario non est relatio, sed sua ratio formalis, quæ est fundamentum relationis. ergo hæc erit terminus. Item relationes debent esse simul natura; sed non essent simul, si terminarentur ad respectum: ergo ad illum non terminantur. Mi. prob. Nam relatio resultat ex positione termini: ergo est posterior eo; sed per te terminus relationis est relatio apposita: ergo est posterior ea. Non ergo simul natura. Item illud quod tantum est prius natura ipsa relatione terminata est terminus illius. Quia terminus præsupponitur à relatione; sed hoc est absolutum,

lutum, & non mutua correllatio realis: quia istæ sunt simul natura: ergo absolutum est terminus. Item sicut fundamentum in relato, sic terminus se habet; sed fundamentũ est absolutum: ergo, & terminus. Quare sicut Album est fundamentum similitudinis, sic, & terminus eiusdem.

99 Assertio Tertia. Totum relatum constitutum ex absoluto, & respectiuo est terminus Quod Relationis mutuæ, Prob. Tum, quia sic est in diuinis; nam terminus Quod Patris est Filius. Tum, quia id terminat relationem vt quod, quod è contra refertur vt Quod: sed totum constitutum per se primo refertur: vt filius ad Patrem, simile ad simile: ergo terminat per se vt Quod.

100 Assertio Quarta. Relatio à priori, vel definitione Quidditatiua debet definiri per absolutum. Prob. Tum, quia. Vnum relatiuum non potest esse definitio alterius, nam definitio dat causam innotescendi; sed vna relatio non potest esse causa innotescendi, seù cognitionis alterius; quoniam aut contineretur essentialiter, vel virtualiter; at hoc repugnat: nam qua ratione vna relatio continet essentialiter, aut virtualiter alteram, eadem ratione hæc è contra deberet in altera contineri, & sic esset eadem continens, & contenta, notior, & ignotior. Tum, quia vna relatio non est ratio cognoscendi se ipsam; sed eius cognitio ex fundamento, & termino dependet: ergo multo minus est ratio cognoscendi relationem oppositam. Tum, quia in definitione quidditatiua debent poni, quæ sunt priora definito; sed oppositum relatiuum non est prius relatiuo definito, cum sint simul natura: ergo non potest poni in definitione illius. Tum demum prob. ex definitionibus relatiuorum: in quibus ponitur absolutum: Eadem sunt, quorum substantia est Vna. Similia sunt. Quorum Qualitas est Vna, Terminus est extremum propositionis, prædicatum, quod dicitur de alio, Pater Generans substantiam viuentem in natura similem: ergo, &c.

101 Ad solutionem multorum, quę possunt obijci, præmitto, quod aliud est relatiuum referri, opponi, & coexigere aliquid, & aliud est terminare ad aliud. Nam referri est dici ad aliud sub habitudine alicuius casus: vt Pater filij Pater, & hoc modo vnum relatiuum ad aliud refertur, & eidem opponitur, & idem exigit; Sed terminari est finiri eius dependentiam, quæ vt superius diximus, ad absolutum, non ad relationem terminatur: Quare cum dicitur. Corrupto quocumque alio, posita tantum relatione Paternitatis, esset terminata ad Correllationem filiationis; & posito domino, & seruo, quocumque alio circumscripto, esset terminatio illius ad istum: ergo terminus est relatio, non absolutum.

Respondeo. Per impossibile, solæ relationes ponerentur, essent quidem oppositæ, mutuoque se coexigerent: sed non essent terminatæ: quia vna non haberet rationẽ terminandi aliam, sed absolutum est illarum terminus; essent ergo in eo casu terminabiles, non terminatæ. Similiter Dominus, & seruus sunt Correllatiua, sed vnum non est terminus alterius, loquendo formaliter de Domino, & de Seruo.

Cum etiam dicitur, ea ratione aliquid terminat relationem, vel relatiuum, qua ratione refertur ad ipsum, sed non refertur per absolutum: ergo nec terminat per absolutum. Neganda est Mai. simpliciter. Aliud est enim referri, aliud terminari, vt diximus.

Similiter cum dicitur. Si Relatio non est ratio terminandi, sed absolutum, sequitur quod filiatio simpliciter per accidens pertineat ad terminum Paternitatis, vel ad illud, quod est Pater, quia accidit per se termino, & tunc sequitur, quod Pater non per se, sed per accidens dicitur ad Filium. Respondeo.

Quod Relatio oppoſita per accidens ſe habet ad per ſe terminum, ideſt ad abſolutum hoc, vt natura filij, vel abſolutum eius, ad quod terminatur Paternitas,per accidens ſe habet ad relationem in eo fundatam, vel ad ipſum terminatam, cum ſine vtraque eſſe poſſit. Sed Quantum ad coexigentiam, & oppoſitionem, relatio vna per ſe aliam reſpicit,& non reſpicit abſolutum.

102 Nec obſtat, quod ex Philoſopho relatiua dicentur ad Conuertentiam: ſed relatiuum dicitur ad Conuertentiam cum termino: ergo terminus relatiui eſt Correllatiuum. Neganda eſt Mi. ſi intelligatur de termino Quo; non enim relatiuum dicitur ad Conuertentiam cum abſoluto, quod eſt terminus Quo: ſed dicitur ad Conuertentiā cum termino Quod. Deinde aliud eſt dici ad Conuertentiam, & aliud eſt eſſe terminum. Concedimus relatiua dici ad Conuertentiam,ideſt vnum ad aliud referri, ſed vnum non eſt terminus alterius.

103 Nec ſimiliter obſtat, quod Relationes ſint ſimul Cognitione: at id non eſſet, ſi relatio terminaretur ad abſolutum: nam tunc ſatis eſſet ſi cognoſceretur abſolutum,quod eſt terminus. Reſpondeo. Cognito vno relatiuorum cognoſci aliud: non quia vnum ſit terminus alterius: ſed quia eo cognito neceſſario debet præcognoſci fundamentum, & terminus eius, quæ ſunt abſoluta, ex quibus dependent eſſentia, & cognitio relationis,& quia ſic idem terminus vnius relationis eſt fundamentū oppoſitæ relationis: eo cognito neceſſario cognoſcitur alterum correllatiuum: vt ſi quis paternitatem cognoſcat, neceſſario debet præcognoſcere naturam Patris,quæ eſt fundamentum, & natura filij, quæ eſt terminus. Et quia hæc natura filij eſt fundamentum filiationis, & natura Patris eſt terminus eiuſdem filiationis, ſequitur quod cognito vno relatiuorum, alterum cognoſcatur: non quia ſit terminus: ſed quia eſt aliquod neceſſario requiſitum cum altero.

104 Nec pariter obſtat. Si vnum relatiuum ad abſolutum terminaretur, & non ad relatiuum, tunc non eſſent relatiua ſimul natura? nam ſi terminatur Paternitas ad abſolutum filij, erit ſimul natura, hoc abſolutum filij cum illa relatione: ſed filiatio eſt poſterior abſoluto in filio, cum ab ipſo emanet: ergo erit poſterior paternitate. Quare Paternitas, & Filiatio non erunt ſimul natura. Reſpondeo. Relationem terminatam ad abſolutum non eſſe ſimul natura cum eo: vt Paternitas terminata ad naturam filij non eſt ſimul cum natura filij,ſed eſt poſterior per regulam illam Scoti. Quod prius ſit alterum abſolutum in Cauſa. Deinde abſolutum in effectu, & poſtremo inſurgent relationes in abſolutis. Quamobrem poſitis naturis Patris, & Filij,inſurgit in eodem inſtanti naturæ relatio filiationis, & paternitatis in ambobus extremis, & ſic ſunt ſimul natura Relationes.

DVBITATIO III.

An Relatio diſtinguatur à Fundamento realiter.

SVppoſita diſtinctionis realis cognitione, quam præmiſimus in diſtinctionum pædia, duabus aſſertionibus, totam hanc rem abſoluemus. Quarum prima ſit.

105 Aſſertio Prima. Omnis Relatio Prædicamentalis diſtinguitur realiter à ſuo fundamento, & è contra. Prob. Nihil eſt idem realiter cum aliquo, ſine quo illud poteſt eſſe realiter ſine contradictione: ſed omnes relationes prædicamentales ſunt tales: vt ſine ipſis fundamenta poſſint eſse ſine Contradictione: ergo non ſunt realiter idē. Mai. Multipliciter à Scoto, cuius eſt

hæc

hæc assertio, prob. in 2.*d*.1.*q*.5. tum quia, sublata Veritate illius Maioris, auferetur Veritas primi principij; Siquidem de nullo dicitur, esse, & non esse simul; sed si aliquod sit idem cum aliquo, & possit esse sine illo: ergo idem esset, & non esset. Tum quia, negata illa Maiori, non videtur relinqui Modus, quo possit entium distinctio probari; nam dicenti substantiam posse esse sine accidente, ac per consequens esse realiter distinctam, responderet proteruus, aliquid posse separari ab aliquo, & tamen esse idem realiter. Tum quia ea negata, nulla remaneret via ad probandum, materiam esse distinctam à forma, ex eo, quod maneat eadem sub oppositis formis. Qua via vtitur Philosophus 1.*physicor*. & alibi, sæpe ad probandam distinctionem materiæ, & formæ; Nam diceret, quod cum separatione vnius ab altero est identitas realis amborum inter se. Tum quia, inanis esset probatio Aristotel. 4. *phys*. probantis, locum esse aliud à locato, quia idem locus manet cum diuersis locatis. Nam responderetur, locatum à loco posse separari, & tamē esse realiter idem inter se. Minor vero prioris argumenti est clara in omnibus relationibus æquiparantiæ; nam album sine similitudine; Quantum sine æqualitate esse potest. Patet etiam in relationibus secundi Modi. Nam Franciscus sine paternitate esse potest: ergo fundamentum à relationibus, & è contra realiter distinguitur.

106 Prob. Secundò. Nullum finitum continet realiter opposita formaliter; sed fundamentum est aliquod finitum, & multæ relationes sunt oppositæ formaliter: vt Aequalitas, Inæqualitas, similitudo, dissimilitudo, paternitas, filiatio; & illæ possunt esse in eodem fundamento successiuè, vel simul: ergo fundamentum neutrū istorum sibi identificat realiter; quia enim ratione, non identificat sibi vnum, nec alterum. Mai. patet, cum talis Continentia secundum identitatem realem negetur etiam in Deo; non enim Deus idētificat sibi opposita formaliter absoluta, licet possit habere talia opposita virtualiter, & relatiua formaliter, hoc est. Deus habet virtualiter caliditatē, & frigiditatē, cū talia possit producere, non tamē cū illis identificatur realiter.

107 Prob. Tertiò. Idem non continet plura eiusdem rationis sibi identificata realiter; sed plures relationes eiusdem rationis, sunt in eodem fundamento: vt plures similitudines in eadem albedine: ergo illæ non identificantur cum eodem realiter; nec qua ratione omnes, ita nec vna illarum fundamentum sibi identificare potest. Mai. apparet inductiuè in omnibus, quæ continent plura sibi identificata realiter; Vnum enim Continens continet vnum totum eiusdem rationis: vt homo vnam risibilitatem, asinus vnam rudibilitatem.

108 Prob. Quartò. Continens aliquid per identitatem, si est perfectius, concludit contentum esse etiam perfectius: vt Anima rationalis identificata realiter cum Intellectu, concludit intellectum meum esse perfectiorem, qui est perfectionis animæ, si esset in animabus disparatis, quod tamen non asserimus; Vel si sit vera ea opinio, quæ asserit eamdem esse formam intellectiuam, & sensitiuam in homine, Perfectior esset sensitiua hominis, quam æqui: quia anima rationalis continet eam per identitatem, esset perfectior anima irrationali ęqui cōtinente suam sensitiuam per identitatem. Vel demum, omissis exemplis istis dubijs, clarum est, quod risibilitas contenta in humanitate per identitatem est perfectior rudibilitate contenta in asinitate. Maneat igitur hæc Maior. Continens aliquid per idētitatem si est perfectius concludit contentum esse perfectius. Sed stante fundamento perfectiori non

datur perfectior relatio; non enim omne albius est similius: ergo similitudo non identificatur realiter cum fundamento. Fauet huic Scoticæ opinioni Aristoteles hic, vbi inquit. Ad aliquid sunt, quæcumque hoc ipsum, quod sunt aliorum esse dicuntur; & deinde. Quorum totum esse est ad aliud: ergo non sunt idem realiter fundamentum, & Relatio.

109 Assertio Secunda. Relatio Creaturæ ad Deum, est eadem realiter cum ipsa. Prob. Illud, quod propriè inest alicui, sine quo subiectum esse non potest, si non dicit dependentiam ad ipsum, vel non sit simul natura cum ipso, vel non sit eo posterius, est idem realiter cum subiecto; sed relatio propriè inest creaturæ, nec est prior, aut simul natura cum ea; nec creatura dicit dependentiam ad eam; & tamen non potest Creatura esse sine ea: ergo est eadem realiter cum Creatura. Maior sic limitata est per se clara, & patet: nam quod aliquid ab alio sit inseparabile, aut est propter dependentiam essentialem, quam habet ad ipsum, licet ab illo sit distinctum realiter, quomodo totum sine partibus esse non potest, licet ab illis sit distinctū realiter: vt potè effectus à causa; inseparabile tamen est à partibus propter essentialem dependentiam, quam habet ad ipsas. Vel ex eo accidit, quod aliqua sint inseparabilia, quia sunt simul natura, ita vt vno posito necesse sit poni alterum; quo modo se habent relatiua, nec tamen est in illis identitas realis. Vel inseparabilitas accidit propter posterioritatem vnius, & prioritatem alterius, sine quo posterius esse non potest; quo modo accidens naturaliter sine substantia, propter sui posterioritatem, & prioritatem substantiæ. Vel accidit inseparabilitas propter realem identitatem; nulla .n. alia videtur ratio inseparabilitatis præter recensitas. Min. quo ad primam partem. Prob. Non enim absolutum, quale est Creatura essentialiter dependet à relatione, nec huiusmodi relatio est prius, vel simul natura, cum Creatura sit fundamentum eius, ac proinde prior ipsa relatione. Quo ad secundā partem, quod scilicet sit talis inseparabilis à Creatura. Prob. Quia, sicut impossibile est esse lapidem sine Deo, ita impossibile est esse lapidem sine dependentia ad Deum. Prob. Sequela ex opposito consequentis inferendo oppositum antecedentis. Si lapis potest esse sine dependentia: ergo potest esse sine termino illius dependentię, idest sine Deo. Tenet hæc sequela; non enim est impossibilitas essendi absque termino, nisi propter ipsam dependentiam: si ergo posset esse sine dependentia ad Deum Creatura, posset esse sine Deo, quod omnino absurdum.

Sed quamuis Concedamus relationem Creaturæ ad Deum esse eamdem cum illa realiter, non tamen formaliter, quod ibidem Scotus, tanquam manifestum supponit.

110 Ratio enim absoluti, & respectiui formaliter non est eadem, sed natura creaturæ est formaliter absoluta, relatio est formaliter respectus: ergo hæc, & illa, non sunt idem formaliter. Quare obijcienti, quod si Creatura haberet relationem sibi identificatam realiter, tunc esset ens ad aliud, & omnia essent ad aliquid. Respondetur negando sequelam formaliter loquendo: Verum tamen est, omnia esse ad aliquid realiter, hoc est, habent relationem sibi identificatam realiter, & ad Deum terminatam.

111 Sed Contra primam Assertionem hæc præcipuè obijciuntur. Si relatio prædicamentalis esset distincta realiter à fundamento, tunc esset processus in infinitum in relationibus; nam si similitudo sit alia res distincta à fundamento: ergo distinctione distincta, vel alietate alia; tunc quæro de illa disti-

ſtinctione, & alietate, aut eſt eadem, aut diſtincta: ſi primo: ergo pari ratione ſimilitudo eſſet eadem realiter ſuo fundamento, æque enim ſimilitudo eſt relatio, ac diſtinctio. Si diſtincta: ergo alia diſtinctione diſtincta, & ſic procedetur in infinitum. Eodem etiam modo poſſet argui de ſimilitudine, qua vna ſimilitudo eſt ſimilis alteri, nam aut eſt eadem cum fundamento, aut alia, & diſtincta. Si primum: ergo ſimilitudo, quæ eſt in albedine eſt eadem realiter cum ipſa: ſi diſtincta, procedetur, vt prius, in infinitum. Hoc ipſum etiam poſſet quæri de identitate, qua vna identitas eſt alteri eadem: nam aut eſt eadem, aut diſtincta. Si eadem: ergo pari ratione, identitas, quæ eſt ſortis ad Platonem eſt eadem in illis, ſi diſtincta, procedetur in infinitum.

Ad hæc, & ſimilia, quæ poſsent fieri argumenta occurrendum eſt duplici fundamento, quorum vnum eſt Scoti *loc. cit. & 3. d. 8. q. vn.* nimirum, eam relationem eſse realiter identificatam cum fundamento, cui ſcilicet fundamento repugnat eſse ſine termino, & ea diſtinguitur à fundamento, cum fundamentum ſine termino illius eſse poteſt. Hinc ſimilitudo, qua album ad alterum refertur, ab eo realiter diſtinguitur, quia vnum album ſine altero, quod eſt terminus relationis, eſse poteſt, & paternitas à Patre diſtinguitur realiter: quia natura Patris, quæ eſt fundamentum, ſine natura filij, quæ eſt terminus, eſse poteſt. Relatio autem Creaturæ ad Deum eſt illi eadem realiter: quia natura Creaturæ: quæ eſt fundamentum talis relationis, ſine Deo, qui eſt terminus, eſse nequit.

Alterum Fundamentum eſt. Quod relatio nullo pacto eſse poteſt, nec vere intelligi ſine fundamento, & termino, cum ab illis neceſsario dependeat in fieri, & in conſeruari. Tunc ergo dicimus, quod in iſtis omnibus arguendi modis, quorum tres propoſuimus in argumento, ſecunda relatio eſt eadem realiter, cuius eſt, & non itur in infinitum. Prima tamen relatio diſtinguitur à fundamento realiter, quia fundamentum ſine termino eſse poteſt, & per conſequens ſine relatione ad ipſum. Secunda relatio, cum non poſſit eſse ſine fundamento, & termino, eſt identificata realiter cum fundamento: quia fundamentum ſine termino illius ſecundæ relationis eſse non poteſt. Quod fit clarius reſpondendo ad ſingula, quæ opponuntur. Nam cum dicitur. Aut relatio ſimilitudinis diſtinguitur à fundamento: ergo diſtinctione diſtinguitur, vel alietate eſt alia: quæro nunc de illa diſtinctione, qua ſimilitudo diſtinguitur à fundamento, aut eſt diſtincta, aut eadem. Reſpondeo. Quod eſt eadem realiter cum ſimilitudine: & ratio eſt: Quia illa relatio identificatur fundamento, cui fundamento repugnat eſse ſine termino: & ſimilitudini repugnat eſse ſine albo, quod eſt terminus eius: ergo illa relatio diſtinctionis, vel alietatis, qua ſimilitudo dicitur diſtingui ab albo, vel ab alia ſimilitudine, eſt illi eadem realiter. Cum infertur: ergo idem dicendum eſt de ſimilitudine reſpectu albi, vt ſcilicet ſit eadem cum illo realiter. Negatur ſequela. Siquidem Vnum album ſine alio albo eſse poteſt, & per conſequens, relatio qua vnum ad alterum refertur, eſt ab eo diſtincta realiter.

Rurſus cum Quæris. Num ſimilitudo, qua vna ſimilitudo dicitur ſimilis alteri, ſit diſtincta, aut eadem? Reſp. Quod eſt eadem ob eamdem rationẽ: Nam repugnat ſimilitudini eſse ſine ſimilitudine: eo quod ſunt Correllationes, & ſimul natura. Illa ergo relatio ſimilitudinis, quæ ſuper ſimilitudinem fundatur, eſt eadem realiter cum prima ſimilitudine, cum non poſſit eſse ſine termino eius: At ſimilitudo, qua ſortes Platoni dicitur ſimilis, eſt diſtincta ab eo realiter: quia ſortes albus, qui eſt ſim-

fundamentum, sine Platone albo, qui est terminus esse potest.

Rursus, cum de Identitate Quæris. Num illa identitas, qua identitas Sortis est eadem identitati Platonis, sit eadem, vel distincta? Dico esse eadem ob eamdem rationem; nam fundamentum, quod est identitatis Sortis, sine termino, qui est identitas Platonis, esse nequit, cum sint correllationes simul natura. Quare relatio, qua hæc identitas ad illam refertur, est eadem realiter cum fundamēto, sed Identitas, qua Sortes ad Platonem refertur est distincta realiter ab eo, quia fundamentum, idest natura Sortis, sine termino, idest, sine natura Platonis, esse potest; atque adeo illa relatio, qua ad illum refertur, realiter distinguitur ab ipso.

112 Arguitur Secundo. Deus potest facere absolutum sine omni posteriori distincto realiter ab illo: sed duo alba sunt absoluta: ergo similitudines ab istis distinguuntur realiter, & sunt posteriores: ergo Potest Deus facere duo alba sine similitudine, similiter Patrem, & Filium sine paternitate, & filiatione.

Respondebis cum nonnullis Scotistis. Per diuinam potentiam posse fieri duo alba sine similitudine, & Patrē, & Filium sine paternitate, & filiatione: cum per eamdem diuinam potentiam possint esse relationes sine fundamento, & termino; eo quod sunt distinctæ realiter ab istis, nec dependent ab ijsdem in genere causæ materialis, vel formalis. Quod si sit alia dependentia Relationis à fundamento, & termino; eadem suppletur à Deo.

Sed Contra. Nam hæc chimerica responsio Scoto contradicit. *Qui in 4. d. 12. q. 1. ad Conclusionem quæst. 2 sic inquit. Respectus est essentialiter habitudo inter duo extrema; & ideo sicut tollere terminum ad Quem est tollere respectum, & destruere rationem respectus.* Ex quibus Verbis, liquido patet, de essentiali ratione Relationis, esse fundamentum, & terminum; Quare pugnat ex parte rei dari relationes sine eisdem. An autem implicet Contradictionem dari duo absoluta, vt duo alba sine similitudine. Sunt Scotistæ, qui affirmant, cum oppositum expresse nō reperiatur. Et cum quæris. An talia alba essent similia. Dicunt similia fundamentaliter, non formaliter. Similiter, An posita natura Patris, & Filij, essent relationes inter illos? Respondent, quod Pater tunc fundamentaliter esset Pater, similiter, & Filius, neuter tamen formaliter. Idque alij alijs verbis fatentur. Dicentes. Pater dicitur dupliciter, vel vt Generans, vel vt habens filium, seu formam Paternitatis. Superstite Filio diceretur Pater, primo modo, nec posset non esse Pater; non tamen diceretur Pater secundo modo, supposito per diuinam potentiam, ablatam esse relationem à fūdamento, & termino.

113 Sed Verior dicendi Modus, quē communiter Scotistæ sequntur est: vt nec relatio sine fundamento, & termino esse queat, etiam per diuinam potentiam. Cum repugnet ex parte rei. Nec duo absoluta, quæ sunt causæ necessariæ intrinsecæ relationis, sine illa esse possint. Ratio autem cur sine fundamento, & termino esse nequeat, quamuis ab illis sit distincta realiter, est ea, quam proximè tradidimus, quā scilicet in vna ratione essentiali respectus includit habitudinem ad vtrumque, estque etiam aliquid posterius ob illis, tamquam prioribus essentialiter dependens; quorum vicem Deum supplere implicat. Cur autem duo absoluta priora relationibus: vt duo alba sine similitudine esse nequeant, præter eam rationem, quam Communiter assignant, quod scilicet talia sint causæ, à quibus relatio necessario emanat, puto etiam esse aliam, quod relatio intrinsecus aduenient comprodu-

duci-

ducitur ad productionẽ alterius vnius extremi; ſtante ergo productione v. g. filij, cũ ſimul producatur relatio, neceſſe eſt etiam, vt manente termino, & fũdamento, maneat relatio; hæc verò cum neceſſario exigat relationem, ſi ſit producta vna, comproducitur, & altera. Ad eam vero propoſitionem, quæ à Scot. adducitur, quod prius poſſit eſſe ſine ſuo poſteriori. Reſpondetur his formalibus Verbis à Scoto. 2. *d.* 1. *q.* 2. adduci hanc propoſitionem. Omne abſolutum prius alio abſoluto, & realiter diſtinctum ab eo, poteſt eſſe ſine poſteriori, & hęc propoſitio eſt Vniuerſaliter vera in sẽſu, quo abſolutum prius comparatum ad poſterius realiter diſtinctum poteſt fieri ſine eo, ſcilicet, quod Deus poteſt deſtruere poſterius, remanente priori, vel producere hoc ſine poſteriori. Si autem fiat comparatio duorum abſolutorum ad aliqua poſteriora realiter diſtincta. Tunc non ſemper eſt verum, quod duo abſoluta poſſint poni, nõ ponendo poſterius, ſi de neceſſitate naturæ præcisè, & adæquatè oritur poſterius ex his, & hoc modo poſitis duobus albis, impoſſibile eſt, per quamcumque potentiã, non poni relationes ſimilitudinis inter iſta.

114 Arguitur Tertio. Aut repugnat fundamento, eſſe idem realiter cum relatione, ex eo quod relatio eſt; aut ex eo quod talis eſt: Non ratione relationis: quia ſic nulla identificaretur fundamento; cum tamen relatio creaturæ ad Deum ſit eadem cum illa; nec eſt ex eo quod talis relatio eſt: quia hoc eſſet, aut quia finita, vel creata eſt: quia ſic in relatione dicit dependentiam ab alio; ſed adhuc poſſet idẽtificari fundamento, & adhuc dependere ab alio. Adde etiam, quod relatio Creaturæ ad Deum creata eſt, extendendo nomen Creationis, & finita eſt intrinſecè, & tamen identificatur realiter: ſimiliter cum ſubiecto finito identificatur Paſſio etiam finita, vt riſibilitas cum homine. Si autem repugnat, relationem identificari cum fundamento, ex eo quia accidens eſt; eo modo etiam relationi, quæ eſt Creaturæ ad Deum, repugnaret identificari cum ea, cum ſit etiam accidens, non enim ingreditur rationem quidditatiuam Creaturæ.

Reſpondetur. Quod Relationi repugnat identificari cum fundamento, qua ratione prædicamentalis eſt; eo enim ipſo, quo talis eſt, eſt etiam accidens: hoc autem dependet ab eo, cui accidit. Si autem relatio eſſet eadem realiter cum fundamento, ab eodem dependeret, & ſic ob realem identitatem dependeret à ſe ipſa, & ſic eſſet prior, & poſterior ſe ipſa.

Scio, poſſe euitari vim argumenti ſi dicatur, relationem diſtingui formaliter à ſubiecto, quamuis ſit eadem realiter: quo dato, non ſequerentur hæc duo modo allata inconuenientia; ſicut ex identitate paſſionis ad ſubiectum, non ſequntur hæc duo abſurda, ob formalem diſtinctionem vnius ab alio. Sed hi qui negant diſtinctionem realem inter ſubiectum, & relationem, negant etiam & formalem: & aduerſus vtroſque, tum negantes realem, & formalẽ, tum aſſerentes formalem, & negantes realem diſtinctionem, ſequntur ea abſurda, quæ ſuperius ſunt allata in probatione huius primæ aſſertionis. Cum dicitur Relatio Creaturæ ad Deum eſt accidens: ergo diſtincta realiter ab ea: Negatur Antecedens. Si intelligatur de accidente, vt eſt vnum de quinque prædicabilibus, quod poteſt adeſſe, & abeſſe præter ſubiecti corruptionem; eſt autem verum de Accidente, vt ſumitur pro extraneo; quomodo ſumitur in fallacia accidẽtis, Homo accidit animali, & Petus homini &c. ſed tunc conſequentia non valet.

115 Arguitur etiam, *ex* 5. *phyſ. t.* 10. Ad relationem non eſt per ſe motus, ſed

ſed ſi eſſet diſtincta realiter à fundamento, eſſet ád eam Motus: ergo non diſtinguitur realiter. Reſpondeo. Ad maiorem. Ad relationem intrinſecus aduenientem non eſt per ſe motus, eſt tamen motus per accidens, quia comproducitur ad productionem alterius. Quomodo relatio ſimilitudinis, & ſi diſtincta realiter ab albo, non tamen per ſe producitur: ſed producto altero albo, ad quod eſt per ſe motus, cōproducitur tunc cum eo relatio ſimilitudinis.

116 Poſtremo. Diuinæ Relationes ſunt æedem cum fundamento: ergo, & prædicamentales. Prob. Sequela. Siquidem ex poſitione relationum diuinarum perſonarum, probatum eſt, poni relationes prædicamentales: ergo ex identitate earum, arguitur harum identitas. Reſpondeo. Negando conſequentiam. Nam, præterquamquod illæ relationes diuinæ non ſunt accidentia, quemadmodum prædicamentales, nec ſunt accidentariæ, ſed conſtitutiuæ perſonarum, identificantur fundamento duplici alia ratione. Tum quia fundamentum non poteſt eſſe ſine termino: vt diuina natura non poteſt eſſe ſine ſe ipſa, quæ eſt terminus formalis in Generatione filij, nec ſine filio, qui eſt terminus Quod Paternitatis. Tum, quia propter ſuam infinitatem formalem, & radicalem, quam habet diuina eſſentia, identificat ſibi realiter quæcumque ſunt in ea.

DISCEPTATIO IV.

De Qualitate.

117 QVæ in hoc Capite iuxta textum Ariſtotelis continentur, ad ſummam redacta, hæc ſunt. Primum. Qualitas eſt ſecundum quam quædam dicuntur Qualia. Secundum. Quatuor ſunt Qualitatis ſpecies, ſcilicet Diſpoſitio, & Habitus. Naturalis Potentia, & Impotentia. Paſſio, & Paſſibilis qualitas. Figura, & circa vnumquodq; conſiſtens Forma. Tertium. Diſpoſitio, & Habitus differunt, quod illa, cum ſit leuiter impreſſa, facilis eſt mobilis à ſubiecto: habitus vero difficilis. Quartum. Naturalis Potentia, & Impotentia ſunt ad aliquid agēdum: vt Curſor ad Currendum, vel ad non facile patiendum: vt Homo ſanus. Quintum. Paſſio, & Paſſibilis Qualitas imprimunt paſſionem: quæ ſi non duret diù, ſed ſit per modum tranſeuntis, dicitur paſſio. Si vero duret, dicitur Paſſibilis Qualitas. Sextum figura, hoc Quantitatis modus terminatiuus in rebus inanimatis, dicitur Figura, in animatis dicitur Forma, ſcilicet externa. Septimum. Habere Contrarium conuenit Qualitati: ſed non omni, non enim Quartæ ſpeciei. Octauum. Suſcipere magis, & minus conuenit Qualitati, ſed non omni. Poſtremum. Maximè proprium Qualitatis eſt ſecundum eam ſimile, vel diſſimile dici. Multa ſunt dicenda in hoc Capite ſi res iſta non logicè, ſed metaphiſicè tractetur, ſed modo logico neceſſaria tantū declarabo, reliqua vero alibi dicentur.

Intra definitionem ab Ariſtotele de Qualitate traditam, priuſquam illam declarem. Not. Eſt: quod ipſe. 5. *metaph. cap.*14. varias ſignificationes tradit Qualitatis, ſed duæ ſunt præcipuæ: Vna, qua ſignificatur differentia eſſentialis alicuius Generis: quo modo Porphirius Rationale vocat Qualitatem reſpectu animalis, & hæc Qualitas prędicatur in Quale Quid reſpectu ſubiecti: altera ſignificatio Qualitatis eſt cum ſignificat accidentalitatem, ſeu accidentalem rei affectionem: & hoc modo Qualitas de differentia eſſentiali, & accidentali affectione dicta, eſset analoga; & quamuis quo ad rem ſignificatam prius nomen Qualitatis conueniret differentiæ eſsentiali, ob illius dignitatem, & præſtantiam, tamen Nomen Qualitatis potius videtur prius impoſitum

tum ad significandum accidentariam affectionem, & ex quadam proportione, videtur transumptum ad significandam differentiam essentialem, quatenus est Generis forma, & extra rationem illius. Hic ergo, non de Qualitate, vt dicit differentiam essentialem, sed de posteriori acceptione, vt significat accidentariam affectionem, verba facimus, eaque ab Aristotele hic deffinitur. Qualitas est *secundum quam quales esse dicimur*; & videtur esse essentialis ratio Qualitatis; nam dffinitur per habitudinem ad effectum formalem, quem omnis forma essentialiter respicit; sed reuera, hoc est quid posterius Qualitate, nec est illi essentiale; nam si de denominatione actuali intelligatur, id est posterius Qualitate, vt potè eius effectus, imo nihil prohibet per diuinam potentiam, esse Qualitatem sine tali denominatione actuali præstita subiecto, si ab eo, scilicet separetur. Si autem intelligatur de denominatione aptitudinali, ita vt Qualitas sit secundum quam aliquid aptum natum est dici Quale, id non est aliquid Quidditatiuum Qualitatis, sed consequitur Qualitatem. Patet, Aptitudo quælibet consequitur subiectum; sed Qualitas est apta nata afficere, & denominare subiectum: ergo hæc aptitudo consequitur subiectum, nempe Qualitatem. Quare ad dandam cognitionem aliquam Qualitatis in Cõmuni, potest dici, quod ipsa sit accidens absolutum extrinsecè subiecto inhærens, & consequens formam. Ita, licet non his formalibus Verbis, Scotus 4. *d.12.q.2.*

DISQVISITIO PRIMA.

De Prima Specie, vel Modo Qualitatis.

118 IN Prima Specie, vel Modo Qualitatis collocat Aristoteles Habitum, & Dispositionem. Quid vero intelligat per vtrumque istorum, explicandum est. Habitus ergo, vel potest esse participium deductum à Verbo habere, de quo Aristoteles in *cap. vltim. huius* tractat, & tot modis dicitur tunc habitus, quot modis dicitur habere. Vel potest habitus sumi, vt est nomen, & sic varia est illius significatio; nam vno modo sumitur pro quacumque dispositione, & dicimus habitum oris, faciei, mentis; alio modo significat habitudinem quamdam inter habentẽ, & rem habitam, qualis est inter hominem, & eius vestem, & sic est vnum prædicamentum à cæteris. Alio modo significat formam quamdam positiuam, cui priuatiuè opponitur aliud: vt Visus dicitur habitus, cui opponitur Cæcitas: nec aliquo istorum modorum hic sumitur habitus; sed vt significat qualitatem in subiecto radicatam, ac difficulter mobilem; quo modo dicimus esse scientias. Ad hunc reducuntur omnes habitus, siuè scientiæ, & habitus Animæ, siuè Corporis; Animæ (inquam) habitus, qui scilicet originem ab ea ducunt, vel sedem in ea habent: corporis (inquam) habitus, qui Corpore subiectantur, & ad operationem corpoream sunt destinati; & hi, vel sunt in toto Corpore: vt sanitas; vel in parte: vt in manu habitus pulsandi Citharam: in pede habitus saltandi. Animæ rursus habitus alij sunt acquisiti, qui scilicet vno intenso, vel pluribus actibus remissis generantur. Alij sunt infusi, qui v. g. à Deo producti, animæ infunduntur: vt Fides, Spes, Charitas. Acquisitorum item habituum alij speculatiui, seù intellectiui, qui nimirum ad cognitionem duntaxat ordinantur. Alij practici, aut rationales, qui ad operationem diriguntur vt Iustitia, Fortitudo, &c. Item intellectiuorum, seù speculatiuorum, alij semper Veri: vt Sapientia, Scientia, Intellectus, & Ars: Alij non semper Veri: vt Opinio: omnes enim isti habitus cum suis speciebus reponuntur in prima Specie, vel Modo Qualitatis.

Diſpoſitio autem, vt ad præſens attinet; Vel abſolutè ſumitur, & ſic eſt quidpiam ſuperius ad habitum. Omnis enim habitus eſt diſpoſitio, ſed nõ è contra; Alio modo ſumitur cum præciſione: vt ſcilicet ſignificat Qualitatẽ, quæ de ſua natura ſit faciliter mobilis à ſubiecto, & ſic eſt diſtincta ab Habitu, non tamen ſpecificè, nam, & diſpoſitio per diuturnitatem poteſt fieri habitus. Diſtinguuntur ergo Habitus, & Diſpoſitio, ſicut perfectum ab imperfecto. Ad hanc Speciem primam, vel Modum Qualitatis pertinent omnes actus potentiarum, tum internarum, tum externarum, cum iſti actus ex ſententia Scoti, ſint veræ Qualitates, ſunt enim termini actionis, Qualitas autem eſt actionis terminus.

DISQVISITIO SECVNDA.

De Secunda Specie, vel Modo Qualitatis.

119 IN ſecunda Specie Qualitatis collocat Ariſtoteles Naturalem Potentiam, & Impotentiam. Quid vero per iſtas intelligat, non omnes conſentiunt. Frequens enim aliorum eſt opinio, quod Potentiæ productiuæ nobis connaturales, quæ ſunt principia proxima agẽdi, ſint Naturalis Potentia in hac ſpecie collocata: Vnde ex ijs ſequitur, Potentiam intellectiuam, Sẽſuſque exteriores, ſimiliter Vegetatiuam, Cognoſcitiuam, Appetitiuã, Locimotiuam, ac demum omnes potentias internas, & externas nomine naturalis potentiæ intelligi, & hic collocari. Scotiſtæ vero communiter ſentiunt, potentias haſce eſſe ſubſtantias, & intellectiuam, & volitiuam identificatas realiter cum Anima. Quare ad Prædicamentum Qualitatis ſpectare non poſſunt.

Dicendũ ergo, per potentiam naturalem non intelligi ab Ariſtotele principia productiua, vel potentias operatiuas nobis à natura inſertas, ſed Habilitatem, vel Promptitudinem, ſiuè Diſpoſitionem inexiſtentem nobis à natura, per quam ſumus prompti ad aliquid operandum, & è contra per impotentiam naturalem, intelligi inhabilitatem, ſiuè indiſpoſitionem inexiſtentem à natura, per quam ſumus inepti ad aliquã operationem; quomodo diceretur Impotentia, Hebetudo ingenij ad percipiendum, Imbecillitas memoriæ ad retinendum, & in Corpore complexio, qua quiſque eſt valetudinarius, vel inſalubris, & id videtur eſſe ad mentem Philoſophi, qui exemplificat de Pugillatore, & de Curſore, & de ægrotatiuis, & de ſanatiuis; quod in his ſcilicet ſit habitus, vel promptitudo ad actus proportionatos pręſtãdos. Idemque ſignificaſse videtur Scotus obſcuris illis Verbis in hac quæſtione poſitis, cum inquit. Potentia, vel Impotentia non ſignificant aliqua, quæ eſſentialiter ſunt in Genere Qualitatis; ſed potentia ſignificat modum Qualitatis abſolutum, ſecundum quod eſt principium operationis, ideſt (vt ego interpretor) Potentia ſignificat facilitatem, vel habilitatem, quæ eſt quidam modus fundatus in aliqua Qualitate. Quare, nec ex mente Scoti, tantum hic ſunt collocandæ potentiæ internæ, aut externæ hominis, aut animalis, cum ſint ſubſtantiæ. Nec inclinationes, & propriæ Paſſiones, cum ſint eædem realiter cum ſuis ſubiectis, & per conſequens ad idẽ Genus pertineant reductiuè, ad quod ſpectat ſubiectum: ſed tantum promptitudo, vel habilitas inexiſtens à natura, per quam ſumus prompti ad operationem, ita tamen vt talis promptitudo, vel habilitas non ſit propria Paſſio; hæc enim ſpeciem conſequitur, & ad ſingula indiuidua pertinet. Eſt enim homo riſibilis, & quilibet Homo: promptitudo autem hæc, ſiuè habilitas ad hanc ſpectat ſpeciem, non ſpeciem conſequitur, ſed indiuiduum, ratione ali-

alicuius Qualitatis, in hoc magis, quã in illo repertæ; non enim, omnis homo est Cursor, vel Pugillator, sed hic, vel ille.

DISQVISITIO III.

De Tertia Specie, vel Modo Qualitatis.

120 IN Tertia Specie Qualitatis reponit Aristoteles Passionem, & Passibilem Qualitatem. Passionis vero Nomẽ est multiplex, nã vt alias significationes prętermittamus; Vno modo sumitur pro receptione formæ, siuè cõuenientis, siuè disconuenientis, eo modo, quo dicimur pati cum calorem recipimus, & hoc modo, est vnum Prædicamentum distinctum ab alijs. Nec hic sumitur in hac significatione. Passio alio modo sumitur, vt significat Qualitatem, secundum quam est alteratio, vel ex passione prouenit, tamquã eius effectus, quomodo nigredo ex cõbustione procedens, dicitur passio: hęc autem, vel sumitur absolutè, vel cum præcisione, eo modo, quo diximus superius, de dispositione; primo modo est quid superius ad passibilem Qualitatem, de qua dicitur; secundo vero modo distinguitur contra Passibilem Qualitatem; non tamen distinctione specifica, sed in eo solum differt, sicut minus diuturnum, vel minus durans à magis diuturno, vel magis durãte: Passio siquidem dicitur Aequalitas, quæ per subitam alterationem introducta, cum ea desinit esse: Qualis est rubor ex Verecundia, vel ex aliquo simili accidẽte causatus.

Passibilis vero qualitas est ea, quæ fixum esse habet in subiecto, & alteratione cessante, per quam est ipsa inducta, non cessat: sicut nigredo causata ex alterante Sole, si in facie perseuerat, dicitur Passibilis Qualitas; Sortitur autem hoc nomen, vel quia passionem afficit in alio, vel quia ex Passione est affecta; nam aliquæ sunt passibiles Qualitates, quæ sunt principia Passionum, vel causatiuæ earumdem, non tamen à passione, vt passio est vnum prædicamentum distinctum à cœteris, causatæ quomodo sunt primæ Qualitates. Vt Caliditas, Siccitas, &c. Quædam sunt Qualitates passibiles effectæ à Passione, vel per passiones, non tamen causatiuæ Passionum, sicut Colores, qui ex mixtione aliquarum Qualitatum causantur. Nec tamen causant Qualitates alteratiuas, nec enim aliquem colorem efficiunt, nec frigefaciunt, nec humectant, aut quid simile faciunt. Quædam vero sunt Qualitates sensibiles, quæ per passiones effectę sunt, & sunt passionum causatiuæ: vt odores, & sapores, qui ex mixtione aliquarum Qualitatum fiunt, & aliquam Qualitatem causant, vel passionem; Nam vel humectant, vel siccant, vel calefaciunt. Omnes ergo Qualitates, vel à passionibus effectæ: vel passionum causatiuæ in hac specie prædicamentali reponuntur. Hinc fit vt ad ipsam speciem hanc, spectant omnes qualitates sensibiles; vt Odores, Sapores, Colores, Caliditas, Frigiditas &c. Et Qualitates etiam appetitus sensitiui, vt Verecundia, Dolor, Timor &c.

DISQVISITIO IV.

De Quarta Specie, vel Modo Qualitatis.

AD Quartam Speciem Qualitatis pertinet figura, & Forma. Figuræ autem Nomen vno modo significat superficiem inclusam, vel terminatam lineis, & hoc modo ad Genus Quantitatis attinet; alio modo significat ipsam terminationem, vel clausuram, vt ita dicam, superficiei, & hæc nihil aliud est, nisi extrema quædam dispositio superficiei, & ita

pertinet ad hanc ſpeciem.

Formæ vero nomen, vno modo ſumitur tranſcendenter, & de ea eſt ſermo apud Porrectanum in *lib.* de ſex principijs, cum inquit. Forma eſt compoſitioni contingens in ſimplici, & inuariabili eſſentia conſiſtens: nec de ea hic loquimur. Alio modo ſumitur, vt ſignificat exteriorem diſpoſitionem rei animatæ; & hoc modo eſt ſpecies, vel Modus qualitatis; nulla autem inter figuram, & formam poſterioribus modis ſumptas eſt differentia, niſi quod Figura de rebus inanimatis communiter prædicatur: forma vero de extrema figura dicitur, quæ diſpoſitio appellatur rei animatæ, ad quam etiam poteſt reduci Pulchritudo.

121 Sed dubitabit aliquis. *An enumeratæ Species Qualitatis ſint veræ ſpecies, an potius Modi?* Nam inter ſpeciem, & Modum, eſt hæc pro nunc differentia. Quod illa eſt conſtituta per differentiam eſſentialem, hic autem per differentiam accidentalem, nec prohibet idem habere plures differentias accidentales, ſiue poſſe habere diuerſos Modos: impoſſibile eſt autem idem habere plures differētias eſſentiales vltimatas. Eſt ergo dubitatio. Num Habitus, Diſpoſitio, Naturalis Potentia, & Impotentia, Paſſio, & Paſſibilis Qualitas, Figura, & Forma ſint variæ ſpecies, aut potius varij Qualitatis Modi?

Scotus in *4.d.6.q.*10.N.& hic etiam *quæſt.* 1. *De Qualitate*. Tenet eſſe varios modos Qualitatis, non ſpecies, idque ſuadetur. Repugnat idem habere diuerſas differentias eſſentiales, vltimatas, & per hoc eſſet diuerſarum ſpecierum; ſed non repugnat vnam Qualitatem eſſe habitum, & Qualitatem ſenſibilem: ergo iſtæ duæ non ſunt diuerſæ ſpecies. Min. prob. Nam Calor eo ipſo quo eſt difficilè mobilis à ſubiecto, eſt de prima ſpecie Qualitatis, & eo ipſo quo Paſſionem poteſt inferre aliquam, eſt paſſibilis Qualitas: ergo idem poteſt reponi in Prima, & Secunda Specie. Quod non eſſet, ſi eſſet vera Species. Confirmatur Cuiuslibet vnius Generis ſunt tātum duæ ſpecies. Qualitas eſt vnum Genus: ergo nō habet quatuor primas ſpecies. Mai. eſt Boetij in lib. diuiſionum. Confirm. etiam per Ariſtotelem hic qui ponit calorem, & frigorem in prima, & Tertia ſpecie. Dicit etiam. Enumeratis his de quibus ſuperius, fortaſſe alij quidem apparebunt modi, ſed qui maximè dicuntur, hi ſunt. Quod vero vocat quandoque has ſpecies, intelligendus eſt, quod ſunt Speciales Modi.

Nec obſtat, quod ſi negetur, has eſſe ſpecies, nulla apparebit ratio inueſtigandi diuerſitatem ſpecificam inter Qualitates, Siquidem conſtat aliquas Qualitates eſſe ſpecie diuerſas ab alijs; ſed hæc diuerſitas non apparebit aliunde; niſi quia vna reponitur in prima, altera in ſecunda ſpecie. Ergo, &c.

Reſpondendum eſt enim, per hanc viam non poſſe cognoſci diſtinctè differentiam ſpecificam Qualitatis: quod euidenter patet; nam cum in tertia ſpecie Qualitatis reponatur Caliditas, & frigiditas, tanquam paſſibiles Qualitates, poſſent dici ſic eiuſdem ſpeciei, cum ſub vna, & eadem ſpecie reponantur, ſic dicatur, paſſibilem Qualitatem eſſe ſpeciem ſubalternam, ſub qua ponitur frigiditas, & caliditas, non tamquam duo indiuidua, ſicut Sortes, & Plato ſub Homine, ſed veluti duæ ſpecies ſpecialiſſimæ; tunc ergo inferam differentiam Caliditatis, & frigiditatis, non poſſe cognoſci ex eo quod in tertia ſpecie collocantur. Ex alio igitur venabimur, harum differentiam Qualitatum; ab effectibus, ſcilicet earum varijs, tanquā à poſteriori, & eodem modo dicendum eſt ad argu-

mentum: quod ratio cognoscendi differentiam Qualitatum, est cognitio effectuum illarum, ex diuersitate quorum venamur diuersitatem Qualitatum.

DISQVISITIO QVINTA.

De Proprietatibus Qualitatis.

122 Ponit Aristoteles primam proprietatem Qualitatis, quæ est. Habere Contrarietatem. Hanc tamen asserit, non omni Qualitati conuenire. Quo ad primum, quod, scilicet in Qualitate sit Contrarietas, nihil occurrit præcipuè not. solum reuocandum esse in Memoriam id, quod ad Caput substantiæ dictum est, distinguendo de Cōtrarietate: aliqua etiam dicentur inferius, cum de oppositis agetur. Quo ad secundum vero dicit Aristoteles. Non omni Qualitati cōpetere Contrarietatem. Nam si de prima Specie, vel Modo loquamur, Habitui Principiorum nihil Contrariatur. Est enim adeo clarum illud lumen, vt nullum habeat oppositum, quod ipsum obscuret. Species etiam intentionales non opponuntur; nam albi, & nigri species sunt in eodem. Secunda Species, vel Modus Qualitatis si sumatur pro potentia productiua, aut operatiua neq; habet contrarium; sumendo vero vt diximus naturalem potentiam, vel impotentiam pro habilitate, vel inabilitate inexistente naturæ, in hac est Contrarietas. In tertia Specie Qualitatis maiori ex parte inuenitur Contrarietas; nam frigiditas, & caliditas; Humiditas, & siccitas oppositionem habent. In quarta Specie, vel Modo non reperitur Contrarietas, sed diuersitas; vna enim figura alteri contraria non est, sed ab ea diuersa; nec pulchritudo, & deformitas opponuntur contrariè, sed potius priuatiuè; quamobrem propriè loquendo in sola Qualitate est Contrarietas; & quamuis actiones aliquæ, & passiones opponantur: vt frigefactio, & calefactio, id ipsis conuenit ratione terminorum: vt frigoris, & caliditatis per illas actiones acquisitorum; quibus terminis definitio Contrariorum conuenit; Quæ est. Contraria dicuntur, quæcumque sub eodem genere posita, maximè à se inuicem distant, mutuo se expellunt. Hęc autem vltima particula Qualitatibus propriè conuenit, & non alijs.

In secunda Proprietate inquit Aristoteles. Qualitatem suscipere magis, & minus. Vbi esset notandum de intentione Qualitatis; Vnde scilicet competat Qualitati suscipere magis, & minus. Scotus 1.*d*.17.*q*.6. quem sequuntur vnanimes Scotistæ, & alij plures, putat, intentionem Qualitatis prouenire ex gradibus entitatiuis, siuè perfectionalibus ipsius Qualitatis, qui sunt intra latitudinem specificam ipsius, qui numero, ac realiter inter se distinguuntur; qui etiam faciunt vnum homogeneum inter se per vniones subsequentium ad præcedentes, qui etiam in aduentu aliorum subsequentium non corrumpuntur. Quare, intentio Qualitatis ex hisce gradibus vnitis prouenit; vt ea intentior qualitas dicatur, quæ plures gradus entitatiuos, perfectionales, aut homogeneos habet: remissior vero qualitas dicitur, quæ pauciores habet. Hæc attigisse sufficiat, nam prętter ea, quæ voce explicabimus, alia alibi declarabimus. Interim videatur Scotus, cum Interpratibus.

123 In Vltima vero proprietate inquit Aristoteles. Proprium Qualitatis esse, secundum eam simile, vel dissimile dici. Quod intelligendus est eo modo, quo explicuimus proprietatem Quantitatis, secundum quam æquales, vel inæquales dicimur, vt nimirum intelligatur fundamentaliter, non formaliter; nā relatione similitudinis formaliter dicimur similes, ratio autem fundamentalis, ob quam sumus similes est Qua-

Qualitas: intelligenda est etiam hæc proprietas aptitudinaliter, non actualiter; si enim vnum tantum indiuiduum albũ esset in Mundo, secundum eam albedinem non diceretur actu simile, sed aptitudine. Hæc de Qualitate.

DISCEPTATIO V.

De Sex Vltimis Prædicamentis.

124 DE cæteris sex prædicamentis breuiter Aristoteles egit, idcirco de his omnibus vnam statuemus Conclusionẽ. Ea scilicet esse respectus extrinsecus aduenientes: Sed id aliquantum abundantius est explicandum. Scotus 4. *d.* 14. *q.* 1. *C.* concedit huiusmodi respectus extrinsecus aduenientes; nam si saluãda est famosa diuisio prædicamentorum, quæ ex communi, & recepta opinione, sunt decem, necesse est dicere, quod respectus habeat sufficientes rationes formales, sufficientes inquam ad distinctionem genericam; hæc autem differentia sufficiens ad huiusmodi distinctionem est respectus intrinsecus, & extrinsecus adueniens. Ad quorum explicationem primo Not. Relationem, & Respectum differre inter se, vt magis, & minus commune; omnis enim relatio est respectus, non è conuerso; hinc fit vt Relatio proprium prædicamentum cõstituat, quod dicitur ad Aliquid. Respectus autem plura sub se continet prædicamenta, scilicet sex. Actionem, Passionem. Vbi, Situm. Quando, & Habere; quæ omnia sunt Respectus, non tamen vnum Prædicamentum. Rursus accidentium quædam absoluta sunt, quædam respectiua. Priora sunt Quantitas, & Qualitas. Posteriora vero, quædam sunt intrinsecus aduenientia, & quædam extrinsecus. Dicitur autem respectus extrinsecus adueniens is, qui necessario sequitur ambo extrema posita in esse, idest qui fundamento, & termino positis, ex natura rei consurgit necessario: vt duobus albis existentibus, similitudinem poni necesse est. Extrinsecus autem adueniens respectus, non necessario sequitur extrema, quamuis posita in actu: vt posito combustiuo, & combustibili, aliquando non sequitur combustio, vel ob distantiam, vel aliud impedimentum. Item sex vltima prædicamenta non possunt significare aliquod absolutum: tunc enim à Quantitate, & Qualitate non distinguerentur: nec significant absolutum cum respectu, quia tunc essent entia per accidens: sed significant respectum, vel sunt respectus, & Prob. Aliqui sunt respectus consequentes extrema ex natura extremorum: aliqui sunt respectus extrinsecus aduenientes. ergo Prob. Sequela, est differentia aliqua inter respectus consequentes necessario posito fundamento, & termino; & inter respectus non consequentes, vel non consurgentes necessario: sed ista differentia explicatur per hoc, quod est intrinsecus, & extrinsecus aduenire: ergo datur aliquis respectus talis. Min. prob. quia nullus respectus potest esse magis extrinsecus fundamẽto, quam qui non consequitur ipsum necessario, etiam posito termino: similiter nullus respectus potest esse magis intrinsecus alicui subiecto, vel fundamento, quam quod necessario ipsum consequatur posito termino: ergo differentia talium respectuum sufficienter explicatur per hoc quod est intrinsecus, & extrinsecus aduenire. Confirmatur discurrendo per sex vltima prædicamenta. Nihil enim est actio, nisi respectus agentis ad passum, & è contra, Passio respectus patientis ad agens. Quando nihil aliud est, nisi adiacentia temporis. Vbi, Circumscriptio Corporis locati procedẽs ex loci circũscriptione, & eorum quæ circa corpus sunt: hæc vero omnia significant respectum: sicuti situs est positio quædam partium in ordine ad locum: Habitus

est adiacentia Corporis, & eorum, quæ circa corpus sunt, quæ similiter respectum significant, & non de prædicamento Relationis: ergo significant Respectum extrinsecus aduenientem.

Dices. Posita re Temporali, & tempore statim consequitur eam respectus ad Tempus; qui respectus dicitur Quādo: ergo Quando non est respectus extrinsecus adueniens.

Resp. neg. Antecedens, & cum dicitur Manente eadem re temporali, & eodem tempore, quod opponitur vni ex Mente Aristotelis 4. *phys.* manet idē respectus, & hic necessario &c. Dicendum, hoc esse falsum, nam res transit de Quando in Quando, idest de respectu vno ad alium, & ad aliam partē temporis per alium respectum. Cum dicitur: aut talis respectus secundum totum suum esse est ad aliud, aut non. Si secundum: ergo est aliquod absolutum, si primum: ergo est de Genere Relationis, cuius totum esse est ad aliud, & per consequens non datur respectus extrinsecus adueniens. Dicendum est, hunc respectum extrinsecum totum suum esse habere ad aliud; non tamen esse relationem de Genere Relationis: ob superius dicta; nam hic non necessario consequitur extrema posita in actu: Vnde fit fallacia consequentis arguendo à Superiori ad Inferius affirmatiuè: vt si dicas. Est animal: ergo Homo: ita ac si dicas: est Respectus: ergo est Relatio de Genere Relationis.

125 De singulis reliquis Prædicamentis dicam in summam. Quæ ex Aristotele, & Gilberto Porrectano colliguntur. Actio est forma secundum quam agere dicimur: vt Scriptio, & Calefactio. Quæ in actionem animæ, & Corporis diuidi potest. Illius principium est Anima, licet eius effectus, vel actio actu recipi possit in Corpore, sicuti visiones, & aliarum sensationum principium est anima, hic tamen actus in parte Corporis determinata recipitur. Corporis vero actionis principium est Corpus; vt motus lapidis deorsum est in Corpore, vt Corpus est. Diuiditur item actio in immanentem; & transeuntem, illa in agente manet: vt intellectio, hæc in extremum mansit subiectum: vt donatio, & Verberatio. Actionis proprietates quatuor sunt, scilicet habere Contrarium, quod superius explanatum est. Suscipere magis, & minus. Esse cum Motu; Inferre passionem: quæ sola est vera proprietas conuertibilis. Hic multæ, & graues essent difficultates, quas nunc prætereo, alibi tractaturus. Deo dante.

Passio est forma secundum Quam dicimus pati, & conuenit cum actione in tribus primis proprietatibus; habet autem peculiarem, quæ est pendere ab actione. Quando est id, quod ex temporis adiacentia relinquitur, idest respectus temporis ad rem temporalem. Eius proprietates sunt. Non habere Contrarium; neque enim extrema dies est præsenti contraria; nisi ratione alicuius accidentis, quod nō consequitur tempus, vt tempus. Secunda proprietas est. Non suscipere magis, & minus. Tertia mensurare tantum corruptibilia. Hic dicendum esset de æternitate, Aeuo, & Tempore, scilicet de Mensura Dei, Angelorum, & Corruptibilium. Sed de his alibi. Vbi est Circumscriptio Corporis à loci circumscriptione procedens: idest, respectus locantis ad locatum. Est autem duplex. Vbi scilicet definitiuum, & circumscriptiuum. Illud substantijs incorporeis conuenit, si sint finitæ; ita enim sunt alicubi adæquatè, quod non sunt alibi per naturalem potentiam illarum. Vbi autem circumscriptiuum includit vbi definitiuum, & addit quod pars locati correspondeat parti loci,

& totum locatum toti loco; idque propriè est corporum, & de eo loquuntur communiter phylosophi, cum agunt de hoc prædicamento. Cuius proprietates sunt. Non habere Contrarium. Non suscipere magis, & minus, & Esse terminum Motus localis.

126 Positio, siue Situs est ordinatio quædam partium ad locum: iuxta quam dicimus, sedere, stare, &c. Eius proprietates sunt. Non habere Contrarium. Non suscipere magis, & minus, & Posse variari sine loci Mutatione.

Habere, seù habitus est Corporum, & eorum, quæ circa Corpus sunt adiacentia: vt Vestis quatenus adiacet Corpori, & ipsum denominat Vestitum, dicit respectum ad ipsum Corpus, & vocatur Habitus. Ipsius proprietates sũt. Nõ habere Contrarium. Suscipere magis, & minus: dicitur enim aliquis magis, & minus vestitus. Hæc de his in summa Grauiora alibi tractanda disponimus.




PAE-



PÆDIA OCTAVA.

De Postprædicamentis.



ECENSET Aristoteles Postprædicamenta: nimirum. Diuisiones aliquas ad plenam intelligentiam Prædicamentorum deseruientes. Postprædicamenta quinario complentur numero. In primo Oppositio exaratur. In Secundo. Prioritas cum eius Modis. In Tertio. Simultas pariter cum eius Modis. In Quarto. Motus cum eius Speciebus. In Quinto. Habere cum sua multiplicitate. Primò autem agit Philosophus de oppositis, quorum Summa est Hæc.

SVMMA PRIOR.

De Oppositis Quibuscunque.

1 OPpositorum quædam sunt relatiua: vt duplum, & dimidium. Pater, & Filius. Quædam Contraria: quæ nullo modo ad se inuicem dicuntur, contraria tamen sibi inuicem sunt. Quædam sunt Priuatiua: vt Visio, & Cæcitas. Est autem Priuatio Carentia habitus in subiecto apto nato illum habere. Quædam sunt Contradictoria, quæ scilicet opponuntur tanquam affirmatio, & Negatio: vt sedens, & non sedens. Contrariorum Alia immediata: vt sanitas, & ægritudo: Hoc enim exemplo vtitur Aristoteles; Alia mediata: vt album, & nigrum, quia inter hæc mediat Fuschũ. Illorum alterum semper est in subiecto apto ea recipere; horum vero non est necesse semper alterum inesse. Ex vno Cõtrario in alterum mutatio fieri potest: vt de calido in frigidum est facilis transitus. Sed à priuatione ad habitũ non datur Regressus. Vnicuique duo possunt esse Contraria: vt Malo aduersatur bonum, & aliud malum: nam Auaritiæ opponitur liberalitas, & prodigalitas. Non est necesse si alterum contrariorum sit, & reliquum esse.

Postremo Contradictoriorũ illud est proprium. Vt semper alterum sit verũ, alterum falsum. Hæc Aristoteles. Capite de oppositis. Quod vero attinet ad quadrimembrem istam diuisionem oppositorum, existimo eam esse sufficientem: quia omnis oppositio, vel est existentium in eodem Genere; quorum vtrumque est ens positiuum; vel quorum alterum est non ens. Si primo modo, est dupliciter; vel enim vnum dependet ad aliud, & sic est oppositio Relatiua. Ea enim est lex Contrariorum relatiuorum, vt vnum ad aliud referatur. Aut vnum non dependet ad aliud: & sic est oppositio Contraria. Si vero sit oppositio secundo modo, scilicet eorum quorum alterum est

non Ens: tunc aut vnum eſt non Ens ſecundum nullum ſubiectum determinatum, ſed dicit negationem extra Genus, & ſic eſt Contradictio: Aut determinat talis negatio ſibi aliquid Genus, & ſubiectũ: quæ dicitur negatio in genere, & ſic eſt priuatiua oppoſitio.

2 Quod attinet ad oppoſitionem Contrariam, hac enim declarata, aliæ oppoſitiones, tanquam faciliores facile cognoſcentur. Ariſtoteles 10. *metaph. cap.6.* inquit. Contraria ſunt, quæ ſub eodem Genere maximè diſtant, & ab eodem ſubiecto mutuo ſe expellunt: cum inquit. Contraria contineri ſub eodem Genere. Differẽtiam ponit inter ea, & priuatiua, & contradictoria: nam hæc ſunt primò diuerſa in nullo poſitiuo Conuenientia. Patet: quia alterum extremum vtriuſque oppoſitionis, priuatiuæ, ſcilicet, & Contradictoriæ eſt negatio, quare non poſſunt contineri ſub eodem genere extrema talium oppoſitionum; cuius oppoſitum in Contrarijs accidit, quæ ſub eodem Genere continentur: vt frigiditas, & caliditas ſub qualitate ſenſibili. Per eamdem etiam particulam differunt Contraria à relatiuè oppoſitis; interdum enim relationes vtriuſque extremi pluſquam Genere differunt, cum vna poſſit eſſe realis, alia rationis. Aliquando vero ne dum ſunt ſub eodem Genere, ſed etiam ſub eadem Specie: vt relationes æquiparantiæ, ſcilicet ſimilitudo, æqualitas, & identitas. Contraria vero nunquam ſunt ſub eadem ſpecie; hoc enim modo non opponerentur. Aliquando vero relationes ſunt ſub eodem Genere: vt Paternitas, & Filiatio; & ab his non differunt Contraria oppoſita per hanc particulam; ſed per alias.

Cur autem Contraria ſub eodem Genere? Ratio eſt: quia inter Contraria eſt quidam ordo per ſe ad tranſmutationem; ita vt ex vno fiat tranſitus ad aliud: ſed talis viciſſitudo non eſt inter ea, quæ Genere differunt: neque enim ex loco fit tranſitus ad Qualitatem, ſed ad locum: ergo debent eſſe eiuſdem Generis: & hac eadem ratione non poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei, ſic enim non repugnarent. Cum vero dicit Philoſophus in hoc loco. Contraria poſſe eſſe diuerſa Genere: vt bonum, & malum (hoc enim exemplo vtitur Philoſophus, & 10. *Metaph.* inquit. Contraria contineri ſub eodem Genere) Occurrendum eſt, hic debere intelligi de Genere ſub alterno: in 10. vero metaph. de vno, eodemque Prædicamento, ita vt Contraria neceſſario contineantur ſub eodem Genere prædicamentali, nimirum in Genere Qualitatis: ipſa tamen poſſunt eſſe Genera ſubalterna.

Secunda Conditio Contrariorũ eſt, quod. Maximè diſtent, quæ debet intelligi, quatenus ſunt ſub eodem Genere. Si enim fiat comparatio vnius Contrarij ad alias res alterius Generis prædicamentalis, magis diſtabit ab illis, quam à ſuo Contrario. Siquidem albedo magis diſtat à ſubſtantia, quam à ſuo Contrario: quamuis etiam hic poſſet dici, quod vnum Contrarium magis diſtet ab altero, quam à re alterius prædicamenti, diſtantia repugnantiæ, non conuenientiæ. Plus enim repugnat. Albedo, & Nigredo; quam albedo, & ſubſtantia, vel Quantitas. Minus tamen conueniunt ſubſtantia, & albedo; quam albedo, & nigredo, de quibus vnum Genus prædicatur. Ita Scotus *3.d.1.q.1.* ad argumenta. Quod autem talis diſtantia ſit Maxima, poteſt intelligi, vel poſitiuè per exceſſum, ſcilicet, quod omnem aliam diſtantiam excedat: vt inter albedinem, & nigredinem eſt maxima diſtantia ſub Genere Coloris: Magis enim diſtant hæ duæ qualitates inter ſe, quam alterutra illarum à medijs coloribus. Vel poteſt intelligi negatiuè hæc maxima diſtantia, ſic quod à nullo ſub eodem Genere excedatur: & hoc modo dicitur magis diſtare frigiditas à caliditate negatiuè. hoc

hoc est, quod distantia, quæ est inter humiditatem, & siccitatem, non excedit eam, quæ est inter frigiditatem, & caliditatem.

Cum dicitur in tertia particula, quod Contraria mutuo se expellant, debet intelligi de formali expulsione, non efficiente: quædam enim sunt qualitates: vt albedo, & nigredo, quæ talem efficentiam non habent, vt possint se mutuo expellere: habent tamen omnia Contraria formalem repugnantiam: ita, quod effectus formalis vnius repugnat effectui formali alterius: debet enim intelligi hæc formalis expulsio mutua, non ob incapacitatem subiecti: nam sic duæ formæ substantiales in eadē materia naturaliter esse nō possunt: sed intelligenda est hæc mutua expulsio, pro formali repugnantia vnius Contrarij ad alterum: quo modo formæ substantiales non sic repugnant.

SVMMA POSTERIOR.

De Reliquis Postprædicamentis.

3 ARistoteles post oppositionem agit de Prioritate. De Simultate, de Speciebus motus, & de Habere: quæ omnia hic summatim videbuntur: ne prolixitate, quæ de se clara sunt, obscurentur. Prioritatis igitur quatuor sunt Modi. Primus est, quo alterum est prius altero, tempore: quod enim antiquius est, & senius, est prius secundum Tempus. Secundus est: quo alterum prius est altero, quia ab eo non conuertitur subsistendi consequentia: vt Vnum prius est Duobus: sequitur enim benè: duo sunt: ergo vnum est: sed non conuertitur: vnum est: ergo duo sunt. Tertius est, quo aliud dicitur prius alio, ordine: vt litteræ priores sunt syllabis. Quartus est, quo aliud dicitur prius altero: quia melius, & honorabilius est. Hunc tamen modum Augustinus inutilem dicit. Et Margarita Philosophica recenset, eumdem Augustinum docere. Prioris modos esse quatuor. Deum præcedere omnia æternitate, florem fructum tempore, & rursus fructum florem electione, & sonum præcedere cantum origine, & non tempore. Et prȩter hos est alius modus Prioris: quo alterum alio prius est natura: & ab ipso conuertitur subsistendi consequentia: vt res est prior veritate propositionis: ab eo enim quod res est, vel non est; oratio vera, vel falsa dicitur. Vnde hominem esse, vel non esse, prius est, quam hæc oratio vera sit. Homo est: & ab eo conuertitur subsistēdi consequentia: sequitur enim, Verum est hominem esse: ergo Homo est.

Simultatis tres sunt Modi. Primus, quo aliqua sunt simul tempore: vt ignis, eiusque splendor. Secundus est, quo simul dicuntur, à quibus conuertitur subsistendi consequentia, & neutrum est causa alterius, vel relatiuè opposita: sequitur enim, Duplum est, igitur Dimidium est, & tamen neutrum est alterius Causa. Tertius, est quo simul sunt ea, quȩ ex opposito aliquod Genus diuidunt: vt rationale, & irrationale, quæ diuidunt animal, idest demonstrant communicabilitatem ipsius Animalis, eo quod potentiam eius declarant.

4 Motus Species sunt sex. Generatio, Corruptio, Augmentatio, Diminutio, Alteratio, & secundum locum Mutatio. Generatio est progressio à non esse ad esse. Corruptio est progressio ab esse ad non esse. Augmentatio est præexistentis Quantitatis maioramentum. Diminutio est præexistentis Quantitatis minoramentum. Alteratio est mutatio à Qualitate Contraria in contrariam: vt de albo in nigrum. Secundum autem locū mutatio est transitio de vno loco in alium: vt de Sursum ad Deorsum. De

his omnibus vberiori minerua Deo dante, in physicis discutiemus.


Habere dicitur multis modis. Primò enim dicimur, habere Qualitatem: vt Virtutem. Secundo dicimur, habere Quantitatem; vt Magnitudinem. Tertio dicimur, habere ea, quæ circa Corpus sunt: vt habere in digito aunulum. Quarto dicimur, habere membrum: vt pedem, vel brachium. Quinto dicimur, habere possessionem: vt Domum, vel agrum. Sexto dicitur, habere continens Contentum: vt dolium vinum. Septimus habendi modus est quo Vir habet vxorem; hic vero modus habendi est alienissimus. Vir enim non habet vxorem; nisi quia cum ea sociatur: & cum eam habet, habetur ab ea. At de rebus tam claris Satis.





PÆDIA NONA

De Demonſtratione.

1 

RISTOTELES Demonſtrationem dupliciter definiuit. Ex Fine ſic. Demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire. Et ex Materia ſic. Demonſtratio eſt ex Veris, Primis, Immediatis, Prioribus, Notioribus, Cauſiſque Concluſionis. Hinc Demonſtratio primo poſt. t. 2. Vocatur ſyllogiſmus ſcientialis. Qui conuenit Demonſtrationi vtroque modo ſumptæ, ſcilicet finaliter, & materialiter, vel cauſaliter. Finaliter dicitur ſcientialis, quatenus facit ſcire. Cauſaliter dicitur ſcientialis quatenus conſtat ex præmiſſis ſcientiam generantibus. Huius poſterioris definitionis ſingulæ particulæ ſunt exarandæ, & probandæ. Quamobrem ſit.

DISCEPTATIO I.

An Demonſtratio conſtet ex Veris propoſitiobibus.

2 NOt: Duplicem Veritatem reperiri, tranſcendentalem ſcilicet, & formalem: illa eſt in rebus, vt earum dicitur eſſe verum, quia conforme principio ſuæ naturæ; auricalcum vero dicitur falſum; quia non eſt conforme naturæ auri, vel ideæ diuinæ, quam habet de auro. Formalis eſt quę in intellectu reponitur, ideſt adęquatio quædam intellectus ad rem intellectã. De priori Ariſtoteles hic non loquitur, ſed de ſecunda, ideſt de Veritate complexa propoſitionis, quæ eſt in intellectu. Inquit enim. *Quod non eſt, non ſcitur*. Per non Ens intelligit falſum, quod opponitur Vero complexo: vt exemplo ipſius patet: ait enim, non eſſe ſcibile, Diametrum commenſurari Coſtæ: hoc autem eſt quoddam falſum, quod ipſe appellat non Ens: vt enim dicitur propoſitio habere eſſe complexum, ita Verum ſibi proportionatum dicitur complexum.

3 Not. Secundo. Quod propoſitio falſa bifariam conſiderari poteſt, vel in actu exercito, vel ſignato. In actu exercito non eſt ſcibilis propoſitio falſa; non enim Intellectus tali propoſitioni præſtat aſſenſum v. g. Homo eſt aſinus, nec poteſt aſſentire, niſi ex Voluntatis Imperio, vt in entis rationis pędia docuimus. Et per conſequens in actu exercito huiuſmodi propoſitio non eſt ſcibilis; nec intellectus eam habens in ſe, dicitur ſcire per eam. In

actu vero ſignato , Propoſitio falſa poteſt ſciri , Quia eſt Qualitas Quædam , actus Mentis, ſecunda operatio intellectus, & ita quando ſit obiectum intellectus ſciri poteſt: vt hæc eadem propoſitio . Homo eſt aſinus, ſcitur quod eſt quædam Qualitas mentis, & quod eſt quoddam falſum, cui intellectus non aſſentitur . Addo etiam, quod ſicut de non ente incomplexo poteſt eſſe ſcientia, non quidem poſitiua, ſed priuatiua, vel negatiua: vt de Vacuo, quod eſt ſpatium non repletum Corpore: ita de falſo complexo poteſt eſſe ſcientia, quod ſcilicet illud non eſt Verum. His exaratis.

4 Aſſertio Vnica . Demonſtratio conſtat ex Veris propoſitionibus. Probat Ariſtoteles aſſertionem ſuam ſic . Si præmiſſæ non ſunt Veræ in Demonſtratione: ergo ſunt falſæ. Si falſæ: ergo Concluſio etiam falſa: at Falſum non poteſt ſciri: ergo præmiſſæ, quæ debent inferre veram Concluſionem debent eſſe verę; ſi falſę falſam inferunt Concluſionem.

5 Ob. Ipſo Ariſtotele teſte 2. priorum; Ex falſo aliquando verum poteſt concludi. Exemplum . Omne Animal eſt rationale: ſed omnis homo eſt animal: ergo omnis Homo eſt rationalis; concluſio eſt vera, & tamen maior eſt falſa: ergo &c.

Reſpondeo . Verum poſſe ex falſo colligi, vel ſyllogizari: non tamen ſciri ex falſis. Hoc eſt. Ex vi formę colligitur Verum ex falſis, non tamen ex vi Materiæ; cum præmiſſæ falſæ non poſſint eſſe cauſæ Concluſionis Veræ. Quod alijs verbis dicitur . Ex falſo poteſt concludi Verum quod ſit, non autem propter Quid ſit. Melius . Ex falſis poteſt concludi Verum; non tamen tanquam ex Cauſa . Conſule Scotum. q. 11. hius libri .

DISCEPTATIO II.

An Demonſtratio conſtet ex primis, & immediatis Propoſitionibus.

5 PRo poſitio Prima cum immediata reciprocatur . Hinc nota primum. Ad propoſitionem immediatam plura requiri . Primum. Quod ſit indemonſtrabilis à priori: idem eſt enim eſſe propoſitionem immediatã, & indemonſtrabilem, quod ſi ſit à poſteriori demonſtrabilis, tunc non aufertur illius immediatio: vt ſi per effectum demonſtro Hominem eſſe rationalem; non tollitur quominus, Homo eſt animal rationale: quia illud Poſterius non mediat inter connexionem terminorum; nec eſt cauſa inhærentię prædicati ad ſubiectum. Secundum . Vt propoſitio immediata indemõſtrabilis ſit in eodem Genere cauſæ: nam Propoſitio immediata in vno Genere cauſæ per aliud Genus cauſæ probari poteſt: vt Hominem eſſe rationalem: quæ eſt propoſitio immediata; & ſi in Genere cauſæ formalis probari non poſſit: poteſt tamẽ in Genere cauſę finalis: vt Creatus eſt Homo ad beatitudinẽ conſequendã: ergo eſt Rationalis.

6 Nota Secundum. Propoſitionem immediatam dici dupliciter: vno modo immediatione cauſæ: alio modo immediatione ſubiecti. Hæc dicitur , cum paſſio conuenit alicui ſubiecto nõ ratione alterius: vt Homo eſt riſibilis. Non enim hoc prædicatum conuenit Homini ratione alterius ſubiecti , cui primo conueniat; ſed ex principijs ipſius Hominis fluit: quomodo è contra diceretur hæc mediata. Homo eſt ſenſibilis: nam primo animal eſt ſenſibile, & per animal conuenit Homini . Immediata autem propoſitio immediatione cauſæ eſt, cum prædicatum dictum de ſubiecto, non poteſt probari cur illi inſit per aliam cauſam priorem: & ſic eſt indemonſtrabilis à Priori: vt hæc, Animal rationale eſt riſibi-

le

le: & similes Propositiones sunt sic immediatæ.

7 Nota Tertium. Propositiones immediatas immediatione causæ esse in multiplici differentia; nam quædam illarū sunt immediatæ, quia sunt principia notissima: ita quod cognitis terminis, necessario intellectus illis assentiat: vt de Quolibet dicitur esse, vel non esse, & de nullo ambo simul. Omne totum est maius sua parte &c. Quędā sunt, in quibus definitio dicitur de definito, vel pars eius de eodem: vt Homo est animal rationale: Homo est animal. Homo est rationalis. Quædam sunt, in quibus propria passio, & prima prædicatur de definitione subiecti: vt animal rationale est discursiuum, supposito, quod sit prima, & propria passio. Harum propositionum nulla est demonstrabilis, & per consequens omnis talis est Prima, & Immediata.

Circa hoc vltimum Propositionis Genus, viget inter Scolasticos difficultas, asserentibus Thomistis, negantibus Scotistis, & rectè negantibus, eam esse immediatam: Nam ea propositio nō est immediata, quæ per causam formalem, tanquam per medium potest ostēdi, at talis est propositio: in qua prima Passio prædicatur de subiecto: potest enim ostendi per definitionē eius subiecti: ergo non est immediata. Sed quia huius difficultatis solutio pendet ex alio capite, nempe: quæ nam sit propositio per se nota, inferius lucidè explicabitur.

8 Assertio. Demonstratio debet constare ex propositionibus immediatis, & hoc vel actualiter, vel virtualiter. Prob. ab Aristotele, qui exigit in Demonstratione propositiones immediatas ea ratione Motus. Scientia Conclusionis pendet ex notitia Præmissarum; sed præmissæ demonstrabiles non sciuntur, nisi reducantur ad indemonstrabiles: ergo demōstratio constat ex immediatis, quæ indemōstrabiles sunt.

Addidi. Vel actualiter, vel virtualiter: quia non requiritur, demonstrationem actu constare ex immediatis, sufficit constare virtualiter. Hoc est dictu. Demōstratio actu constans ex mediatis, virtute constat ex immediatis. Explico. Datur demōstratio ex immediatis constans: vt hæc omne animal rationale est discursiuum; omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est discursiuus. Datur etiam Demonstratio constans ex mediatis, quæ virtualiter includit aliquam, vel aliquas propositiones immediatas: vt omne discursiuum est admiratiuum; sed omnis homo est discursiuus: ergo est admiratiuus: in hac demonstratione includitur, virtualiter hæc altera, omne animal rationale est discursiuum; omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est discursiuus: ergo Demonstratio constat ex immediatis, vel actu, vel virtute.

9 Quantum autem pertinet ad dubitationem primo propositam. Dico, quod non est eadem propositio, Immediata, ac per se nota. Siquidem se habent, vt superius, & inferius. Propositio enim per se nota infert immediatam, hæc vero non infert illam. Definitio autem propositionis per se notæ à Scoto 1. *d.2. q.2.* sic assignatur. *Propositio per se nota est, quæ ex terminis proprijs, qui sunt aliquid eius habet euidentem veritatem.* Ex qua plura colligimus. Primo, quod hic non excluditur quælibet causa; non enim excluduntur termini propositionis: imo primo principia cognoscimus, in quantum terminos cognoscimus; sed excluditur quæcumque ratio, vel causa, quæ est extra per se conceptum terminorum per se notæ propositionis: vt si quis, noscat Petrum esse album ex sensitiua cognitione; non ob id dicitur propositio hæc per se nota, quia termini huius propositionis: vt sunt eius, non includunt hanc Veritatem, sed illa

nota

nota eſt via ſenſus. Secundo. Propoſitio illa, in qua prædicatum aſſeritur de ſuo ſubiecto, vt diſcurſiuum de homine, licet ſit immediata immediatione ſubiecti; non ob id dicitur per ſe nota: quia nata eſt, oſtendi inhærentia prædicati; ad ſubiectum per definitionem, quæ diſtinguitur à termino propoſitionis; qui eſt ſubiectum. Eam autem diſtinctionem inter definitum ſubiectum, & definitionem eiuſdem probat Scotus. Tum, quia definitio ſubiecti eſt medium in Demonſtratione; ſed Concluſio non differt à Maiore, niſi per hoc, quia in vna prædicatum dicitur de definitione, & in altera de definito. Concluſio autem non eſt per ſe nota, quia demõſtrata, & maior eſt per ſe nota: ergo non eſt idem definitio, & definitum; alioquin eſſet petitio principij, cum probaretur per æquè notum, ideſt hominem eſſe riſibilem ex eo, quod animal rationale eſt riſibile: vt clarius diximus in diſtinctionum Pædia.

10 Tertio. Nulla propoſitio eſt per ſe nota ex terminis confusè notis, quin etiam ſit per ſe nota terminis diſtinctè conceptis. Hoc liquet ex ipſa definitione propoſitionis per ſe notæ; ſi enim ex terminis proprijs vt ſunt eius, confusè, intellectus tamen habet Veritatem: ergo multò magis ſi termini diſtinctè concipiantur, per eoſdem erit euidentia Propoſitionis, verb. gr. ſi rudi homini indiſtinctè, & confusè concipienti, totum, & partem; hæc erit per ſe nota, omne totum eſt maius ſua parte: ergo multo magis eadem erit per ſe nota Perito, & deffinitiuè intelligenti, quid ſit totum, & pars. Similiter Geometræ concipienti confusè lineam; ſi hæc ſit per ſe nota, linea eſt longitudo ſine latitudine, & profunditate: ergo metaphiſico intelligenti diſtinctè terminos, erit diſtincta multo magis. Quarto. Non omnis Propoſitio, quæ eſt per ſe nota terminis diſtinctè conceptis, eſt etiam per ſe nota terminis confusè intellectis. Probatur, quia quælibet propoſitio neceſſaria, quæ eſt per ſe vera in primo modo, vt cum Superius de inferiori dicitur, eſſet per ſe nota; quod tamen eſt falſum. Prob. ſequela; nam ſi diſtinctè concipiantur termini, manifeſtè apparet, quod vnum extremum includit aliud, & per conſequens eſt propoſitio per ſe nota: vt ſi quis definiat hominem, dicat, eſſe animal rationale, quare dicendo. Animal rationale eſt animal eſt per ſe nota; dicendo vero. Homo eſt animal rationale, licet ſit immediata; non tamen eſt per ſe nota: ergo propoſitio per ſe nota ex terminis diſtinctè conceptis non eſt per ſe nota ex terminis confusè acceptis. Firmatur ratio. Propoſitiones, quas per ſe notas habet metaphiſicus, ex terminis diſtinctè acceptis, puta, linea eſt Species Quantitatis Continuæ, non habet tanquam per ſe notam Geometer indiſtinctè concipiens eoſdem terminos: ergo, &c. Maneat ergo deciſum in Scotico Areopago, Propoſitioné per ſe notam eſſe immediatam; immediatam vero propoſitionem non ſemper eſſe per ſe notam; ſi nimirum termini illius, vt ſunt eius, non faciant euidentem Veritatem; ſed illa veritas innoteſcit per viam ſenſus, aut experientię, ſicut in propoſitione hac contingenti. Paries eſt albus; vel cum termini illius confusè accepti non oſtendunt euidentiam illius propoſitionis: vt homo eſt riſibilis: cuius euidentia oſtenditur ſi concipiantur diſtinctè termini: vt animal rationale eſt riſibile, vt eſt immediata, & per ſe nota: cum illa ſit mediata, & non per ſe nota.

DISCEPTATIO III.

An Demonstratio constet ex Prioribus, & Notioribus Propositionibus.

11 IN Vnum iungimus hæc duo. Est enim ferè idē Notius, & Prius. Et quot modis aliquid dicitur Notius, tot modis etiā dicitur Prius. Vnde Aristoteles hic *t.*11. coniungit Priora, & Notiora, & textu sequenti, eodē modo diuidit, & explicat vtrumq;

Primò Not. Intellectum sequi ordinem naturæ: vt enim hæc non simul omnia producit, sed ordinem quemdam seruat, quo aliquibus prius dat esse, quam alijs: ita intellectus noster non simul omnia intelligit, sed quoddā prius, quoddā posterius: & hinc oritur, vt aliquod dicatur prius notū natura, vel prius notū nobis. Cū. n. intellectus intelligit res, sicut à natura habent esse tunc sequitur ordinem naturæ: cum vero intelligit ea, quæ posterius producta sunt à natura, tunc aliquid est prius nobis notum, quod tamen est posterius natura.

12 Secundò Not. priora natura esse, quæ prius sortiuntur esse; quo modo immaterialia materialibus, partes toto, causæ suis effectibus sunt priora natura: Priora vero nobis sunt, quæ prius obijciuntur nostro intellectui: & sic sensibilia, prius quam intelligibilia: materialia prius quam immaterialia: effectus priusquam causæ nobis obijciuntur. Quæ ergo natura sunt priora, ea etiam dicuntur notiora natura; non autem quod natura cognoscat: sed quia prius habent esse, & secundū naturam suum apta sunt, vt prius cognoscantur.

13 Tertiò Not. Aliud esse loqui de cognitione distincta, aliud de confusa. Distincta enim cognitione aliquid cognoscitur cum secundum illius prædicata quidditatiua, & intrinseca exactè scitur. Confusa vero cognitione aliquid cognoscitur cum illius prædicata essentialia, & quidditatiua non innotescunt. Vnde ad cognoscendam aliquamspeciem: vt hominem, distincta cognitione, oportet cognoscere omnia prædicata superiora, quæ illius quidditatem ingrediuntur, verb. g. quod sit ens, substantia, Corpus, animal, & sic, quæ sunt priora, & notiora secundum naturam, sunt etiam notiora nobis in cognitione distincta. At in cognitione confusa, cum non oporteat cognoscere intrinseca prædicata; tūc aliquid est nobis notius, quod secūdū suā naturam est posterius; vt si quis hominem cognoscat gressibilem, disciplinabilem, risibilem, quæ prædicata non sunt priora in ipso Homine.

14 Not. Quartò. Prius natura non vno modo apud Philosophos sumi. Interdum illud dicitur prius, & notius natura, quod maximè est intelligibile: quod est maximè actus est maximè intelligibile. Quanto magis aliquid recedit à potentia, eo magis est actus, & intelligibile; sic est Deus prior, & notior natura; sic etiam substātia est prior, & notior natura accidēte: accidēs enim parum habet entitatis in comparatione ad substantiam: hæc autem ex sui natura prius deberent cognosci quā alia: quod autem non cognoscantur prouenit ex defectu nostri intellectus, qui non intelligit entia secundum gradus intelligibilitatis eorum. Ad quod respexit Aristoteles, cum dixit. Intellectus noster se habet ad ea, quę sunt manifestissima natura, sicut oculus noctuę ad lumē solis, vtpotè, quia in statu hoc imperfectissimo ordinem naturæ contrarium seruet. Consule Scotum 1.*d.*3. *q.*1. *ad solut. primi arg.*

15 Dicitur etiam interdum notius natura id, quod aliquo modo est causa, & sic finis, primo intentus à natura dicitur hoc modo prior ex phylosoph. 8. *phys. t.* 58. & 9. *metaph. t.* 25. Quo

modo compositum dicitur prius natura,quã suę partes,cũ sit prius intentũ à natura, & species prius quam Genus: quod vult etiam Arist.2. de partibus animalium c.1. vbi inquit. Posteriora generatione esse priora natura.Quamuis ob aliam rationẽ partes sint priores toto,& Genus prius natura specie, vt potè constituentes ipsum totum, & speciem, independẽter ab istis,cum tamen compositum ex partibus, & Species ex Genere constet: ex hac ratione, illa dicuntur posteriora: siquidẽ prioritas naturæ est præsuppositio huius ab hoc. Quare nihil vetat, quo minus idem posset dici prius, & posterius natura,ob diuersam rationem.

16 Assertio. Demonstratio debet constare ex Notioribus natura. Prob. supponendo Vnum. Præmissas debere esse notiores Conclusione ob Aristotelis rationem. Conclusionem scimus propter præmissas: ergo magis præmissas. Sequela clarescit axiomate. Propter vnumquodque tale, & illud magis. Hoc supposito. Prob. Assertio. Tum quia, Cum textu 12. Aristoteles distinxisset de ijs, quæ sunt notiora nobis,& de ijs,quæ sunt notiora natura,nõ potest intelligi, quod demonstratio constet ex notioribus nobis: ergo debet constare ex notioribus naturæ. Prob. Antecedens: quia ea,ex quibus constat demonstratio,debent esse principia, & causæ; hæc autem sunt notiora natura: ergo ex his, & non ex notioribus nobis, debet constare demonstratio. Tum quia, ex eodem Arist. hic. Demonstratio cõstat ex notioribus simpliciter: notiora autem simpliciter sunt notiora natura: ergo.

17 Si dicatur. Demonstratio constat ex causis: causæ autem sunt notiores nobis: vt in mathematicis euenit, in quibus causæ notiores sunt effectibus: ergo.

Respõdeo causas esse ex natura sua occultas, & per consequens, notiores natura, non nobis: Quod autem obijcitur de Mathematicis, falsum est, eas esse veras causas:sed etiam hoc admisso, esse veras causas: tunc eadem essent notiora natura, & nobis: at id esset per accidens,cum simpliciter, quæ sunt notiora natura,vt plurimum sint, ignota nobis.

18 Si dicatur. Aristoteles *tex.*15.inquit, aut omnia principia,aut quędam oportere esse notiora Conclusione: ergo non omnes præmissæ debent esse notiores Conclusione.

Respondeo. Aristotelem hic voluisse disputare de cognitione vtriusque præmissæ, an scilicet sint ambæ notiores Conclusione: sed quod ad suum intentum sufficiebat Arbitratus enim est quod saltem altera. scilicet Maior, esset notior: cum autem Minor sit mediata,in dubium verti potest,an hęc sit notior Conclusione, & ideo Aristoteles dubiose loqutus est. Certum est autem apud ipsum, cum ambæ sunt immediatæ, tunc vtraque esset notior Conclusione: & ideo in definitione Demonstrationis, sine dubio loqutus est, cum inquit, Demonstrationem debere constare ex prioribus,& notioribus.

19 Si dicatur. Perfectior erit cognitio rei per causam, quam sine causa: at principia indemonstrabilia non habent causas, quas habet Conclusio: ergo perfectior est cognitio Conclusionis, quam præmissarum.

Resp. Maiorem veram esse, quando cognoscibile habet causas, quibus carent principia per se nota, cum cognoscantur ex notitia terminorum. Nec obstat, quod interdum cognoscimus principia immediata à posteriori, & deinde per illa sic cognita, probamus Conclusionem à priori: ergo per aliquod Minus notum cognoscimus aliquod magis notum, hoc est, per aliquod cognitum à posteriori,cognoscimus aliquid à priori. Dicendum est

inter-

interdum principium immediatum, quod non est per se notum, requirere probationem à posteriori; & per hanc probationem rursus idem principium cognoscitur perfectiori modo ex ipsorum terminorum perceptione; & tunc, cum assumitur ad probandam Conclusionem, non assumitur vt notum tātum à posteriori, quod præsupponebat argumentum; sed assumitur vt notum ex terminorum appræhensione, qui modus est longè clarior, & euidentior modo cognoscendi conclusionis demonstratæ.

20 Vtrum tandem demonstratio debeat constare ex Causis? Respondeo breuiter affirmatiuè cum Aristotele, & sensus est, quod demonstratio debeat constare ex præmissis, quæ contineant causam in essendo Conclusionis. Quod clarius vno verbo dicam. Demonstratio debet continere medium, quod sit causa inhærentię passionis cum subiecto. Ratio duplex: Prima. Quia Demonstratio debet gignere scientiam; sed hæc non habetur de aliqua passione, nisi sciatur, inesse subiecto per causam, ex definitione scientiæ: ergo debet constare est causa. Secunda. Sicut se habet res ad esse, ita ad cognosci; sed in esse dependet passio à causis: ergo, & ad cognosci. Vberiora cupiens, consulat Scotum *q.* 14. Primi Posteriorum.

DISCEPTATIO IV.

Vtrum Axioma illud, cui probatio Aristotelis inititur. Propter vnumquodq; tale, & illud Magis. Sit Verum?

21 Difficultas hinc oritur. Quoniam in omni causarum Genere videtur falsum. In genere causæ formalis patitur instantiam. Homo est animatus, & compositus propter animam: ergo anima magis est animata, & composita. Nix est alba propter albedinem: ergo albedo est magis alba. In Genere causæ materialis. Homo est corruptibilis propter materiā: ergo materia est magis corruptibilis. In Genere causæ finalis. Ambulo propter sanitatem: ergo sanitas magis ambulat. In Genere causæ efficientis principalis. Homo est calidus propter Solem: ergo Sol est magis calidus. In Genere causæ instrumentalis. Lignum est sectum propter ferrum: ergo ferrum est magis sectum. In his omnibus antecedens est verum, consequens vero falsum.

22 Assertio. Axioma Aristotelicum valet in omni Genere causæ. Prob. nam Aristoteles 7. *metaph. t.* 7. & 8. inquit. Compositum est ens in actu propter formam: ergo forma est magis ens in actu, idest independens à cōposito. Eodem modo etiam licebit dicere in Genere causæ materialis: Compositum est ens in potentia propter Materiam: ergo Materia est magis ens in potentia. In Genere etiam causæ principalis videtur vti Aristoteles 2. *metaph t.* 4. cum ait. Ignem esse omnium calidissimum, quia excedit caliditatis causa effectum. In Genere etiam causæ efficientis instrumentalis vtitur: Hæc est certa Conclusio: ergo certiores præmissæ; quæ tamen sunt causæ non principales; nam talis est intellectus; sed instrumentales. In Genere etiam causæ finalis Aristoteles hic vtitur, dicendo. Diligo Te propter Amicum: ergo magis diligo Amicum. In omnibus istis, tam antecedens, quam consequens, sunt vera. Vnde videtur dicendum, tale axioma in vniuersum sumptum esse verum, si aliquibus conditionibus circumualletur, tribus nimirum ad Mentem Scoti, quas refferam.

23 Prima Conditio. Ad Veritatem huius axiomatis requisitur: vt causæ sint vniuocæ, vt id, in quo fit compa-

ratio formaliter insit causæ, & causato. Quam Conditionem expræssit. 2.*metaph.t.*4.cum inquit. Vnumquodque ipsum maximè aliorum est, secundum quod alijs vniuocatio inest. Hoc est, vnum quoddam maximè tale est præ cæteris: quia eius causa, illud in quo dicitur tale, conuenit cæteris secundum nomen, & rationem. Ex quo soluuntur multæ obijciones, quæ possunt fieri. Vt, hoc est calidum propter Solem: ergo Sol est magis calidus. Homo est ebrius propter vinum: ergo vinum est magis ebrium; cum nec Calor Soli, nec ebrietas vino formaliter insint. Ex quo etiam fit: vt tales consequentiæ non valeant. Hoc est album propter albedinem: ergo albedo est magis alba. Hoc est animatum propter animam: ergo anima magis animata. Tales enim effectus formales non insunt causis formalibus, sed effectibus, & subiectis ab eis denominatis.

24 Secunda Conditio est. Vt sit in causis per se, & non per accidens; hinc fit, vt tales consequentiæ sint falsæ. Aedificator albus facit ædificium album: ergo magis albus est ædificator, quam ædificium; Non enim ædificator ædificat eo quod albus; sed per accidens coniungitur in eo albedo, vt ædificator est.

25 Tertia Conditio est: vt id, quod dicitur magis tale, sit Causa totalis illius rei, in qua fit comparatio, & vtrumque suscipiat magis. Quod patet. Nam si quid dependeat à duabus Causis, tunc non licet inferre, quod altera illarum sit magis talis, si effectus sit talis: vt diligo Te propter Patrem, & Domum: ergo Domum magis diligo. Vel amo sanctè viuere in Gratia Patris, & Dei: ergo magis amo Patrem, quam sanctè viuere. Neutra sequela est valida, cum effectus dependeat à duabus Causis.

26 Si obijciatur. Præmissæ sunt causa æquiuoca Conclusionis: hæc vero regula Aristotelis non valet nisi in causis vniuocis: ergo malè hic ab Aristotele applicatur. Respondeo. Quod præmissæ, & Conclusio conueniunt in vno; quod est firmus, & certus assensus alicui necessario; & ita sequela tenet: Si Conclusio scitur: idest si firmam, & euidentem cognitionem habemus de ea: ergo multo magis præmissæ sciuntur, idest multo firmiorem, & euidentiorem cognitionem habemus de principijs, & in hoc bene applicatur Regula. Propter Vnumquodque tale, & illud magis. Si autem sumatur scientia pro firma cognitione habita per demonstrationem; tunc consequentia non tenet, si Conclusio scitur, quod etiam præmissæ eadem cognitione sciantur. Non enim istę sciuntur per demonstrationem, sed ex notitia terminorum.

27 Non videtur tamen spernenda Doctrina aliquorum, qui dicunt, valere etiam in causis æquiuocis Aristotelis Regulam: ita tamen, vt in effectu sit formaliter talis denominatio, & in causa eminenter: vt si dicamus. Hoc est calidum propter Solem: ergo Sol est magis calidus. Explicāt magis, virtualiter, vel eminenter tale. Quare in Causis Vniuocis, si effectus est talis, causa est magis talis formaliter. In æquiuocis. Si effectus est talis, causa est magis talis eminenter. Ex dictis deducas solutionem Argumentorum.

DISCEPTATIO V.

De Quatuor Modis Dicendi Per se.

28 Placet hic hanc disceptationem apponere, propter maiorem dictorum intelligentiam. Quatuor sunt Modi per se dicendi, quorum singuli singulos gradus continent. Primus Modus dicendi per se est, quando prædicatum est de definitione quidditatiua subiecti. Huius quatuor sunt gradus. Primus Gradus. Cum superius

quod.

quodcumque illud sit, prædicatur in quid de suo per se inferiori: & hoc modo ad primum Modum dicendi per se, pertinet prædicatio Entis de Deo, & Creatura; Generis de sua propria specie; speciei de suo proprio Indiuiduo. Prob. quia in nullo aliorum Modorum hæc de suis inferioribus prædicantur: ergo prædicantur in primo modo dicendi per se. Confirmatur. Propositione per se sunt æternæ; sed huiusmodi sunt tales; nec prædicantur in aliquo alio modo: ergo,&c.

29 Nec obstat, quod Ens de Deo non prędicatur vt Genus;nam hic modus prædicandi, vt quid essentialiter de aliquo,habet suos gradus; quorum vnus est prædicari vt Genus, alterum est prædicari vt Quid, & per modum Quid,licet non vt contrahibile per differentias formales, quomodo Ens de Deo. Secundus Gradus est. Cum prædicatum dicens Quale dicitur de illo, vt conuenit intrinsecè: vt rationale de homine, capiendo rationale pro parte formali constituente, non pro aptitudine ratiocinandi: quia hæc dicit passionem propriam subiecti,illa vero differentiam constituentem. Vel cum Modus intrinsecus dicitur de eo cuius est Modus: vt infinitas de Deo, vel de essentia diuina, sunt enim modi intrinseci,veluti partes definitiuæ.

Tertius Gradus est. Cum tota ratio intrinseca prædicatur de suo Constituto, idest tota definitio de definito: sic non solum animal rationale de Homine; sed etiam Ens infinitum, independens de Deo, licet enim non sit definitio, est tamen quædam ratio Deo intrinseca.

30 Quartus Gradus. Cum idem de se ipso prædicatur; Quamuis hæc prædicatio propriè non sit quidditatiua, & essentialis, cum nihil sit de quidditate sui ipsius;tamen extenso nomine, est quidditatiua; pro eo quod non est denominatiua. Ex his facile est determinare quęnam propositiones excludantur à primo modo dicendi per se; nam hæc. Animal est rationale, & in vniuersum, cum differentia diuisiua prædicatur de diuiso, non dicitur per se. Prob. Tum quia. De per se infert de omni; sed non omne animal est rationale: ergo, &c. Tum quia. Contrahens est contra quidditatem,& intellectum contracti. Primus autem modus dicendi per se includit prædicatum, quod sit de quidditate eius: ergo, &c. Tum denique. Quod diuisiuè se habet,neutrum formalitet includit: ergo animal non includit rationale; atque adeo talis propositio. Animal est rationale,non est per se. Colligitur etiam, quod cum Genus prædicatur de differentia, non prædicatur per se: vt rationale est animal. Ita Scotus 1. *d*.3. *q*.3. & Prob. quia Genus se habet vt potentiale,& vt materia; sed materia non includitur in ratione quidditatiua formæ; rationale enim vt rationale, non est animal: ergo, &c. Similiter, excluditur à primo modo dicendi per se propositio illa, in qua propria passio Speciei inferioris prædicatur de Genere propinquo, vel etiam, & multo magis de Genere remoto: vt dicendo Animal est risibile, vel substantia corporea est risibilis propter easdem rationes.

31 Secundus Modus dicendi per se est,quando Prædicatum est passio, vel proprietas subiecti. Duos continet Gradus. Vnus,cum passio de suo adęquato subiecto dicitur: vt risibile de Homine; alter Gradus,cum dicitur de aliquo inferiori ad suum subiectum adæquatum: vt risibile de Petro. Multiplex autem differentia inter primum, & secundum modum versatur. Siquidem prædicatum Primi modi est prius subiecto,& de illius quidditate, & causa intrinseca subiecti. Prædicatum vero secundi modi est posterius subiecto, nec est de illius quidditate; nec est cau-

sa,

ſa, ſed ſe habet vt cauſatum. Prædicatum Primi Modi cadit in definitionem ſubiecti; prædicatum ſecundi modi nō, imo è conuerſo in prædicati definitionem cadit ſubiectum. Prædicatum primi modi reperiri poteſt ſinè ſubiecto: vt animal ſine leone: prædicatum vero ſecundi Modi ſine ſubiecto adæquato reperiri non poteſt. Prædicatum ſecundi modi conuertitur cum ſubiecto ob connexionem neceſſariam vnius ad aliud. Aliquod vero prædicatum primi modi nō conuertitur cum ſubiecto, vt ſpeculanti liquet.

32 Tertius modus dicendi per ſe eſt potius eſſendi, quam inhærendi, cum nimirum, non dicatur de aliquo ſubiecto, per quod exiſtat. Vnde ly per ſe capitur, vt diſtinguitur contra eſſe in aliquo. Ea ergo ad hunc tertium modum pertinent, quæ non in alio exiſtunt, ſed per ſe ſunt: vt Deus, & prima ſubſtantia. Etiam ſecundæ ſubſtantiæ poſsunt ad hunc modum ſpectare, cum non ſint in alio, tanquam in ſubiecto.

33 Quartus Modus dicendi per ſe eſt. Cū in ſubiecto includitur ratio, vel cauſa, propter quam prædicatum ſibi ineſt: vt iugulatum iugulatione iugulatum eſt, vel interemptum interemptione interemptum. Duo autem ſunt Genera Cauſarum: quædam ſunt per ſe, quædam per accidens. Primi Generis ſunt, quæ per ſe producunt effectum: vt calor calorem. Secundi generis, quæ per accidens producunt effectum: vt logicus per accidens canit. In hoc quarto modo ponuntur cauſæ per ſe: atque adeo ly per ſe ſumitur, vt notat cauſalitatem, non prædicationem. Qua propter iſtæ propoſitiones, Calidum calefacit, Voluntas vult, Intellectus intelligit, ſunt per ſe in quarto modo: nam ſubiecta ſunt cauſæ per ſe prædicatorum. Quartus, & Tertius modus, ad Demonſtrationem non faciunt: ſed tantum Secundus, & Primus Demonſtrationi deſeruiunt. Tertius, & Quartus recenſentur, vt Tertius, & Quartus excludantur.

DISCEPTATIO VI.

De Speciebus Demonſtrationis.

34 MVltiplex eſt Diuiſio Demonſtrationis: nam ratione medij Demonſtratiui diſtinguitur in Demonſtrationem Propter Quid, & in Demonſtrationem Quia; quarum illa procedit per medium notius ſecundum naturam: hæc vero per medium notius ſecundum Nos. Ratione etiam Quantitatis diuiditur in Vniuerſalem, & Particularem. Ratione Qualitatis ſcinditur in affirmatiuam, & negatiuam. Ratione Formæ in eam, quæ eſt primę, ſecundæ, & tertiæ figuræ. His omnibus diuiſionibus principalior eſt Propter Quid, & Quia. loquendo igitur de propter Quid ſolet difficultari, An diuidatur in quatuor ſpecies iuxta quatuor genera cauſarum, ita vt alia ſit propter Quod formale, alia propter Quid materiale, alia propter Quid efficiens, & alia propter Quid finale.

35 Aſſertio. Iuxta Ariſtotelis ſententiam 2. *Poſt. cap.* 11. *à texu.* 49. *vſque ad multos ſequentes* Demonſtratio propter Quid eſt Quadruplex iuxta quatuor Genera Cauſarum. Prob. argumento Philoſophi. Scire eſt cognoſcere rem per cauſam; at cauſæ ſunt quatuor: ergo omnes iſtæ per medium demonſtrantur, ideſt aſſumuntur ad demonſtrandum effectum. Deinde multi fieri poſſunt ſyllogiſmi per cauſam materialem, formalem, efficientem, & finalem, ſed tales non ſunt topici, nec ſophiſtici, cum non generent opinionem, nec falſitatem: ergo erunt demonſtratiui propter Quid, ſcilicet per cauſas. Sed quia Ariſtoteles à

Pla-

Platone edidicit: *Difficile est, absque exemplis res magnas dilucide ostendere*; Hinc Aristoteles de singulis peribet exempla. Et primo in Causa efficienti; per quam, vt possimus demonstrare, duo requiruntur. Primum. Vt efficiens sit agens necessarium, non liberum. Secundum. Vt adsit recipiens proportionatum. Ratio primi est: quia cum Conclusio debeat esse necessaria, id nõ potest concludi per medium contingens: ergo causa talis, per quam demonstramus, debet esse agens necessarium. Ex quo fit, vt demonstratio hęc non valeat. Homo potest in se virtutẽ gignere: ergo Virtutem habet. Nec ista. Potuit Deus mundum condere ab æterno: ergo Mundum condidit ab æterno. Ex defectu secundæ Conditionis, non valet: ignis est propè cęlum: ergo ignis calefacit Cælum; cum Cælũ non sit caloris receptiuum; vel lector habet multam scientiam: ergo discipulus habet multam scientiam doctus ab eo; cum interdum sit aliquis adeo rudis, vt scientiæ non sit receptiuus. His positis Conditionibus. Illa argumentatio per causam efficientem videtur valida, cum probatur Eclipsis de Luna, per interpositionem terræ inter Solem, & Lunam; sed hic reuera medium non est aliquid efficiens positiuum, sed priuatiuum, scilicet hoc. Absentia Solis, nam vt docet Aristoteles 2. *physicorum*. Gubernator sicut per suam presentiam, est causa salutis in Naui, ita per absentiam est causa submersionis; eodem modo Sol per suam præsentiam est causa luminis in luna; per absentiam est causa Eclipsis eius.i. carentiæ luminis. Potest etiam per causam positiuam sic demonstrari. Opera, ab eo qui bonus est, & malus esse nequit, bona sunt necessario: at visibilia sunt effecta à Deo, qui bonus est, & malus esse nequit: ergo, & bona sunt necessario.

Per causam materialem potest etiã demonstrari: vt omne mixtum sublunare esse mixtum per hoc medium: quia est ex materia prima potentiali ad omnes formas. Per causam finalem potest demonstrari, vt de homine, quod liber esse debuit, vt per liberos actus sibi beatitudinem compararet. ita etiam possumus ostendere de singulis partibus animalium, quod ita fieri debuerint, ob finem illorum: vt dentes ossei fieri debuerunt, quia ad manducandum cibum, vel ad pugnandum facti sunt. Per causam etiam formalem concedimus hominem esse risibilem, quia rationalis est. Quod si quis obijciat. Demonstratio Generat perfectam scientiam, ergo non debet dari, nisi per causam intrinsecam, & formalem.

Respondeo. Distinguendo Antecedens; in Genere tali concedo; simpliciter nego. Potest enim dari vna scientia perfectior alia; nam ea scientia, quæ comparatur per omnes causas, perfectior est ea, quæ comparatur per vnam causam. Demonstratio autem per omnes causas generat perfectam scientiam simpliciter.

DISCEPTATIO VII.

De Demonstratione Quia.

36 Demonstrationem hanc varijs nominibus appellãt Dialetici latini, .s. *ab effectu, à Signo à Posteriori*, Græci autem vocant; *Demonstrationem existentiæ*. Arabes *Demonstrationem à causa cognoscendi tantum non essendi*. Dicitur autem demonstratio Quia, non vt Quia reddit causam, sed vt quia significat coniunctionem, idest Quia talis demõstratio dicit, quod est, vel hoc est verum. Pro qua Not: est. Dupliciter posse contingere demonstrationem Quia; vno modo à causa remota ad suum effectum; vt si quis vellet probare, parietem non videre, quia non est animal, non deberet dicere,

re, eo quod non habeat oculos, cum hoc sit causa proxima, illud remota. Alio modo, cum per effectum ostenditur Causa: vt ex fumo ignis, ex risibilitate rationalitas. Hæc autem dupliciter potest contingere; vel demonstrando simpliciter existentiam causæ: vt cum Aristoteles ex naturali transmutatione demonstrat existẽtiam materiæ, & ex Motu primum Motorem. Secundo modo, demonstrando, & probando causam inexistere subiecto ex hoc, quod illi inexistit effectus: vt rationale existit in homine, quia existit in illo risibile. De hac nos agimus; nam cum demonstratur existentia simpliciter, demonstratio constat ex duobus terminis: vt si dicerem, Fumus est: ergo ignis est. Generatio est: ergo materia est. Sed Demonstratio propriè debet constare ex tribus terminis, cum sit syllogismus perfectus; quare requiritur Tertium scilicet subiectum, cui insint causa, & effectus; ita vt probat, causam inesse subiecto, eo quod effectus ibi insit, & sic erunt tres termini: vt dicendo, omne risibile est rationale: omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est rationalis: vbi concluditur causa de subiecto per effectum in subiecto repertum.

37 Not. 2. Demonstrationẽ Quia, per quã ex inexistẽtia effectus arguitur inexistentia causę, posse diuidi in 4. Genera effectuum, respondentium 4. Generibus causarum, eo plane modo per oppositum, quo diximus in demonstratione propter Quid, per quatuor Genera causarum posse argui suos affectus; ita hic per oppositum, ex effectu causæ efficientis possumus arguere. Bona sunt entia: ergo à Bono auctore. Ex effectu causæ finalis: Dentes sunt duri: ergo facti sunt ad manducandum. Ex effectu Causę materialis. Hoc est corruptibile: ergo constat ex materia. Ex effectu causæ formalis. Risibile est: ergo rationale est. His libatis.

38 Assertio 1. Demõstratio Quia est vera Demonstratio, idest non syllogismus probabilis, sed necessarius. Prob. 1. Auctoritate Philosophi 1. *post.* diuidentis demonstrationem in Quia, & in propter Quid, & ipsas inter se confert: ergo est vera Demonstratio, & non æquiuoca. Secundo quia hæc demonstratio constat ex prioribus, notioribus nobis, & propositionibus per se, & de omni, & ex prædicato secundum quod ipsum: ergo est reuera Demonstratio. Tertiò, si talis demonstratio non esset, ruerent omnes scientiæ; Siquidem Physica, Astrologia, Metaphisica à posteriori probant sua principia, multasque huiusmodi continent demonstrationes. Quartò. Cum per effectum proprium causa ostenditur inesse subiecto, non est discursus sophisticus, non topicus: ergo demonstratiuus. Prob. Antecedens. Non Sophisticus, quia est ex veris; non topicus: quia est ex necessarijs: ergo &c.

39 Ob. Omnis demonstratio debet esse ex necessarijs; sed syllogismus ab effectu non est talis: ergo non est demonstratio. Min. prob. Inhærẽtia accidentis in subiecto ideo necessaria est; quia causa talis inhærentiæ necessaria est: at Minor propositio demonstrationis, qua procedimus ab effectu ad causã, est necessaria: ergo debet cognosci causa necessaria inhærentiæ prædicati ad subiectum, & hanc ignoramus, cum probatur in Cõclusione: ergo talis syllogismus erit Probabilis; vel Sophisticus, & non Demonstratiuus.

Respondeo negando Min. ad prob. quę est Auicennæ, respondet Auerroes, cognosci præmissas, tamquam necessarias; non tamen ex causis. Vnde triplex solet distingui certitudo cognitionis nostræ. Primus Gradus est, quando cognoscimus necessitatem rei per cognitionem causæ necessariæ: vt cum cognoscimus hominem risibilem: quia rationalis. Secundus Gradus est, cum cogno-

cognoſcimus neceſſitatem alicuius rei, abſque cognitione cauſæ: vt cum cognoſco hominem eſſe riſibilem, abſque cognitione cauſæ riſibilitatis. Tertius Gradus eſt, cum cognoſcimus neceſſitatem propoſitionis de omni, quæ non ſit per ſe: vt omnem Cignum eſſe album, vel Coruum nigrum: quia cognoſcimus vniuerſitatem, & perpetuitatem illius accidentis in tali ſubiecto, cuius nulla cauſa eſt, quæ ad Cignum, vel Coruum, quatenus tales ſunt, pertineat: eaque cognitio neceſſariæ propoſitionis admodum debilis eſt, parumve certitudinis habet, cum non ſit neceſſaria connexio inter prædicatum, & ſubiectum. Auicennas primum tantum, & tertium certitudinis gradum dignoſcit: ſecundum vero confundit cum tertio, in quo errauit. Nam prædicatum inhærens alicui ex eſſentiali cauſa: vt diſcurſiuum Homini per rationale, idemque cognitum per cauſam, ſumma cognitione cognoſcitur. De re autem cognita ſine Cauſa, plus habet certitudinis, quam propoſitio, quæ ſit ſolum de omni, licet non ſit eſſentialis, & neceſſaria Connexio inter prædicatum, & ſubiectum. Vnde in ea Demonſtratione, qua procedimus ab effectu ad Cauſam, minorem quidem propoſitionem cognoſcimus, vt neceſſariam, & Certam, licet non cognoſcamus illius Cauſam.

40 Aſſertio Secunda. Syllogiſmus, quo à Cauſa remota arguimus ad effectum, eſt Demonſtratio Quia. Ita Philoſophus, 1.*poſt.tex.*95. Vbi demonſtrationem Quia diuidit in eam, quæ eſt à Cauſa remota ad effectum. Quod tamen vt ritè, & rectè intelligatur, ſciendum eſt, cauſam remotam duplicem eſſe; quædam eſt, quæ de ſe ſumpta, & non contracta per aliquid aliud, nunquam producit effectum: vt Animal eſt cauſa remota reſpirationis; nam ſecundum ſe nunquam efficit huiuſmodi effectum; hoc enim modo, omne animal reſpiraret, cum falſum ſit in Piſcibus, ſaltem quibuſdam. Quare niſi arctetur per differentiam hanc, quæ eſt, habere pulmonem, ex eo non ſequetur effectus. Animal enim, non quia animal, ſed quia habens pulmonem, cauſa eſt reſpirandi; hæc etiam eadem cauſa non eſt conuertibilis cum effectu. Non enim valet. Animal eſt: ergo reſpirat; ſicut è contra. Reſpirat: ergo eſt Animal. Alia autem dicitur cauſa remota, inter quam, & effectum intercedit alia cauſa: vt rationalitas, & riſibilitas, inter quas intercedit alia cauſa, ſcilicet admiratiuum, quod eſt cauſa proxima riſibilitatis; ita exemplificant nonnulli, de quo exemplo non diſputo, Doctrinam tantum approbo. Ad rem noſtram autem facit, quod Ariſtoteles non loquitur de Cauſa remota ſecundo modo dicta; nam hæc deſeruit demõſtrationi propter Quid, & eſt conuertibilis cum effectu; nam cum de rationalitate oſtenditur riſibilitas, demonſtratio eſt propter Quid.

41 Not. Inſuper, quod aliqua Cauſa vel proxima, vel remota poteſt eſſe non conuertibilis cum effectu tripliciter. Vel quia non ſemper effectum gignit: vt animal reſpectu reſpirationis; non enim omne, quod eſt animal reſpirat. Vel quia ſemper gignit effectum; ſed ille effectus non ſemper eſt ab illa cauſa: vt ab igne ſemper producitur calor; ſed non omnis calor eſt ab igne; poteſt enim eſſe à Motu, à Vino, à Sole. Vel quia nec talis cauſa ſemper gignit illum effectum, nec talis effectus ſemper gignitur ab ea cauſa: vt Vinum eſt cauſa lætitiæ, cum producit huiuſmodi effectum: nec talis effectus ſemper eſt à Vino. A nulla ergo iſtarum Cauſarum poteſt argui ad effectum conuertibiliter: nam in prima non valet. Eſt animal: ergo reſpirat, quamuis negatiuè teneat: non eſt animal: ergo non reſpirat. A ſecunda, neque valet conuertibiliter, ſed affirmatiuè

tenet, negatiuè non: vt ignis est: ergo calidum est, posito nimirum passo proportionato, & approximato: negatiuè non tenet: Non est ignis: ergo non est calidum: nam hic effectus potest esse ab alia Causa. Tertio modo, nō tenet, nec affirmatiuè, nec negatiuè. Vnde non valet: bibit vinum: ergo est lætus: vel non bibit vinum: ergo non est lętus. Cum ergo Aristoteles dicat, à Causa remota posse argui ad effectum demonstratione Quia, debet intelligi de Causa remota primo modo dicta, & non conuertibili cum effectu. Hanc autem esse demonstrationem prob. tum ex Aristotele 1. *post. t.* 95. diuidente demonstrationem Quia in eam, quæ est ab effectu ad Causam, & in eam, quæ est à causa remota ad effectum. Prob. etiam ratione, quia Quod huiusmodi syllogismus non sit topicus, nec sophisticus: neque enim generat opinionem, neque deceptionem: ergo est demonstratiuus. Deinde quia non procedit per causam immediatam, & conuertibilem cum effectu, cū tantū hoc exigat demonstratio propter Quid: ergo erit demōstratio Quia.

42 Posset quis insurgere, quod talis syllogismus, quo à causa remota ad effectum procedimus, non sit demonstratio. Tum quia, In eo proceditur à causa ad effectum: ergo non est demonstratio Quia, sed propter Quid. Tum quia, In eo non sunt propositiones Conuertibiles, quod requiritur in Demonstratione. Respondeo. Ad primum, processum à causa proxima, & conuertibili cum effectu ad ipsum effectum esse demonstrationem propter Quid: à causa autem remota, & non conuertibili cum effectu arguimus per demonstrationem Quia. Ad secundum dico, ex deffectu talis conditionis cōstitui demonstrationem. Quia, quæ non requirit conuertibilitatem propositionum, bene Demonstratio propter Quid.

DISCEPTATIO VIII.

An Cognitis Præmissis simul Cognoscatur, & Conclusio?

43 AD quæstionem soluendam: Prẹmitto, posse duobus modis præmissas considerari: vno modo in genere causæ materialis respectu demonstrationis: siquidem ipsæ sunt materia proxima syllogismi demonstratiui, & termini præmissarum ingrediuntur conclusionem, eamque constituunt: alio modo in genere causæ efficientis: nam præmissæ generant Conclusionis cognitionem. Secundo. Præmitto, præmissas posse adhuc dupliciter Considerari: vno modo vt per se stant: alio modo vt applicantur in debito modo, & figura: primum patet: nihil enim vetat, considerari vnam propositionem, non in ordine ad aliā. Secundum etiam est clarum, cum propositiones possint ordinari in debito modo, & figura. Tertio. Præmitto, aliam esse prioritatem temporis; aliam naturæ: prima est clara: secunda sic solet definiri. Est præsuppositio huius ab hoc, idest, quod illud, quod ab aliquo præsupponitur, ea ratione qua præsup. ponitur, sit prius natura: illud autem, quod præsupponit tale præsupposi. tum, est posterius natura: vt à luce præsupponitur Sol. Sol præsuppositus, est prior natura; lux præsupponens Solem, est posterior natura. His præsuppositis.

44 Assertio Prima. Cognitis præmissis, vt per se stant, vel seorsum spectatæ, non est necesse, vt cognoscatur Conclusio. Prob. Quæ non sunt principia essendi; non possunt esse principia cognoscēdi à priori: sed prẹmissæ, vt per se stant, non sunt principia Conclusionis: ergo neque sunt principia cognoscendi eamdem à priori; non pos-

possunt autem esse principia cognoscendi, nisi à priori: ergo nullo modo sunt principia cognoscendi Cõclusionem. Confirmatur ex Aristotele 2. *prior.* vbi inquit, *contingit cognoscere omnem mulam esse sterilem, & hanc esse mulam, & ignorare hanc esse sterilem.* Idque nulla alia ratione, quia præmissæ non applicantur ad inuicem. Quare vt approximatio agentis ad passum est necessario requisita ad causationem effectus, tanquam causa sine qua non; ita etiam est necessaria applicatio Maioris ad Minorem, ad hoc vt actu Conclusio cognoscatur.

45 Assertio Secunda. Cognitis præmissis applicatis, simul tempore cognoscitur Conclusio. Prob. eadem sũt principia essendi, & cognoscendi; sed præmissæ, sic applicatæ sunt principia essendi Conclusionis: ergo simul tempore cognoscuntur præmissæ, & Conclusio.

46 Assertio Tertia. Cognitis præmissis, vt relatiua sunt, ad Conclusionem, vel in ratione Causæ, vt causa, simul natura, ne dum tempore, Cognoscitur Conclusio, in ratione effectus. Probat. Causa, vt Causa ad alterum, id est ad causatum, refertur; sed relatiua sunt simul natura, idest simul secundum Cognitionem naturalem, cum vnum non possit cognosci, nisi cognito altero, & vtrumq; principalius à cognitione alterius dependeat: ergo cognitis præmissis sub ratione causæ, simul natura cognoscitur Conclusio sub ratione effectus.

47 Assertio Quarta. Præmissæ si considerentur fundamentaliter, & non sub ratione Causæ: vt causa est, prius natura cognoscuntur, quam Conclusio. Prob. Prioritas naturæ est præsuppositio huius ab hoc; sed cognitio Conclusionis præsupponit cognitionẽ præmissarum: ergo Cognitio præmissarum est prior natuta cognitione Cõclusionis. Hæc omnia ex octaua, & nona quæstione Scoti. Hic vnum posset obijci, præter alia, quæ ibi obijcit Scotus, & hoc est; Intellectus non potest intelligere, nisi vnum intelligibile simul; sed præmissæ, & Conclusio sunt multa intelligibilia: ergo non possunt simul cognosci ab Intellectu.

Respondeo, & si maior longiorem requirat tractatum, de quo alibi; ad præsens sufficit, intellectum posse intelligere multa, non vt talia, sed vt Vnum; & hoc modo totus discursus syllogisticus habet rationem vnius obiecti respectu Intellectus, hoc est, vnius demonstrationis; quæ in tali discursu est vnum Intelligibile.

DISCEPTATIO IX.

Vtrum Circulus, vel Regreßus detur in Demonstrationibus?

48 Circulus, vt in syllogismo sumitur (nam propriè mathematici munus est de eo considerare) *est discursus ab A ad B. & ab hoc ad illud*; ita vt vtraque demonstratio sit potissima; quæ nimirum per causam proximam declaret propter Quid effectus sit. Ex quo colligitur; quod cum idem numero, per idem eodem modo, & eodẽ Genere demonstrationis probatur, vocatur Circulus, sumpta metaphora à Circulo mathematico, in quo conficiendo, ab vno puncto ad idẽ reuertimur. Regressus autem est *inter causam, & effectum, quando reciprocantur, vel conuertuntur.* Prius enim demonstramus existentiam causæ per effectum, & huiusmodi processus vocatur Eggressus; postea reuertimur, ad demonstrandum eumdem effectum per eamdem Causam, & hic vocatur Regressus. Prior processus, erit demonstratio Quia; Posterior autem propter Quid. In priori sic se habet maior: vt in ea prædicetur causa proxima de suo effectu; in Minori, prædicetur effectus,

vel paſſio de ſuo ſubiecto; in Concluſione vero prædicetur cauſa de ſuo effectu: vt omne riſibile eſt rationale; omnis homo eſt riſibilis: ergo omnis homo eſt rationalis. Vbi videtis, medium terminum eſſe effectum, ſcilicet Riſibile, quod vnit ambas extremitates. In Regreſſu vero, Maior prioris ſyllogiſmi conuertitur ſimpliciter, vt in ea prædicatur effectus de ſua Cauſa, & ſubſtituitur loco Maioris, in ſyllogiſmo ſecundi Proceſſus; deinde ſumitur Concluſio prioris ſyllogiſmi,& ponitur loco Minoris,in ſecundo hoc ſyllogiſmo, & demum infertur Concluſio, in qua prædicabitur effectus, vel paſſio de ſuo ſubiecto, quæ erat Minor prioris ſyllogiſmi. Vbi videtis,medium terminum eſſe Cauſam, & non effectum, dicendo. Omne rationale eſt riſibile: omnis homo eſt rationalis: ergo omnis homo eſt riſibilis.

49 Differunt autem Circulus, & Regreſſus in multis,ſcilicet ratione formæ, ratione materiæ, & ratione finis. Formæ (inquam) quia in Circulo ad idem reuertimur, cum primus ſyllogiſmus ſit ex duabus propoſitionibus ad Concluſionem; ſecundus autem ſit ex Concluſione ad duas propoſitiones; adeo vt,non ſolum ex maiore conuerſa, & Concluſione probemus Minorē, quod etiam fit in Regreſſu; ſed etiam ex Concluſione, & Minore conuerſa concludamus Maiorem, alioquin non reuerteremur ad idem omnino. In Regreſſu autem,ex maiore quidem Conuerſa, & Concluſione probamus Minorem; non tamen ex Concluſione, & Minore Conuerſa, probamus Maiorē; & ratio eſt: quia in Minori, accidens prædicatur de ſubiecto;vnde ſi conuertuntur ſimpliciter, fiet propoſitio innaturalis, quæ excluditur à Demonſtratione propter Quid. Ratione Materiæ. Circuli enim materia, tam in priori, quam in poſteriori proceſſu eſt Medius terminus,& materia erit cauſa immediata maioris extremitatis, cum vterque ſyllogiſmus ſit demonſtratio potiſſima. In Regreſſu vero medius terminus, & materia non erit eadem; ſed in primo Proceſſu medius terminus eſt effectus, in poſteriori eſt cauſa. Ratione Finis, nam in Circulari ſyllogiſmo,finis eſt eadem prorſus ſcientia, à qua ſumitur principium; nam in priori ſyllogiſmo tendimus ab A. diſtinctè cognito ad B. diſtinctè cognoſcendum; & in poſteriori ſyllogiſmo tendimus à B. diſtinctè cognito ad A. diſtindctè cognoſcendum: ergo finis vtriuſque ſyllogiſmi erit eadem ſcientia,à qua ſumptum eſt principium: cū finis ſit cognoſcere. In Regreſſu autem, finis non eſt eadem ſcientia, à qua ſumptum eſt principium; cum finis ſit cognoſcere propter Quid effectum. Prior diſcurſus fit ab effectu confusè cognito ad Cauſam confusè cognitā; cognoſcere autem effectum confusè, & cognoſcere eundem diſtinctè, non eſt eadem ſcientia.

50 Aſſertio Prima. Circulus,qui vocatur per effectum,hoc eſt, is quo procedimus ab A. diſtinctè cognito ad B. diſtinctè cognoſcendum, & è conuerſo,idque per duos ſyllogiſmos demonſtratiuos,non datur. Prob.nam ſi ſic: idem eſſet notius, & ignotius, quod non eſt permittendum. Tum etiam, quia tunc idem per ſe ipſum demonſtraretur, quod pariter admittendum minimè eſt.

Si obijcias: Dantur cauſæ; quæ ſunt ſibi inuicem cauſæ: vt deambulatio eſt cauſa efficiens ſanitatis, & ſanitas eſt cauſa finalis deambulationis: ergo vna poteſt demonſtrari per aliam ſyllogiſmo circulari.

51 Reſpondeo. Non eſſe abſurdum dari circulum in Cauſis in diuerſo Genere cauſæ, vt probat inſtantia: At ſi rectè conſideretur: cum Cauſa demoſtretur per aliam cauſam, ea quæ demonſtratur, non habet rationem Cau-

ſæ,

sæ, sed effectus: Vnde si rigidè foret examinanda illa propositio. *Causæ sunt sibi inuicem causæ*, non esset vera: nam vt exemplo allato de fine, & Medio est clara ratio:nam finis verb.grat. sanitas, causat existentiam medij, non vt existens, sed vt bonum aliquod futurum ab intellectu appræhensum, quod mouet per modum amati, & desiderati: Media vero causant existentiam finis; qui tamen tunc est effectus, & non finis: at sic finis, dum efficitur, causa finalis non est, sed effectus, at medium cum efficitur, cum efficiens non sit, est effectus. Huiusmodi autem Progressus, non est verè circularis, cum non reuertatur ad idem per viam eiusdem Generis, quod ad Circulum perfectum de necessitate requiritur.

52 Obstabis iterum. Posse fieri Circulum in eodem Genere causæ, supponendo, quod habet Aristoteles 2. *Post. cap.*13. In quibus est mutua Generatio, potest alterum per alterum demonstrari: tunc sic argumentor. Potest probari pluuia per vaporem, & è contra, vapor per pluuiam; sed tunc vtraque demonstratio erit à priori per causam materialem, & in eodem Genere causæ: ergo erit perfectus Circulus.

Respondeo. Ex loco Aristotelis, non posse id probari: Vapor enim non est materia illius pluuiæ, ex qua oritur ipse vapor: sed alterius pluuiæ: & similiter pluuia non est materia illius vaporis, ex quo oritur. Nunquam enim aliquod est causa materialis respectu suæ materiæ, ex qua fit, sed alterius. Quare non potest exemplo allato fieri circulatio, cum non reuertamur ad idem prorsus, quod tamen ad Circulum exigitur.

53 Assertio Secunda. Regressum in via Philosophi dari, ne dum est possibile, sed necessarium, isque vtrinque est demonstratiuus. Prob. ex tribus locis Aristotelis 1. *ex* 1. *Post. t.*96. 97. 98. vbi argumentatur ex effectu ad Causam sic. Omne non scintillans propè est: Planetæ non scintillant: ergo propè sunt. Deinde arguit à Causa ad effectum. Quod propè est, non scintillat: planetæ propè sunt: ergo non scintillant. Secundo ex 2. *Post. cap.*13. *t.*92. vbi expresè Regressum hunc cōcedit, in quo prior processus fit à notioribus nobis ad notiora naturæ, idest ab effectu ad Causam: posterior vero Processus fit à notioribus secundum naturã ad notiora nobis, idest à Causa ad effectum. Tertio ex 1. *Post. cap.*3. *t.*22. vbi excluso Circulo ab Antiquis posito, Regressum tamen admittit: ait enim, non esse inconueniens, quod idē sit notius, & ignotius, si diuersis modis accipiatur: adeo vt, vna demonstratio sit non simpliciter, quæ est à notioribus Nobis, idest ab effectu: altera simpliciter, quæ sit causæ ad effectum. Accedit etiam, & non contingit effectum nobis esse confusè notum, eo quod illius causa ignoretur: sed tunc duo sunt, quæ demonstranda sunt. Vnum, quod causa sit, scilicet quod ostendatur dari causam illius effectus: Alterum est, vt effectus distinctè per suam causam demonstretur: at hoc per vnam demonstrationem nequit fieri: vna enim demonstratio est vnius, non plurium: ergo pluribus demonstrationibus erit opus. Primum probatur per demonstrationem Quia. Secundum vero per demonstrationem propter Quid. Primum ab effectu ad Causam: secundum à Causa ad effectum.

54 Ad pleniorem vero huius Assertionis explicationem, & ad obijciendorum solutionem. Not. quod effectus cognosci potest cognitione confusa, & distincta: primo modo cognoscitur sine cognitione causæ: secundo modo cognoscitur per cognitionem eiusdem Causæ: illa prior cognitio dicitur Quod est, vel Quia est: hæc vero dicitur Propter Quid, & simul etiam

Quid

Quid eſt. Siquidem idem eſt cognoſcere Quid eſt, & propter Quid eſt ex 2. *poſt.* Cauſa etiam diſtinctè, & confusè cognoſci poteſt; non eſt autem diſtincta cognitio Cauſæ, vt cauſa eſt, quod cognoſcatur per cauſam; nam vt cauſa eſt, non habet cauſam: ſi enim habet cauſam priorem, eam habet vt effectus eſt, non autem vt cauſa eſt; eſt autem diſtincta cognitio cauſæ, cum cognoſcimus Quid illa ſit; Confuſa cognitio eſt, cum cognoſcimus Quod ipſa ſit; ſed neſcimus Quid ipſa ſit. In Proceſſu, quo ab effectu arguimus cauſam, ſcitur cauſa quod ſit, non tamen illius quidditas, vel natura per eam demonſtrationem recenſetur, at cum cognoſcimus per cauſam effectum, tunc ex diſtincta cognitione Cauſæ arguimus diſtinctam cognitionem effectus. Hoc idem voluit Ariſtoteles primo *Phyſicorum*: vbi per demonſtrationem Quia, oſtendit in Corpore naturali eſſe materiam primam, ex eo quia Corpori ineſt Generatio, & Corruptio, & ſic ab effectu confusè cognito, ad Cauſam confusè cognitam procedit, ſed regreditur ad idem in primo de generatione, vbi per demonſtrationem propter Quid, materiam eſse veram Cauſam Generationis, & corruptionis demonſtrat: & tunc à Cauſa diſtinctè cognita ad effectum ſimiliter cognoſcendum procedit.

55 Ex his ad obijciones reſpondere facile eſt; Cum dicitur, eaſdem rationes, quibus Circulus ab Ariſtotele impugnatur, impugnare, & Regreſſum.

Reſpondeo negando; nam prior ratio, qua ducitur per Regreſſum, idē eſſet notius, & ignotius; hoc non eſt abſurdum, ſi alio & alio modo, etiam ſecundum nos, ſit idem notius, & ignotius: nam notius cognitione confuſa eſt ignotius cognitione diſtincta; quod euenit in priori ſyllogiſmo, ideſt in Regreſſu. Rurſus idem eſt notius cognitione diſtincta, quod contingit in ſecundo ſyllogiſmo, ſcilicet in demonſtratione propter Quid.

56 Cum dicitur ſi ſic: ergo idem demonſtraretur per idem.

Reſpondeo. Falſum eſſe, ſiquidem in priori ſyllogiſmo, ex riſibili v.g. tanquam ex cauſa cognoſcendi tantum infertur rationale; rurſus, ex rationali, tanquam ex cauſa eſſendi, & cognoſcendi infertur riſibilitas, vel riſibile; Vnde non eſt prorſus idem inferens, & illatum; nam in priori ſyllogiſmo inferens eſt tantum cauſa cognoſcendi, & illatum, ſcilicet effectus eſt cognitum, ne dum quo ad exiſtentiam, ſed etiam, quo ad dependentiam, quam habet reſpectu inferentis Cauſæ. Quod eſt dicere; quod in priori ſyllogiſmo cognoſcitur vtrumque confuſe, effectus ſcilicet, & cauſa; & in poſteriori ſyllogiſmo cognoſcitur vtrumque diſtinctè. Quare non idem ſub eadem ratione demonſtratur in vtroque ſyllogiſmo; quod accidit in Circulo, in quo proceditur per demonſtrationem propter Quid, tā in Regreſsu, quā in Aggreſſu.

Obijcies contra magis, & validius. Aut ex effectu cognoſcitur cauſa, aut non: Si Non: ergo non magis ex riſibili poſſumus oſtendere rationale, quam aliquod aliud extraneum, cum non cognoſcatur riſibile eſſe effectum rationalitatis: Si autem ex effectu cognoſcatur Cauſa: ergo Inutilis eſt Regreſſus; cum id, quod fit in demonſtratione propter Quid, ideſt oſtendere effectum per Cauſam, iam præcognoſcamus in demonſtratione Quia.

Reſpondeo. In priori ſyllogiſmo non cognoſci effectum, neque cauſam formaliter ſcilicet, riſibile pendere, tanquam effectum à rationali; ſed cognoſcitur vtrumque tantum materialiter,

liter, ſcilicet quod hoc antecedens eſſet coniunctum cum ſuo conſequente coniunctione inſeparabili. Nec oportet, ad precognoſcendam hanc coniunctionem, præcognoſcere, quod prædicatum ſit Cauſa ſui ſubiecti, cum dico, riſibile eſt rationale, ſed perſeitas propoſitionis cognoſcitur aliunde: vt ſupra diximus: & hoc modo maior primi ſyllogiſmi cognoſcitur eſſe neceſſariæ connexionis, quamuis non cognoſcatur, prædicatum eſſe Cauſam formaliter ſubiecti. In ſecundo vero ſyllogiſmo, quo regredimur, cognoſcimus Cauſam formaliter, & effectum, hoc eſt, rationale eſſe principium influens in riſibile, tanquam in effectum.



PAE-



PÆDIA DECIMA.

De Scientia.



CIENTIA, cum effectus sit Demonstrationis, cęterisque nobilitate præstet, sibi hunc vltimum vendicat locum, vt recensitis iam pædijs coronidem imponat. Eo vel magis, quia Scientis, Sapientisque est vltima, finemque considerare, iuxta id.

Occasum Sapiens, Stultus considerat Ortum.

De Scientia hic plurima deberemus quærere. Præsertim, An detur absolutè, & de nouo, De Scientiarum subalternatione, & de nonnullis alijs. Sed quia talia alibi, (Superi dantibus) sumus expósituri; hinc his pro nunc pertransitis, essentiam Scientiæ iuxta Aristotelis, & Scoti intellectualem sensum morę solito, indagabimus. De hac ergo omni breuitate, quæ fieri potest, dicturi. Sit?

DISCEPTATIO I.

Vtrum Scientiæ Definitio sit Optima?

1 ARistoteles loquens de Scientia hic, sic inquit. Scire autem arbitramur vnumquodque simpliciter, & non sophistico modo, qui est secũdum accidens, cum causam existimamus cognoscere propter quam res est, & quoniam illius est causa, & non contingit aliter se habere. Ex quibus Verbis Scotus *quæst. 6. prologi, & 3. d. 24. q. vn.* Quatuor Conditiones Scientiæ colligit. Prima, quod sit certa, eaque significatur his Verbis. Scire arbitramur vnumquodque simpliciter, hoc est, certè, & non sophistico modo: per quam Conditionem excluditur Dubitatio, & Incertitudo: & per eam differt ab Opinione, & Suspicione. In hac vero Conditione illud est Notand. Nõ esse eumdem gradum certitudinis omnium scientiarum: vt enim in qualitatibus dantur gradus, qui tamen sũt intra eamdem latitudinem specificam: Nec ea Qualitas, quæ plures Gradus habet indiuiduales, ab altera habente minores Gradus differt specificè, ita in scientijs datur Maior, & Minor Certitudo: sed quæ minorem certitudinem habet, quam altera, non ob id, rationem scientiæ excludit: & quamuis differat specificè vna scientia minus certa, quam altera: non id prouenit ex maiori, vel minori certitudine, sed ex obiecto. Secãtur autem scientiæ, quemadmodum, & res.

2 Secunda Conditio Scientiæ est quod

quod sit per causam euidentem intellectui, eaque significatur verbis philosophi, cum dicit. Cum Causam arbitramur cognoscere, propter quam res est; & per hanc differt Scientia à Fide. Hæc enim licet sit Certa maiori certitudine, quam quælibet scientia humanitus acquisita: vt potè innixa testimonio illius, qui non potest fallere, nec falli, idest Dei: non tamen habet euidentiam; hæc enim consistit in exacta cognitione terminorum, inter quos cognoscitur esse necessaria Connexio, quomodo est in primis principijs: vt omne totum est maius sua parte. Vel Consistit euidentia in cognitione Causæ distinctè cognitæ, per quam fit connexio vnius extremitatis ad alteram; quo modo cognoscitur Conclusio. Neutrum enim habemus in Conclusionibus reuelatis; nam si sint contingentes: vt hæc. *Verbum est incarnatum*, non continet necessariam connexionem prædicati cum subiecto. Si vero sint necessariæ: vt *Deus est Trinus, & Vnus:* Tunc præterquamquod distinctè terminos non cognoscimus, nec per consequens eorum connexionem, neque etiam cognoscimus causam inhærentiæ prædicati ad subiectum: omnino ea quæ sunt Fidei, sunt ineuidentia, secus est in habitu scientifico.

3 Tertia Conditio scientiæ est. Quod sit per causam applicatam ad Conclusionem per discursum syllogisticum. Hæc vero significatur per verba Aristotelis dicentis. Et quoniam illius est Causa, hoc est, per applicationem principiorum ad Conclusionem;& per hanc differt scientia ab habitu principiorum; hæc enim propriè non sciuntur, idest non cognoscuntur per discursum syllogisticum: licet illorum sit scientia, idest cognitio Certa aliquorum necessariorum complexorum. Quam distinctionem scientiæ, tam apud Scotum hic, tam apud Linconiensem videre licet.

4 Quarta Conditio scientiæ est. Quod sit de obiecto necessario; Eaque significatur his verbis. Et non contingit aliter se habere. Idque ipsum paulo inferius repetit Aristoteles. Cuius simpliciter est scientia, impossibile est aliter se habere. Et per hanc Conditionem differt scientia ab habitu contingentium, scilicet ab Arte, & Prudentia; quarum illa est circa factibilia, hæc circa agibilia, quorum vtrumque variari possunt. Hæc autem necessitas obiecti, aut potest intelligi de obiecto totali scientiæ, quod est Conclusio; aut de partiali, quod est subiectum Conclusionis: primo modo scientia dicitur esse obiecti necessarij incorruptibilis, & æterni, quia nimirum connexio prædicati cum subiecto, in Conclusione necessaria, est æternæ veritatis, & falsificari non potest: vt hominem esse risibilem, est æternæ, & incorruptibilis Veritatis, idest infalsificabilis Veritatis, & ante hominis productionem, & etiam si cuncti homines destruerentur, adhuc prædicatum necessariam haberet habitudinem ad subiectum.

5 Dices. Per hypotesim, subiectũ non supponeret pro aliquo; ergo prædicatum de eo dici non posset, & per consequens esset propositio falsa. Resp. Ad antecedens, quod subiectum in tali Casu non supponeret pro aliquo habente esse existentiæ actualis, sed esse essentiæ, quod esset capax existentiæ actualis.

6 Si vero sumatur obiectum scientiæ pro subiecto partiali. Dico, quod non habet esse necessarium: Hoc enim modo de Solo Deo potest haberi sciẽtia, cum sit ens necessarium. Potest tamen quo ad esse cognitum, quod habet quælibet Creatura in mente Diuina, dici participatiuè, incorruptibile, & æternum. Nam ex Scoto 4.*d*.1.*q*.1. obiecta cognita habent idem esse participatiuè, ac habet cognitio, qua cognoscuntur: & diuina intellectio, qua

obiecta in esse cognito cognoscuntur, est incorruptibilis, & æterna: ergo obiecta sic cognita, secundum quid dicuntur æterna, & incorruptibilia.

7 Ex Conditionibus requisitis ad scientiam supra enumeratis, tres conueniunt ei quatenus scientia est: nimirum, quod sit certa, euidens, & de obiecto necessario: ita vt: nullus dicatur habere propriam scientiam, nisi illius cognitio habeat has tres Conditiones: Illa vero Conditio, quod scilicet Conclusio cognoscatur per Causam applicatam discursu syllogistico ad ipsam Conclusionem, non conuenit scientiæ, vt scientia est, quod Prob. Deus in sua scientia huiusmodi Conditione caret: hæc enim Conditio imperfectionem inuoluit, tum ex parte scientiæ, tum ex parte intellectus, quorum vtrumque breuiter, & obscurè probat Scotus loco citato. Primum sic patet. Effectus æquiuocus multoties imperfectior est sua Causa æquiuoca: vt constat de potentia, & actu: de igne, & calore: sed scientia causata per discursum syllogisticum est effectus æquiuocus: ergo est imperfectior Causis, à quibus causatur. Min. prob. quia notitia Conclusionis est distincta specie à cognitione, vel notitia pręmissarum, quæ sunt eius Causa: ergo est effectus æquiuocus. Tum quia, cognitio præmissarum dicitur Cognitio propter se: notitia vero Conclusionis est notitia propter aliud: cum huic asentiat Intellectus propter præmissas. Secundum probatur, scilicet, talem notitiam comparatam per discursum syllogisticum dicere imperfectionem ex parte Intellectus: quia scientia sic causata est accidens necessario: at hoc accidens recipitur in Intellectu: ergo Intellectus est potentialis respectu illius: hoc autem inuoluit imperfectionem: ergo, &c.

DISCEPTATIO II.

Vtrum Possint se compati simul Scientia, Fides, & Opinio?

8 Exarata scientiæ natura, vt eandem magis, magisque penetremus, hanc oportet exponere, & soluere disceptationem. Vnde sciendum est. *Fidem esse assensum alicuius propositionis propter dictum, vel auctoritatem Alterius*, idest vel Dei, vel Creaturæ intellectualis, Hominis vel Animæ Separatæ, vel Angeli: si primum, Fides habetur diuina; si secundum, Humana: quatenus à diuina secernitur. Ex hoc deducitur, Fidem esse ineuidentem, & obscuram; imo si euidentiam haberet, & claritatem ex se, Fides non esset, dicente Veronensium Zenone. *Fides ibi profectò non est, vbi fides quæritur. Fides enim non argumento, nec necessitate, sed veritate compellit.* Per hoc Fides cū Opinione conuenit: quatenus ambæ claram obiecti notitiā eliminant. Differunt autem, nam Fides tantum ab auctoritate, vel alterius dicto causatur: Opinio vero ab aliqua ratione, vel motiuo saltem probabili. Hinc Opinio potest describi, quod sit *asensus alicuius propositionis cum formidine de opposito*. Hoc notato.

9 Asertio Prima. Vnus, & idem actus non potest esse scientia, opinio, & fides simul. Prob. Vnus, & idem actus non potest esse clarus, & obscurus: certus, & incertus, euidens, & ineuidens: sed omnis actus fidei, & opinionis est incertus, & ineuidens (loquendo de fide humana: nam actus fidei diuinæ est certissimus; quo ad obscuritatem vero, & ineuidentiam, sunt æquales:) ergo nullus actus potest esse Scientificus, Opinatiuus, & Fidei.

10 Dices. Idem obiectum potest esse scitum, creditum, & opinatum: vt Totum physicum est realiter distinctum

ctum à partibus simul sumptis. A docto Scotista scitur. A Tyrone creditur. Ab Extero opinatur: ergo idem actus potest esse Scientiæ, Fidei, & Opinionis, non enim apparet ratio, cur aliquod possit clarè, & obscurè simul sciri; & quod vnus non possit simul clarè, & obscurè scire.

Respondeo. Negando consequentiam. Ratio discriminis est: nam quod obiectum clare, & obscurè cognoscatur, non ponit aliquod intrinsecum in ipso obiecto, sed tantum quandam denominationem extrinsecam; claritas vero, & obscuritas, certitudo, & incertitudo sunt denominationes intrinsecæ afficientes cognitionem. Vel negatur antecedens respectu eiusdem; respectu autem diuersorum conceditur; & sic, non nos.

11 Sed Contra hoc insurges. Ponamus vnum Hominem tribus in locis, Veronæ, Vincentiæ, & Patauij, existentem; & in his tribus locis, hanc eandem propositionem percipiat. Totum physicum est realiter distinctum à Partibus simul sumptis. Hac tamen diuersitate: vt Veronæ percipiat demonstratiuè, per medium efficax, Vincentiæ probabiliter per medium topicum, & Patauij reuelatè à Deo, vel ab Angelo. Certum est, quod tunc idem obiectum respectu eiusdem intellectus erit scitum, opinatum, & creditum: ergo, & vnus, & idem actus erit Scientiæ, Opinionis, atque Fidei.

Respondeo. Quod data hypothesi, Homo habens Veronæ actum Scientificum, vbique locorum existeret, eumdem actum Scientificum haberet, nec haberet Vincentiæ actũ Opinionis, & Patauij Fidei. Ratio in promptu est: quia Certitudo, & Euidentia Veronæ habita de recensita propositione, in centenis locis multiplicata præsentia, in singulis eundem actum Scientificum haberet, Docente Subtilium Antesignano 4. *d. 10. q. 2. Quæcunque sunt priora essentialiter ipso Vbi, vniformiter insunt Corpori, quamuis habenti diuersa Vbi, nec variabuntur variato ipso vbi, &c. quia prius essentialiter non variatur propter variationem posterioris*, at actus Scientificus est prior vbi; cum hoc sit Relatio, illud vero Qualitas: ergo actum Scientificum, quem homo habet in vno loco, in centenis locis haberet, si in centenis existeret. Nec sufficit, medium topicum, nec Reuelatio, seù testimonium ad causandam opinionem, & Fidem; nam Demonstratio fortius, & efficacius determinabit intellectum illius hominis ad illud obiectum.

12 Sed audio Te iterum vrgentem. Medium demonstratiuum applicatum Homini Veronæ existenti, non impedit effectum medij topici, seù syllogismi probabilis, nec effectum testimonij: ergo poterit produci Opinio, & Fides. Antecedens prob. Tunc vna causa alterius causæ impedit effectum, quando esset contrarius suo effectui, quem producere intendit; sed effectus, quem intendit producere syllogismus probabilis, & Testimonium, non contrariantur effectui syllogismi demonstratiui; nam omnes syllogismi hi, esto in diuersis locis confecti, ordinarentur ad assensum huius propositionis. Totum physicum est realiter distinctum à partibus simul sumptis: ergo, &c.

Respondeo. Negando Antecedens; ad cuius prob. Negatur Mai. nam non semper causa impedit effectum alterius causæ ratione Contrarietatis; sed aliquando etiam ratione adæquationis; quia scilicet effectus vnius causæ adæquat capacitatem subiecti, non admittit alterum effectum, sic contingeret in casu; nam demonstratio causaret perfectiorem notitiam, quam posset habere intellectus de tali propositione, & sic non posset causari aliquis alius gradus notitiæ in ipso. Sicut si applicarentur duo ignes alicui subie-

biecto, quorum vnus esset calidus vt octo, & alius vt quatuor: Calor vt octo introduceret calorem vt octo in subiectum: & calor vt quatuor nihil ageret; non ob contrarietatem caloris cum calore: sed quia adæquatur, & satiatur capacitas subiecti. Vel aliter respondeo, concedendo Maiorem, & Negando Minorem: nam quamuis assensus scientificus, opinatiuus, & fidei non contrarientur in ratione assensus absolutè: contrariantur tamen: quia vnus est certus, alter incertus: vnus obscurus, alter clarus: euidens vnus, ineuidens alter.

13 Assertio Secunda Habitus Scientiæ, Fidei, & Opinionis se compatiuntur in eodem subiecto, non solum respectu diuersorum obiectorum, sed etiam respectu eiusdem obiecti. Colligitur ex Scoto 3. d. 24. q. vn. §. *Ad primum principale*; vbi docet, quod Petrus, & Ioannes, quamuis viderent Christum Dominum Crucifigi, & consequenter de illo haberent scientiam, nihilominus tamen habebant habitum Fidei, quo crederent, si eum Crucifixum non vidissent: inquit enim. Habebant tamen habitum, quo illud credidissent, si non vidissent. Prob. Nam quando aliquis habet tantum opinionem de aliqua propositione, & postea acquirit eiusdem propositionis scientiam: scientia acquisita non tollit media probabilia præexistentia: ergo non tollit habitum opinatiuum. Antecedēs patet, alioquin acquisito habitu scientifico, necessario acquirens obliuiscere tur omnium propositionum probabilium, quibus suam firmabat opinionem, quod tamen est contra experientiam: patet Consequentia: nam per habitum demonstratiuum, nihil aliud intelligitur nisi, quod quis habeat aliqua media, quibus mediantibus facilitaretur ad assensum alicuius propositionis, aut dissensum. Firmatur ratio. Supponamus, quod prius habens habitum opinatiuum de aliquo obiecto acquirat scientificum, & postea, decursu temporis, eundem habitum sciētificum amittat. Supponamus etiam quod conseruentur in illo omnia media, & argumenta, quibus ante acquisitionem habitus scientifici suam firmabat opinionem, quod sine dubio potest fieri, imo de facto fit, tunc sic. Si habitus scientificus, & opinatiuus non se compatiuntur: sequeretur, quod ille non posset eadem facilitate, & firmitate illi opinioni, quam habet de tali propositione, antequam acquireret habitum scientiæ, assentire: at hoc est falsum: ergo, &c. Prob. Consequentia: nam ex suppositione, adueniente habitu scientifico, recedit opinatiuus. Falsitas prob. Ex suppositione habet omnia media, motiua, & argumenta, quæ antea habuit: ergo, & eandem facilitatem ad assentiendum: ergo non amittit habitum opinionis, & consequenter, se compatiuntur in eodem Intellectu: eodem modo dicendum est de habitu fidei, quo ad compossibilitatem cum habitu scientifico, & hoc intelligendo de vtraque Fide, Humana, scilicet, & Diuina, cum eadem sit ratio, quantum ad hoc.

14 Sed contra adduces Doctorem *loco cit.* §. *sed si loquamur*, asserentem oppositum nostræ Concl. his verbis. *Dico igitur, quod cum fide stare non potest scientia propriè dicta*: ergo, &c. Nec sufficit dicere. Scotum esse loquutum tam de Fide, quam de scientia actualibus, non vero habitualibus; nam hoc est falsum, vt patet in textu, nam in *eadem quæst.* §. *Ad Propositum*, enumerat tres modos habendi habitum, seù potius tres habitus, & resoluit *in eodem loco* de singulis, & §. *sed si loquamur* immediate sequenti, negat fidem posse esse cum scientia: ergo debet intelligi de habitualibus, & non de actualibus.

Respondeo. Admittendo, Scotum

ibi loquutum fuisse de habitu scientifico, dum dixit, cum fide stare non posse scientiam. Nec quod affertur in argumento, est contra Nos, quia ibi Scotus solum vult, habitum fidei, & scientiæ esse incompossibiles, quo ad contrarios effectus, assensus scilicet, & dissensus; non vero quod sint incompossibiles quo ad esse, vel quo ad existentiam simul in eodem subiecto. Et hanc fuisse Scoti mentem, patet ex *eadem*, *q.lit.M.* vbi habet hæc verba. Quando effectus sunt in aliquo simul incompossibiles, & causæ eorum sunt simul incompossibiles in causando, quia non possunt simul causare; sed si altera causat, alia non causabit, impedita à fortiori causa. Et inferiusculè. Si Medium Dialecticum, & Demonstratiuũ sint simul in eodem Intellectu, Dialecticum nihil faciet, impeditum à Demonstratiuo; ita quod nunquam effectus erunt simul, nec causæ simul causabunt. Quid quæso clarius? ergo Scotus non solum non negat compossibilitatem habituum, vel eorum inclinationem ad effectus contrarios, quo ad essendum, & coexistentiam in eodem subiecto, sed potius supponit.

15 Vrgebis Secundo. Habitus Virtutis, & Vitij immediate oppositi non se compatiuntur in eodem subiecto simul: ergo nec habitus scientiæ, opinionis, & fidei. Antecedens probatur. Nam nullus potest simul habere habitum Virtutis temperantiæ, & habitum intemperantiæ, & sic de cæteris. Consequentia prob. nam eodem modo se habent habitus Virtutis, & vitij ad inuicem, quo habitus Scientiæ, Opinionis, & Fidei: ergo si illi non se compatiuntur, nec isti.

Respondeo. Quidquid sit de antecedenti, quod non dubito, esse falsum, eo tamẽ admisso, negatur conseq. cum antecedenti suæ probationis, & disparitas est manifesta. Nam habitus Virtutis, & Vitij nunquam inclinant ad eumdem actum, sed semper ad actus oppositos: Habitus vero Scientiæ, Opinionis, & Fidei possunt inclinare ad eumdem actum, scilicet ad assensum vnius, & eiusdem propositionis, licet diuerso modo. Deinde experientia claret, quod habens aliquem habitum vitiosum, quo intensior est habitus, eo minus erit capax habitus virtutis oppositæ: quia habitus vitij resistit habitui Virtutis. Qui vero habet opinionem de aliqua propositione, quo intensior est opinio, & quo efficaciora media, vel motiua, eo magis disponitur ad acquisitionem notitiæ scientificæ. Hinc patet ad argumentum solutio.

16 Vrgebis tertio. Cum Montursio, qui *lib.1.post.q.3. Concl.4.* Oppositum nostræ Conclusionis defendit. Illi habitus sunt repugnantes in eodem, quorum actus sunt incompossibiles; at actus scientiæ, & opinionis sunt sic: ergo. Mai. patet, quia habitus generantur ex frequentatis actibus: ergo quales sunt actus, tales debent esse habitus. Deinde Habitus cum formidine, siuè actuali, siuè aptitudinali repugnat in eodem, cum habitibus sine formidine: at scientia habitualis est habitus sine formidine omnino, & opinio habitualis includit saltem virtualiter formidinem: ergo nequeunt, &c. Mai. constat, quia contradicunt ad inuicem.

Respondeo. Ad primum negando Mai. ad probat. concesso antecedenti, distinguo Consequens. Quantum ad esse Concedo: quantum ad opponi, & incompati simul nego. Hoc est. Qualis generis sunt actus, talis generis sunt habitus: sed non quantum ad opponi, & incompatibilitatem, quia actus possunt opponi, & habitus nequaquam. Quapropter. Sicuti oppositi actus Amoris, & odij non arguunt op-

oppositas potentias volitiuas: assensus, & dissensus oppositas potentias intellectiuas: ita oppositi actus scientiæ, & opinionis non concludunt oppositos habitus incompossibiles. Similiter ad secundum respondeo. Habitus cum formidine, & sine formidine incompossibiles esse quantum ad causare, hoc est, secundum actus, vt supra docuimus ex Scoto. Aliæ disceptationes possent afferri in ista Pædia: sed quia alibi easdem videbimus, igitur nunc omissas facio. Hæc interim de logicis Pædijs dixisse sufficiat, ad laudem DEI, eiusque Parentum MARIÆ, & IOSEPH.

FINIS.

IN-

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

Litera P. Pędiam. Numerus ſequens, numerum Pędiarum. Numerus ſubſequens, numerum interlinealem, demonſtrant.

Con-

Ge-

FINIS.

Errata Potiora, & Prætermissa, Corrigas, & Addas.

Vbi tres sunt numeri, primus paginam, secundus columnam, tertius lineam, indicant. Si duo; primus columnam, secundus lineam eiusdem paginæ antecitatę, denotant. Si vnus tantum, tantum lineam eiusdem paginæ, & columnæ antecitatarum, ostendit.

4.1.7. (secundum ipsum &) (secundũ ipsum) &. 10.1.46. patitur, potitur. 11.1.27 Primam, Prima. 2.18. nõcupatur. nuncupatur. 12.2.27 recedit. recedat. 13.1.31. *permissis, præmissis*. 2.4. potuit. possit. 26. ad. ab. 14. 1.19. Fricecomorũ, Camestres. Frisesomorum, Camestres. 17.1.4. obiectiuas. subiectiuas. 21.1.15. &. est. 22.1.36. Probans. Probatur. 24. 2. 29. *Denuntiatiua. Demonstratiua*. 46. differuntur. differunt. 33.1.1. *eliduntur*. Conditione sequitur solum actum elicitum Voluntatis, & etiam. 12. elicit, eliciti. 36.1.23. *Sic legas* traseuntes: vt ædificare, pingere, &c. Practicæ autem actiuæ complectuntur Ethicam, quæ de moribus agit. Oeconomicam, quæ de regenda familiam. Politicam, quæ de regenda republica, tractant. Factiuæ continent artes, quas vocant mæchanicas, quas, & seruiles. 8. *polit. c. 2.* vocat Philosophus. hęque seruiles sunt. Lana, nemus, miles. nauigatio, rus, medicina, his ars fabrilis connumerari potest. 37.2.48. *addas*. Probatur antecedens. 43.2.13. natus. notus. 48.1.25. prætensa, præostensa. 51. 2.1. quo, quod. 55.1.6. tamen, tam. 31. extrinsecæ. intrinsecæ. 2.9. &. est. 78.1. 2. & est. 80.2.48. quod libet. quod licet. 82.2.19. Fructa. Frustra. 88.2.32. perfectior. perfectius. 91.1.28. sic. fit. 92.1.43. soluatur. saluatur. 97.1.37. definibilis, definibile. 105.2 81. essunt. esset. 106.1.8. Homo existit. Homo nõ existit. 110.1.47. omne *additur* Vniuersale. 122.1.43. Relatiuorum. Denominatiuorum. 141.2.36. Quantitatis. Generationis. 46. *Quantitatis substantiæ*. 142.1.48. in latis &c. *sic legas* in latitudinem effici superficiem, ductu superficiei in profunditatem, effici corpus. 146. 1.4. permanentiam. permanentium. 147.1. 16. continuæ. successiuæ. 148. 1.4. *tamen. tantum*. 149.2.36. *addas*. Ad 2. Talis ordo non sufficit ad vnitatẽ per se continuam. concedo. discretam. nego. Tertium probat esse vnum discretum simpliciter. 150.1.45. *addas*. Ad 2. dicitur. Aequale, vel Inęquale non competere quãtitati discretæ formaliter, cum non detur vna relatio æqualitatis, vel inæqualitatis fundata, & subiectata in multis, sed tantum materialiter, quatenus vna multitudo est æqualis, vel Inæqualis alteri, ratione vnitatum inclusarum. Bene sibi competit ratio Mensuræ, quia talis dicit relationem rationis, quæ potest fundari in multis realiter distinctis secundum Scotum 4.d.1.q.2. & cum sit attributum rationis potest etiam quantitati discretę attribui. Habere autem partem extra partem huic non conuenit; aliud enim est habere partem extra partem, & aliud, vnitatem extra vnitatem. hæc discretionem, illa continuationem, hæc extensionem, illa multiplicitatem indicant. 2. 1. &. vt. 151.2.48. esset. etiam. 164.2.11. *additur*. Ergo &c. 166.1.23. ergo. &. 2.36. vna. sua. 169.2.27. Corpore. in corpore. 171.1.36. Aequalitas. qualitas. 172.2.36. sic dicatur. si dicatur.

Errores alios, qui literæ subtractione, additione, commutatione, necnon Cõmatibus, barbarismos, & solęca referunt, verumque sensum peruertunt, si reperetis, ex Te corrigas. Intelligentiam enim genuinam, si rudis omnino non sis, non difficulter deprehendes. Vno tantum Te volo, quod multoties reperies, *sequelam* loco. *consequentiæ*. Erroris non arguas, quia ambæ perinde sunt.

